

Al 5a

Sum Johan: Haischy
Parochi Prossitten
1.6.2.8.

Supra scriptus D. Joannes Haischius non tum parochus prossitten. sed vagabundus Bisteinensis hunc librum absque facultate mea immo me invito in possessionem suam convertit 1617 1618 quem rursus recep.
Ego Crispinus ... libri possessor ubi ... dictus Haisch nomen meum expunxit et suum furtive intrusit.

BA

A

Pra

IN

SVM

Ex Ital

Cv

Apud

R. P. F.

BARTHOLOMÆI A MEDINA, ORDINIS

Prædicatorum, Primi Cathedratici ac Lectoris in Theologia Salmanticæ,

INSTRVCTIO CONFESSARIORVM,

Siue

SVMMA CASVVM CONSCIENTIAE:

Ex Italico in Latinum translata per R. D. Raphaëlem de Cæsare Neapol.

Cum Indicibus Capitum & rerum notabilium.



COLONIÆ

Apud Arnoldum Quentelium, M. DCI.

Cum gratia & Priuil. S. Cæsar. Maiest.



ILLVST. ET REVER. D. D. THOMÆ DE MONTIBVS, VRBIS CROTONIS ANtistiti ampliss. ac Domino colendiss.

RAPHAEL DE CÆSARE S.P.D.



CVM non longè decursis mensibus, Antistes amplissime, obuius mihi fuerit admodũ R. P. D. Vincentius Conte, vir diuinis literis, ac sacra Theologia maximeq; morali admodum eruditus, atque de casibus, vt ita loquar, circa conscientiam contingentibus mecum loqueretur, mirum in modum à me petijt, vt breuem hanc Confessariorum instructionem Reuerendi Patris Magistri Bartholomæi à Medina ex vulgari sermone in Latinum transferrem: quod etsi denegauerim sæpius, cùm ad tantum munus obeundum nequaquam idoneum me agnoscerem, tandem, cùm etiam ad hoc me adhortatus sit admodum R. D. Franciscus de Bellis V.I.D. Neapolitanus Canonicus, non solùm à felice recordatione Annibalis de Capua tunc Archiepiscopi in examinandis sacerdotibus ad audiendas confessiones deligen-

dis, ac ad Ordines Ecclesiasticos promouendis electus, atque inter magnos Pœnitentiarios deputatus, sed etiam ab Illustriss. ac Reuerendiss. Alphonso Gesualdo S.R.E. Cardinali, sacrique Collegij Decano, nunc autẽ Archiepiscopo Neapolitano in omnibus confirmatus, quem ego ob eius conspicuas virtutes præcipuo amore complector, iam in tantum laborem tempus insumere, vt in illo me exercendo aliquid ediscere, vtq; ne tempus frustra contererem, operæpretium mihi visum fuit, innixus Domino, qui linguas infantium facit disertas, & mutos loqui, demum ex vulgari sermone in Latinum illam redegi, tum tantorum virorum hortatu, tum etiam, vt qui præ manibus libellum istum habere nolebant, asserentes illum nequaquam decere disertos viros Latinam linguam non ignorantes, nunc illos ei operam nauare non pigeat, cùm Latinè sit redditus. Suscipe igitur munusculum hoc, quod Amplitudini tuæ Illustriss. ac Reuerend. Præsul dicare veritus minimè sum, vt animum erga te meum ostenderem eximium, cùm à teneris annis te semper dilexerim, quibus tui specimen non tantùm mihi, sed omnibus quidem dedisti, quapropter nunc maxima afficior lætitia, quia me nequaquã mea fefellit opinio, cùm non immeritò S. D. N. Clemens Pont. Max. ob mirificos mores, præclaras, eximiasq; virtutes, quibus te præditum iam omnes agnoscunt, te ad Vrbis Crotonis Episcopatum

tum

tum elegerit. Præterea in admiratione omnium es, cùm tu ex tam perilluſtri, ac vetuſta familia ortus, ſpretis illecebris, tam humilem, religioſamq́; degas vitam, ſingularem oſtendens pietatem in omnes, maximè religioſos viros, quos fraterna quadam ſemper amplexus es beneuolentia: maximaq́; vigilantia in oues tibi creditas, quas & opere, ac verbo continuò paſcis, atque tueris, vnde meritò, iuxta Bernardi ſententiam, humilitas tua dici poterit humilitas honorata, cùm in abiectione humilem eſſe nequaquam aliquid videatur. Benignè ergo illud ſuſcipe, ac tueare, quod licet exiguum ſit, magnus tamen amor non defuit maiora tibi dicandi, ſi maiores mihi vires extitiſſent. Interea vale digniſſime atque ampliſſime Præſul, Decus de Montibus familiæ, quam perilluſtrem tu Illuſtriſſimus ſummopere decoraſti. Neapoli ex Ædibus Diuæ MARIÆ de populo, Die 23. Octob. M.DC.



OCTAVII CONFORTINI PRESBYTERI NEAPOLITANI V. I. D. ad Lectorem Carmen.

Hesperiæ hæc solùm fuerant audita per oras,
Medinæ ingenui dogmata scripta manu,
Antea quæ Latium propria cùm voce laterent,
Nouimus & nostra denique voce dari.
Nō tamē hæc Anglus distās, nō Gallus habebat,
India nec tantum viderat omnis opus.
Vtile non lectum fuerat: via namque salutis
Panditur hoc vno, non manifesta prius.
Sed studio vigilans intenta mente Raphael
Audiri hæc voluit dicta labore suo.
Omnibus hæc dantur: Medinæ nota per orbem
Cæsaris eximij reddere lingua potest.
Hinc duplices poteris fructus libare: Raphaël
Ipse dabit stilum, dum liber iste docet.

IOANNIS FRANCISCI LOMbardi Neapolitani hexasticon

Ad Lectorem.

Summula Medinæ Hispano ex idiomate nostræ
Italiæ quæ oras attigit, ecce modò
Romano eloquio ornatur Raphaelis ab arte
Cæsaris, vt verè sit medicina potens.
Allecti sic presbyteri sermone Latino
Euoluent facile dogmata sacra Biblωn.

PRO-

PROLOGVS
AVCTORIS

Ad Patres Confessarios Conuentus Sancti S T E P H A N I *Salmanticæ.*



LARVM, atque perspicuum est, diuturna experiẽtia cõprobatum, Patres in Christo charissimi, quàm vtilis ac necessaria sit in toto terrarũ orbe ars curandi tam corpus, quàm animam, cùm vtrunque nõnullis grauibus periculis, ac varijs infirmitatibus subijciatur, quas maximo cum labore euaderent homines, nisi humanissimæ medicinæ beneficium inueniretur. Quamobrem Deus noster, & Dominus, tanquam cunctarum rerum gubernator & auctor, quas iuxta ordinem sapientiæ suæ suauiter disponit, cuicunque tribuens necessaria secundùm suam naturam, prouidere voluit humano generi corporalem medelam & spirituale ad curandam & conseruandam & animæ & corporis sanitatem. Nam vt curaret corpus, proprietatem ac virtutem herbis exhibuit, & plantis, atque lapidibus, & quæ corporalibus medicis detexit: vt autem animę conferret salutem, sacra instituit Sacramenta, communicans illis passionis, & sanguinis Christi Redemptoris nostri virtutem, & efficaciam, quorum ministerium tribuit sacerdotibus, qui spirituales sunt medici. De huiusmodi medelis, & medicis ait Sapiens, primumque de corporis medicina, tanquam magis cognita, ita disseruit: *Honora medicum propter necessitatem: nam ob tuum remedium creauit illum Altissimus: à Deo enim est omnis medela. Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Sed quoniam Deus per ministros hanc adhibet curam, statim sequitur, dicens: *Da locum medico: etenim illum Dominus creauit, & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria. Erit enim tempus, quando in illius manus incurras*, quod tunc erit, cùm tempus confessionis aduenerit, *& ipse Dominũ deprecâ-*

precabitur, vt tibi conferat ſanitatem. Ex quo clarè colligitur, quòd loquitur ille de medicis animæ: nam corporales medici non exhibent medicinam cum deprecationibus. Sed cùm huiuſmodi medicinæ adeò inter ſe differre videantur, differunt etiam infirmitates, contra quas ordinãtur. Infirmitas etenim corporis euenit homini contra eius volũtatem: at infirmitas animæ contingit ex electione, atque conſenſu liberi arbitrij. Hinc oritur alia differẽtia inter infirmos: nam qui infirmantur corpore, cùm eorum infirmitatem excogitent, ac peroptent ſanitatem, prorſus ſubijciuntur medicis, nec parum quidem illorum tranſgrediuntur præcepta, non ſolùm cùm ſuaues medelas, quæ dum guſtantur dulces ſunt, verùm etiam cùm exhibent eis amarulenta pocula, cumq́ue dietam, atque inediam ordinant, vtq́ue aquam bibant, cùm carnes aperiunt ignito gladio, quæ omnia æquo animo ferunt, incolumitatem corporis cupientes, quod tam eſt corruptibile, potiſſimum verò illis, qui tam ſeuerè eos tractauerunt, non exiguã mercedem ſoluunt. At qui ſpiritu infirmãtur, cùm ex propria voluntate incidant in infirmitatem, ſæpe delectantur ea, periculum nequaquam agnoſcunt, nec vulnera aliquo eos afficiunt dolore, *ſicq́ue* medelam non expoſtulant. Iſai. cap. 1. *A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eis ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens non eſt circunligata, neque fota oleo,* & tamen ita læti videntur, & tuti, ac ſi nullo morbo laborarent. Si nonnunquã aliquis arte pollens medendi animas, cùm de illius miſeria doleat, ac neceſſitate, aliquod adhibere remedium voluerit, periculum demonſtrans non agnitæ veritatis, errorum grauitatem, ac rupes, ex quibus ſe præcipites dederunt, viam Domini deſerentes, non ſolùm aures illius verbis præbere nolunt, ſed tanquam phrenetici medelam contemnunt, quæ vitam præbere illis deberet: nam cauterij rigorem ferre non poſſunt, quod eorum putrida vulnera exquirunt. Huiuſmodi illorum infirmitas erat, de quibus loquitur Iſaias: *Hic eſt populus, qui ad iram prouocat, mendaces filij, non curantes audire legem Dei, qui videntibus dicunt nolite videre,* defectusq́ue eorum contuẽtibus, vt eos corriperent, aiũt, nolite intueri quod nos decet, & ſpectat, quinimò loquimini

mini

mini, quæ nobis afferant voluptatẽ, errata nostra dissimulantes ac infirmitates, nec de illarum curatione dissferatis: nolite de æterna vita loqui, nec de cælesti patria sermonem habere, nec arctam viam cæli ostendere studeatis, neque de sanctis Israel verbum vnum saltem facere velitis. Tales sunt nonnulli infirmi voluntarij, qui proprio damno delectantur, eius curationem abhorrentes At quemadmodum corporales medici, quamuis ægroti malæ sint conditionis, æquo animo eos ferunt, & licet ab eis contumeliosis verbis afficiantur, & nonnunquam verberibus, vt contingere solet, cùm illi ira perciti dignoscuntur, non ideo qui veri medici sunt cõmouentur, imò tunc alligant vulnera, emplastrum applicant, atque cuncta quæ adhibenda sint remedia excogitant, vt eos reddere possint incolumes, quod ipsi ob eorum dementiam non existimant. Ita quoque medici animæ suos debent infirmos curare, hac diligentia & fortitudine, hac patiẽtia & charitate, imbecillitates eorum subleuantes, impetus cohibentes, erratis opitulantes, æquo animo ferentes importunitates. Et quamuis omnium Confessariorum onus sit istud, magis præcipuum, Patres mei, vestrum est, quàm cæterorum omnium Ecclesiæ sanctæ Dei, Prælatis eius exceptis. Non enim ignoratis gloriosi Patris nostri Dominici esse Ordinem institutum ad animarum salutem adipiscẽdam. Hanc ob causam commendauit nobis Dominus duo ministeria, primum prædicandi verbum Dei, iuxta id, quod eius nomine, ac omnium Apostolicorum prædicatorum loquitur Paulus, posuit in nobis Deus reconciliationem, quam operatus est Christus Redemptor noster. Itaque ad nos attinet esse legatos, & nũtios Dei, qui per os nostrum loquitur, rogans vos per Christum vt reconcilietis vos Deo. Secundum ministeriũ est Sacramenti pœnitẽtiæ administratio, in quo dedit nobis Deus potestatẽ curandi, atq; consolandi animas, ac remittendi peccata. Sacramentũ istud tãti momẽti est, ꝙ cùm eius ministri exercere illud nesciãt, mũdus tot repletur ruinis, atque miserijs. Et quamuis verũ sit, officiũ prædicandi nimiũ eminere, ac excellere in Ecclesia Dei, nihilòminus administratio Sacramenti pœnitẽtiæ, ac peccata condonandi, animasq; soluendi nõ est hoc inferior

ferior quo ad dignitatē, imò tanquā fideles germani, ac socij ad animarū salutem quærendā sibi inuicem opem ferunt, & opitulantur: nā persuadet concionator ad dolorem excitans delinquentes, & pœnitudinē peccatorū concipiendam, ad propositum se emendandi, ad desiderium quærendi Christum, suamq; salutem. Veruntamē qui salutē hanc tribuit efficaciter, est Cōfessarius, curās animas verbo virtutis Dei. Sunt in hac parte prędicatores, atq; Confessarij tanquam boni Israelitæ, qui muros Hierosolymæ, de quibus Scriptura 2. Esdr. 4. loquitur, reædificârunt, cùm media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum aduersus inimicos ædificium præpedire conantes. Quoniā ex Christi sacerdotibus, tractantibus de hoc spirituali ædificio prouectus animæ, pars media, nempe prædicatores armati esse debent gladio verbi Dei ad decertandum cōtra aduersarios animarū conuersionem præpedientes: pars aūt altera, Confessarij videlicet, exercere opus debent, expolitos reddendo viuos lapides, lapicida eos incidendo, ac malleo suarū obiurgationū, & cribro diuinæ legis euentilando, vt habiles, idoneosq; efficerent, quo in superno ædificio cælestis Hierusalē reponi possint. Quinimò oportet vt optimus quisque Confessarius vtrunque habeat: nam altera manu tenere gladium debet, altera verò conficere opus, hoc est prædicare, & confessiones audire. Sciat & allicere, & suscipere: ideo de bonis operarijs illis dicitur, quòd vnusquisque illorum qui operi incumbebat, gladio erat accinctus: nam necesse est, vt Confessarius verbum Dei optimè agnoscat, sacramque intelligat legem, vt peccatoribus persuadere, atque illos ad Deum conuertere non ignoret. De exercitio istorum duorum ministrorum mirificum nobis præbuit exemplum Christus Dei Filius, quoniam prædicatione sua, quæ quidem verbum erat æternæ vitæ, corda inflammabat, ac accendebat ad quærendum illum, qui vera salus, & vita est, illosque, quos accenderat, ac propria traxerat virtute, ardenti amore suscipiebat, quos tanquam pius, & misericors medicus à cunctis curabat languoribus, ac infirmitatibus, quamobrem Samaritano se comparauit, qui cùm miserabilis hominis illius misertus sit, quem latrones spoliauerant, ac

vul-

vulneribus affecerant, medetur eum, alligans eius vulnera, oleum, & vinum infundendo. Itaque prædicatoris est vocare, Confessarij verò suscipere. Primus vocibus suis feram excitat, secundus occidit. Prædicator adoritur opus, Confessarius autem illud adortum perficit. Illius etenim adhortationes, cùm sint peculiares, maiorem habent vim, quàm illæ, quibus vtitur prædicator, quæ generales sunt, ideoque non adeò cõmouent: nam quemadmodum Arist. ait, actus, ac verba generalia non ita mouent, vt illa, quæ peculiariter dicuntur. Demum prædicatores nuntij sunt à Deo missi, qui inter populos discurrunt in plateas, & vicos, omnes gentes inuitantes ad nuptias immaculati Agni. Confessarij verò ad ostium stant aulæ Regis, & clauibus Petri ostium aperiunt inuitatis, quos ad æterna introducũt gaudia. Ad hos mittunt Prædicatores conuersas animas, vt postea ipsi reconcilient eas Deo, & causam decernant, quorum absolutio, aut retentio rata est in cælo. Cùm ergo conspicuum sit Confessarij munus tanta in Ecclesia Dei auctoritate pollere, non possunt id rectè cogitãtes quin maximo afficiantur dolore, cùm perspiciant quonam modo res se habeãt, quodve ignorantiores sacerdotes, qui nec in sacris literis exercitati sunt, animarum curam suscipiant, insignes verò Theologi, atque Canonistæ eorũ officium parui pendunt, imò æstimationẽ perdere cogitant, atque scientiam, si quis ad eos tanquam Confessarios, ac medicos se vellet conferre. Hæc intolerabilis est peruersitas, & vulnus horribile, hisce temporibus miseris. Ideo populus Dei infirmus est, imbecillis, perterritus, ac perditus, quoniam in Israel medicus non inuenitur, qui medelam applicare non ignoret. Hac ergo de causa peccatores non se emẽdant, augent peccata, ac eorum inũdatione terram submergunt, cùm in ea curandi animas non inueniatur scientia. Redeamus ad nos igitur Patres mei, ac intueamur hoc ad nos attinere, delectemur nostro ministerio, vbique Christi vnguentum esse conspiciamur; non sit populus, in quo nõ videatur Dominicanus frater, qui animas curet, remedium infirmis adhibeat salutare, mortuos suscitet, atque mirifica faciat prodigia. Sed vt habentes necessariam doctrinam diuinæ huius

artis

artis curandi animas, maiori cum viuacitate vos ipſos accendatis ad eam exercendã, libellum iſtum edidi, non vt Summam de conſcientiæ caſibus conficerem, quemadmodum Caietanus, ac nonnulli fecerunt, ſed opuſculum quoddam, vt ſpiritualem medicum edocerem, in quo quicquid ex Dei munere diuturna experientia iam agnoui, ordinario quodã ſtylo poſui, lectiones ſanctorum perlegẽdo, cum expertis, ac peritis medicis verſando, ac ex quàm plurimis auctoribus, præcipuè verò ex admodũ Reuer. Viro Aloyſio à Granata nonnulla loca excerpta eſſe conſpiciuntur. Nemini igitur labor noſter inanis eſſe videatur, poſt tot Summas à nonnullis diſertis viris editas, cùm plures ex illis magis theoricam, quàm practicam edocere voluerint. Subtiliter de peccatorum genere diſputârunt, ac quanta, quotve ſint peccata mortifera, quot venialia, ſed negotiũ hoc practicè nequaquam tractârunt, nec edocuêre modum huiuſmodi applicandi medelas: qui illis comparantur, de quibus Plutarchus in principio moralium ſuorum loquitur, quòd lucernam accommodant, illãque elychnio muniunt, ſed poſtea oleum in ea non ponunt, vt illa lumen reddere valeat. Secus autem ego in hoc opuſculo intendi: nam præcipuè medicum edocere decreui, qui non ſolùm de cæleſti medicina loqui non ignoraret, ſed eam exercere, atque exhibere ſciret, illamque induſtriè infirmis applicare: propterea in libello iſto, quonam modo expertus medicus animas cuiuſcunque ſtatus arte ipſa curare valeat, aſſertum fuit. Monere vos etiam volo, quòd, vt ipſi ſcitis, diebus non longè decurſis, methodum cõfeſſionis vos edocui, quod quàm plurimi ſcholaſtici ſcriptis mandârunt, à quibus alij nonnulla habuerunt exempla, in quibus aliquod erratum inueni, quod in alijs eſſe putaui. Quamobrem libellum hunc inuitus edidi, vt quidnam ego ſentiam, conſpicuum eſſe videretur, vtque alij ex hoc normam haberent. Quod ergo huic conforme nequaquam fuerit, meæ non adhæret ſententiæ. Vtinam opus iſtud, in quo gratificari Deo nixus ſum, Reipublicæ Chriſtianæ ſit emolumento, veſtrum leuamen, gloria, & honor Dei in Chriſto Ieſu Redemptore noſtro, qui animarum verus eſt medicus.

INDEX

INDEX CAPITVM OMNIVM TOTIVS OPERIS.

Quæ in primo Libro continentur.



Quatuor

De

Quæ in secundo Libro continentur.

Indicis Capitum finis.



INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM HVIVS LIBRI.

Dele-

D.

E

Eleemo-

P

Q

resti-

Simo-

FINIS.



DE IN-

INS

C

R. P.

A

De r



necessa

condo

illud

regene

Spiritu

ab ipso

cuius a

Su

DE INSTRVCTIONE CONFESSARIORVM,

R. P. MAG. F. BARTHOLOmæi à Medina, Ordinis Prædicatorum,

Ex vulgari lingua Latinè reddita

A R. D. RAPHAELE DE CÆSARE,

Liber Primus.

De necessitate, & vtilitate Pœnitentiæ.. Cap. I.

SI tantus amor, tantaqúe erga Deum in hominibus gratitudo perstitisset, vt gratiam ab eius benignitate semel adeptã tuerentur tam solerter, ac diligenter, quòd in ea vsque ad extremum vitę perseuerarẽt, necessarium nequaquam foret ob peccatorũ condonationem aliud Sacramentum, quàm illud baptismi, quo propter Christi merita regeneratur homo ad spiritualem vitam, & Spiritus sancti gratia mediante, ex filio iræ ab ipso Deo in adoptionis filium suscipitur, cuius anima ornatur gratia, atque virtutibus

infusis nobilitatur. At quoniam ingratus homo, ac diuinorum beneficiorum immemor, iam ea contemnit, & quemadmodum prodigus ille filius, relicta paterna domo, in regionem longinquam se conferens, patrimonium dissipat, quod à patre suscepit, sicq; pauper euadit, egenus, atque famelicus, & quod deterius est, à paterna eijcitur gratia, cùm magis creaturas, quàm Creatorem ipsum dilexisset; ideo pernecessarium est ei remedium pœnitentia, quo Deum sibi iterum reconciliet, ac eius amissam adipiscatur gratiam. Hanc ob causam misericordiarum Pater, qui creaturæ suæ fragilitatem agnoscit, *nec vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat*, sæpe in veteri Testamento, nunc minis, nunc verò blanditijs, atque promissis ad pœnitentiam peccatores vocabat: in Nouo autem, priusquam Redemptor noster Christus ad alia aggrederetur, enuntiandi causa Euangelium suum: *Agite pœnitentiam*, ait, *appropinquauit enim regnum cælorum*; cùm idem Ioannes Baptista eius præcursor prædixisset, quod etiam fecerunt Apostoli ex Christi institutione, cùm primùm prædicare cœperunt: vt tot nuntijs iam præmissis, nemo ignorantiæ excusationem posset afferre, ac necessitas clarè perspiceretur, qua peccatores coguntur pœnitentiam agere, vt salutem consequantur, iuxta illud Christi dictum in Euangelio Lucæ cap. decimotertio: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Grandis vtilitas, quæ ab hoc tam salutari Pœnitentiæ Sacramento per-

percipitur, iucundiſſimiqúe fructus, qui ex hac carpuntur arbore, paucis verbis comprehendi minimè poſſunt. Per pœnitentiam etenim, Dei miſericordia mediante, nobis peccata condonantur, reſtituitur gratia, cæleſtiqúe digni efficimur gratia. Hæc contritos ſanat, curat infirmos, ligatos ſoluit, ſolutos ſeruat, viuos reficit, mortuos ſuſcitat, eliſos erigit, deſperatis ſpem affert. Per pœnitentiam obtinet peccator Dei miſericordiam, eiq; regnum ſpondetur cælorum. Per hanc vno quidem verbo eam conſequutus eſt bonus ille latro. Per hanc regius ille Propheta Dauid, cùm deliquiſſet, accipere Spiritū ſanctum promeruit. Per hanc Manaſſes, vbi grauia commiſiſſet facinora, veniam impetrauit. Per hanc Apoſtolorū Princeps, cùm ter Chriſtum negaſſet, erroris ſui condonationem inuenit, atque Eccleſiæ caput effici meruit. Per hanc filius prodigus ad patrem reuerſus, non ſolùm amplexus, ac blanditias paternas meruit obtinere, ſed & ſtolam primam, atque conuiuium, feſtamqúe ſolemnem. Per hanc publica peccatrix lachrymas tot emiſit, quibus Ieſu Chriſti pedes lauit, ac capillis capitis ſui terſit. Per hanc ciuitas Niniue non ſolùm mortem euaſit, quæ iam imminebat, ſed coronam adepta eſt, & veniam peccatorum. Sed vt vno verbo finem imponam, pœnitentia quædam eſt Theriaca cælitus miſſa, qua peccati venenum expellitur, ac medelæ omnibus damnis confertur, quæ ab eo proficiſcuntur.

Quid sit Pœnitentia. Cap. 2.

POENITENTIA, iuxta Theologorum sententiam, dupliciter consideranda est, aut vt virtus, aut vt Sacramentum. Pœnitentia, quatenus est virtus, est quoddam odium peccati, & quidam dolor propter offensam Dei, cum proposito eum amplius non offendendi. Quam definitionẽ breuiter collegit Beatus Ambrosius, dicens: Pœnitentia consistit in plangendis peccatis præteritis, iterum ea non admittẽdo. Adeò quòd huiusmodi virtus duas in se præcipuas continet partes; prima est pœnitudo præteritæ vitæ, secunda verò propositum eam in posterum emendandi, & non absque efficaci ratione. Nam quemadmodum in naturalibus rebus perspicimus, quòd sapiens legislator tollere abusus satagit, atque prauos mores, qui in Republica esse videntur, priusquam iustas cõdat leges; prudens hortulanus antequam bonas seminet herbas, malas euellit; ac peritus medicus putridam incidit carnem, priusquam ad medendũ aggrediatur: ita & in rebus gratiæ, oportet vt primùm nos à peccatis abstineamus, vt postmodum virtutes amplecti, easq; exercere possimus. Hæ sunt duæ partes iustitiæ infusæ, quas in Psalmo Propheta nos edocuit, dicẽs: *Diuerte à malo, & fac bonum.* At animaduertendum est, quòd dolor iste, ac odium peccatorum, de quo nunc loquimur, esse nequaquam principaliter debet ob amorem alicuius rei temporalis, nempe

pe bonorum, honoris, aut vitæ, & quod magis est, ob timorem iudicij, neq; gehennę ignis æterni, nec ob cælestem gloriam, sed quia Deum offendimus, summum bonum, deserentes eum, ob inordinatum amorē, quo prosequimur creaturas. Ex hoc *primum* colligitur, quòd ad hanc virtutem verę pœnitentiæ consequendam, non sufficit peccatorum dolor, pœnarum inferni metus conceptus, aut ob amissionem gloriæ paradisi, sed necesse est, vt dolor concipiatur ob offensam Dei, super omnia diligendi. Nam quemadmodum malum maius, quod oritur ex peccato, est amissio Dei, ac eius gratiæ, ita debemus de hoc præcipuum habere dolorem. *Secundò* colligitur, quòd, vt hanc virtutem pœnitentiæ adipiscamur, non satis est imperfectus dolor, à Theologis attritio nuncupatus, qui iunctus Sacramento pœnitentiæ sufficit ad peccatorum remissionem obtinendam, veluti postea dicemus, sed requiritur contritio: nam virtus ista, de qua loquimur, non est Sacramentum, & sic virtute propria atque efficaci peccata dimittit, &, vt aiunt Theologi, iuxta dispositionem eius ipsam concipientis. *Tertiò* notandum est, non oportere, quòd dolor iste peccatorum sit sensibilis, nec vt lacrymis, aut gemitibus, aut his similibus ostendatur; sed satis est, vt interiori anima sentiatur displicentia quædam peccati, ac eius detestatio, nolens illud admisisse, si possibile foret, per cuncta à Deo creata, cum dolore quodam se non posse tam pœnitere, quàm opus esset: nonnũquam

enim magis valet dolor iste, quàm alij dolores sensibiles. Demum ad dolorem huiusmodi accedere debet quoddam verum ac firmũ propositum amplius Deum non offendendi vllo vnquam tempore, aut aliquo euentu, ob amorem Dei principaliter. Hoc est, quod in se continet pœnitentiæ virtus, quæ alijs cum virtutibus moralibus infunditur, cùm iustificatur peccator, ac adeò necessaria est, quòd absque illa salutem consequi nemo potest, nisi tribus in casibus; *primus* est martyrium, nam in illo cuncta remittuntur peccata sine pœnitentia, cùm absque interposita mora ad martyrium ducitur martyr ipse. *Secundus* est quando ex aliqua naturali obliuione non reminiscitur homo alicuius peccati, quoniam tunc nõ redditur obnoxius ad huiusmodi pœnitentiam concipiendam. Deus enim, qui omnia suauiter disponit, ad id non obligat, quod moraliter impossibile est. *Tertius* casus est, cùm iustificatur homo virtute Sacramentorum: nam in tali casu, vt infra dicemus, sufficit dolor offendisse Deum, quamuis imperfectus esse videatur.

De Pœnitentia quò ad Sacramentum. §. 1.

POenitentia vt Sacramẽtum, in hunc diffinitur modum: Est Sacramẽtum condonationis peccatorum, quo sacerdos auctoritate Christi à peccatis post baptismum admissis absoluit. Dicitur Sacramentum, quia exterius est signum rei sacræ, atque secretę, quæ remissio est peccatorum, atque interior gratia.

dicitur

dicitur de peccatis post baptismum cõmissis: nam ea, quæ ante baptismum committuntur, sunt per illum largissimè iam dimissa. Quam ob causam Diuus Hieronymus nõ absque ratione, Sacramentum pœnitentiæ vocat secundam tabulam post naufragiũ, quoniam velut ille, qui in tempestate aliqua amisit nauigiũ, aliqua indiget tabula, qua teneatur, ne obrutus remaneat aquis, ita & ille, qui in tempestate peccati innocentiam perdidit baptismalem, indiget pœnitentiæ Sacramento, vt in profundo inferni ne demergatur. Hoc Sacramentum duabus ex actionibus perfectum est, altera pœnitentis, qua indicat se velle peccata euitare. Altera sacerdotis, qua pœnitenté absoluit ab eis. *Materia* huius Sacramenti sunt actus pœnitentis, & peccata sunt quædam remota materia: *actus* isti, vt Florentino Concilio atq; Tridentino perspicitur, *sunt tres*, cordis cõtritio, oris cõfessio, ac operis satisfactio. Vbi cõsiderandũ est, quòd sub hoc cõtritionis nomine, non intendimus hic solùm dolorem illũ perfectum peccatorum, qui tantùm concipitur ob offensam Dei, in quo essentialiter consistit pœnitẽtia illa, quæ virtus est, de qua nuper disseruimus, sed attritio quoque, quæ dolor est imperfectus propter Dei offensam, licet metu pœnarum inferni à pœnitente concipiatur, aut ob diuinorum donorum amissionem. Quoniam quamuis ex se ipso dolor iste imperfectus non satis sit, vt anima viuat, reconciliando illã Deo; attamen iunctus Sacramento suscitat eam, eiq; gratiã elargitur,

faciens, vt asserunt Theologi, hominem ex attrito contritum, ideoq; hoc nũcupatur Sacramentum mortuorum: nam licet pœnitens in peccatum prolabatur, tamen attritione sola, ob Sacramenti virtutem, gratiam recipit, atq; remissionem: non secus à sacro Tridentino Concilio terminatur, in quo differt hoc Sacramentũ à Sacramento Eucharistię, ad quod accedere non debent, nisi qui gratia viuunt, nam tantùm isti edere possunt. Sed ad illud pœnitentiæ accedunt etiam mortui, nempe hi, qui mortifero peccato sunt irretiti, vt suscitentur, & ex peccatoribus fiant iusti. Quamobrem dignè accedit peccator ad medelam hanc, quamuis clarè agnoscat se talem esse, id est, non habere perfectum dolorem illum, quem debet habere. *Secundus* actus est vocalis confessio cunctorum peccatorum, quæ reminiscitur, facta proprio sacerdoti. *Tertius* est operum satisfactio, iuxta arbitrium Confessarij, quæ præcipuè fit ieiunio, oratione, atque eleemosyna. *Forma* huius Sacramenti est: *Ego te absoluo*, cætera verba quæ ante, ac postea à sacerdote adduntur, non sunt de essentia Sacramẽti, sed non ideo sunt omittẽda.

De effectu atque fine huius Sacramenti. Cap. 3.



PRIMVS, ac principalis effectus, qui ex hoc Sacramento oritur in anima illud recipientis, & quare fuerit illud immediatè institutũ, est ei condonare peccata, illumq;

Deo conciliare, vt in eius redeat gratiã, quam amiserat. Postea sequitur remissio æternę pœnæ inferni, ac humilis sui ipsius vilitatis cognitio, pax, quies, atque serenitas conscientiæ, quam comitatur magna spiritus consolatio, augmentumq́ue donorum Dei. Præterea satisfacit homo Deo per opera temporalia, quæ ipsi Deo elargiatur ob sua crimina, tandem disponitur ad dignè sumendum Eucharistiæ sanctissimum Sacramentum, quemadmodum docet Apostolus ad Corinthios dicens, *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quæ quidem probatio, cùm mortale peccatum fuerit ante commissum, fieri debet in confessionis iudicio, vt diffiniuit Tridentinum Concilium sess. 13. cap. 7. & can. 2. Longus progrederetur sermo, si asserere fructus, vtilitatesq́ue voluerimus, quos hæc salutaris medela veris pœnitentibus affert: sed de hoc aliquid 1. cap. differuimus, ac deinceps vberius pertractabimus.

De ministro huius Sacramenti. Cap. 4.



RATIO *prima* efficax, principalisq́ue huius Sacramenti Christus est, Redemptor noster, & Dominus, qui tam salutiferam, tantiq́ue momenti instituit medicinam in remedium nostrorum peccatorum, conficiens eam virtute diuinitatis suæ, ac debilitate humanitatis nostrę. *Secunda* instrumentalis ratio, & minus principalis, est sacerdos, qui huius Sacramenti minister est.

Nam Christus noster Dominus hanc auctoritatem sacerdotibus tribuit, & potestatem dimittendi peccata, quando discipulos suos alloquens, & in eis etiam posteros intendebat, dixit ad eos in Euangelio Ioannis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et in Euangelio Matthæi: *Quicquid ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis; & quicquid solueritis super terram, erit solutum & in cælis.* Minister ergo huius Sacramenti est sacerdos, qui iurisdictionem habet ordinariam, sicut Papa, Episcopus, aut Curatus, vel Prælatus, aut iurisdictionem delegatam habet, veluti fratres. Hunc ministrum in hoc tractatu intendimus nos & docere atque instruere. Quemadmodum igitur, qui exercere artem intendit, primùm indiget, vt se ipsum idoneum efficiat, atq; dignoscat ad illud officiũ rectè obeundũ ipsius artis ediscẽs regulas, prouidens sibi necessaria instrumẽta ad illã exequendã, postea verò opus est vt operis sui disponat materiã, statimq́; in materia disposita formã inducere, ac postremò rem ipsam ad perfectũ consummatumq; finem redigere: ita & Confessarius huius Sacramenti minister, vt rectè officio fungatur suo, atque vt prudenter hanc salubrem, ac spiritualem applicet medicinam, oportet vt quatuor hæc, quæ sequuntur, obtineat. *Primò*, quod ad se ipsum pertinet, opus est, vt sit idoneus, sufficiensq́ue minister ad hoc tanti ponderis ministerium exercendum, atque vt remedia non ignoret, omnia-

omniaqúe instrumenta necessaria habeat ad spirituales morbos curandos. *Secundò*, est ab eo Sacramenti materia disponenda, quæ sunt actus pœnitentis, eum adiuuando interrogationibus, monitionibus, atque consilijs, vt id peragere queat, ad quod obnoxius est, circa confessionem, contritionem, & satisfactionem. *Tertiò*, debet absolutionis præbere formam, cum ordine, ac discretione illa, quæ decet, vt suos consequatur effectus. *Quartò*, vt finem Sacramenti consequi possit, satagere debet, vt pœnitens non solùm se Deo reconciliet confitendo, ac dolorem præteritorum peccatorum concipiendo, sed vt reuera vitam emendet suam in posterum, ac pacem adipiscatur, & spiritus consolationem, & ad augmentum glorię se disponat.

De conditionibus, quas Confessarius habere debet, ac de scientia in communi.

Cap. 3.



QVo ad primum, quod ad ipsum Confessarium spectare videtur, quinq; sunt necessaria, vt competenter munus suũ exerceat, vt satis rectè annotauit Caietanus, nẽpe scientia, potestas, bonitas, prudẽtia, atq; secretũ: quibus ego fortitudinẽ addo, animũq; quo accinctus debet ille esse ad huiusmodi officiũ exercendũ. Quo ad sciẽtiam clarum est, atque perspicuum, eam pernecessariam esse Confessario, vt infirmitas animæ agnoscatur, ac vt opportuna medicina valeat applicari.

Theo-

Theologi verò clarè ac distinctè non aiunt, quanta, qualisve debeat esse scientia ista. Diuus Thomas in quarto in declaratione literæ ita de ea disseruit: Scientia Cõfessarij, quoniam maior non est, quæ inueniri possit, tanta esse debet, quæ distinguere, ac discernere non ignoret peccatum ab eo, quod peccatum non est, mortiferumq; peccatum à veniali, & in casibus dubijs ei occurrentibus sciat dubitare, donec se doctiores, atque peritiores consulat. Albertus Magnus ait sacerdotem obnoxium esse tantùm ad sciendum discernere in communi, quænam sint peccata capitalia, quæ venialia suo genere, & natura: & addidit, quòd Confessarius, qui hoc nesciens audit confessiones, mortaliter peccat, eoq; magis, qui eum ad illas audiendas admittit, ac ille etiam, qui eundem hoc Sacramentum ministrare permiserit, cùm illius sit onus, eũ prohibere. Caietanus de scientia differens, qua pollere debet Cõfessarius, sic ait: Circa scientiam Cõfessarij terminatur in c. omnis vtriusque sexus, de pœnitentijs & remissionibus, quòd sit modestus, & cautus, vt veluti Chirurgus optimus vino lauet vulnera, super ea infundens oleum, fiat certior de circunstantijs peccatoris, atque peccati, ex quibus prudenter cognouerit quonam modo ei consulere debeat, ac remedium, quo ille indiget, varijs vtens medelis, vt ægrotum reddat incolumẽ. Ex quibus superius assertis, clarè colligitur Confessarium duabus indigere scientijs. *Prima*, vt interrogare non ignoret, ac circunstanti-

ſtantias peccatoris agnoſcere atque peccati, ſtatumq́; illius. Hęc eſt ei perneceſſaria in omni caſu, cùm ſit Iudex ſpiritualis in foro conſcientiæ, & ſuum eſt ſententiam ferre iuxta allegata & probata pœnitentis, qui reus, & teſtis eſt: quod rectè agi nequaquam poteſt, ſi præaſſerta notitia non habetur. Quã ob cauſam, inquit Diuus Auguſtinus, oportet vt ſpiritualis iudex dignoſcere ſciat quicquid ab eo ſit iudicandum. *Secunda* ſcientia, quæ requiritur in Confeſſarió, medela eſt, qua curare ægrotas animas valeat: nam illarum ſpiritualis eſt medicus. Sed quoniam hoc medici miniſterium propriè ad eum non ſpectat, ſed ſimilitudinariè, ac metaphoricè, nec totum illius eſt onus, niſi paſtor ſit, atque Prælatus, ideo ſcientia hæc non eſt ei tam neceſſaria, ſicut prima. Neceſſe eſt ergo iuxta ſacros Canones, vt Confeſſarij tanta ſcientia ſit, vt peccatoris ſciat circunſtantias, & peccati, aut Latina, aut vulgari lingua; & quia inter alios iſti numerantur caſus. *Primus*, ſi pœnitens ſit aliqua excõmunicatione irretitus. *Secundus*, ſi ad reſtitutionem obnoxius eſt. *Tertius*, ſi eſt in ſtatu perſeuerandi in mortali peccato. *Quartus*, ſi peccatum ſibi ſuperior reſeruauit. *Quintus*, ſi Confeſſarius in hoc particulari iuriſdictionem non habet ſuper pœnitentem. Hinc eſt quòd tenetur hos primos caſus ſcire quilibet Confeſſarius. Quartum omnes, qui à peccatis reſeruatis non poſſunt abſoluere. Quintum verò omnes Cõfeſſarij, præter Papam, qui vniuerſalis eſt confeſſor totius terrarum orbis:

qua

qua de re si ignorat hæc duo vltima Confessarius, quo ad alia verò sufficiēs est, priusquā pœnitentis confessionem audiat, consulat ei, vt ex doctis viris intelligat, an in aliquā inciderit excommunicationē, ac ab eis certior fiat de casibus reseruatis, & sic illū confitentem audire poterit: nam qui absque hac prima scientia pœnitentem audierit, à mortali non excusatur, nisi accidentaliter, aut ex casu, vel quia pœnitens supplet ad id, ad quod deficit Confessarius, cùm non ignarus sit rerum, quę aperiendæ sunt in confessione, aut quia tam bonę sit conscientiæ, qui talibus laqueis se irretitum esse non sentit. Hoc in loco nō intendimus scientiā hanc esse necessariā, vt teneatur Confessarius scire memoriter omnes iuris excōmunicationes, ac omnia peccata, atq; circunstantias, sed satis est, taliter eas scire, quòd in audiēda confessione scierit dubitare, si adest excōmunicatio, aut facienda sit restitutio, aut si peccatum sit reseruatum, & sic de cæteris, vt aperiens libros, aut aliquem consulendo, in ferenda sententia non sit ignarus. Ratio necessitatis huius scientiæ est, quia qui absque illa iudicis exercet officium, & cæcus cęcum ducit, & ideo, nisi ex casu, nunquā rectè iudicabit. *Secunda* scientia, oportet vt saltem talem attingat terminum, vt sciat Confessarius cor impœnitentis placatum reddere, oleo diuinæ misericordiæ, ac vino diuinæ iustitiæ, & ne longum protraham sermonē, à semetipso adhibere sciat remedia pœnitenti, quę eius saluti sunt necessaria, aut illum monere, vt melio-
rem

rem adeat ac doctiorem, vel saltem seipsum sciat exonerare dicens: Fili elige tibi aliũ: ipse enim conscientię meæ nõ possum satisfacere, tuos casus decernendo. Sotus ad huius declarationem ita disseruit. Procul dubio opus est, vt Confessarius sit scientia prędıtus, quia medicus, & iudex, & tanquam iudex, necesse est, vt examinandi scientiam habeat, & discernendi peccata mortifera, aut venialia, ac eorum circunstantias, iuxta pœnitentium qualitates. Nam perspicuum esse videtur, oportere eos, qui mercatores confitentes audiunt, ac homines negotiatores, aut alijs rebus arduis, ac difficilibus incumbentes, quæ haud faciles sunt, vt in confessione decidantur, doctiores, ac peritiores esse illis, qui populares, ac ordinarias gentes audiunt confitentes, quæ ab huiusmodi rebus, tam magni ponderis, sunt immunes. Quamuis sufficiat, vt sciat Confessarius dubitare, vnde super occurrentia dubia consulat doctiores. Pręter hæc, Confessarius tanquam medicus indiget prudẽtia, vt futura mala mederi valeat. Ab assertis rebus eligunt Theologi tres admodũ notabiles conclusiones, ex quibus *Prima* est, Confessarium, qui sentiens se inscium harum rerum audit confessiones, peccare mortaliter, ac esse damnationis pœnis addictum, cũ huiusmodi ignorantia redundet in graue sui proximi detrimentum, cuius vulnera curare nescit: nam si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt, ipseqúe periculo se ipsum perdendi exponit, atque pœnitentem, de cuius anima

ma

ma Deus strictè ab eo rationem exposcet. *Secunda* est, quòd qui non absque causa dubitat, vtrum hæc ipse possideat, & tamen confessionibus audiendis se offert, aut volũtariè licentiam obtinet, cùm alij sint idonei ad hoc ministerium peragẽdum, mortiferé peccat: nam magno se inijcit discrimini, non sine graui animarum iactura. *Tertia* verò hæc est: Qui ex seipso dubitauerit, si suus Pręlatus pręceperit, vt se ad confessiones audiendas accingat, absque scrupulo id agere potuerit: nam in rebus dubijs tenetur subditus obedire Pręlato.

De scientia Confeßarij in particulari. Cap. 6.

PROPTEREA quòd, vt Arist. ait, doctrina generaliter, aut cõmuniter sumpta, parum, vel nihil solet prodesse, operę pretium erit, quicquid Confessarius non ignorare, atque animaduertere debet, in duodecim ordines, ac rerum species redigere, vt rectius, atque melius se gerere in audiendis confessionibus valeat. *Primò* Cõfessarius scire ac dignoscere debet bonum à malo: nam si hoc ignorat, malum pro bono iudicauerit, & bonum pro malo, sicqúe absque prudentia suo fungitur officio, pœnitens verò salutem, quam expetit, non consequitur. *Secundò* oportet eum discernere quidnam differt mortale peccatum à veniali, &, vt Theologi asseuerant, *inter lepram & lepram*: nam si agere id nescierit, tutò curare non poterit, neque rectè animæ ęgritudinem. *Tertiò*, quòd

pecca-

peccatorum circunstantias noscere opus erit, illas propriè, quæ operis speciem mutant, vt qui rem habet cum maritata, adulter est, & sic mutatur species adulterij: qui verò cum muliere soluta, simplicem admittit fornicationem. *Quartò* scire tenetur casus, quos sibi superior reseruauit, à quibus ille non potest absoluere, & quamuis id agere præsumpserit, nihil fecerit, cùm nec auctoritatem, nec potestatem obtinuerit faciendi. *Quintò* decet illum non ignorare excommunicationem, prȩsertim eas, à quibus absolutionem impendere non valet, simulqúe requiritur, vt alia Ecclesiastica vincula non ignorentur, quemadmodum si est suspensio, interdictum, atque irregularitas. *Sextò* sciendum est, in quibus casibus sit reiteranda confessio. *Septimò* quando est pœnitenti absolutio deneganda, aut saltem differenda. *Octauò* vt peccata dignoscat cogitationis, nam in eis examinandis debet Cōfessarius non paucam adhibere diligentiam. *Nonò* scire debet, quænam sit potestas illa, quam habet, ac quantum extenditur, si ab omnibus potest peccatis absoluere. Si quæ potest etiam ab excommunicatione, vt in casu irregularitatis poterit dispensare. *Decimò* scienda ab eo est lex diuina, iuxta quam & bonum & malum iudicabit: diuina etenim lex, quædam est regula, boni, atque mali, per quam vitia, & virtutes moderantur. *Vndecimò* per necessarium est, vt sciat de pœnitentis peccatis diligenter inquirere, cùm ille non rectè sua dignoscat vulnera, nec ea

detegere sciat: tunc enim Confessarius, tanquam optimus medicus, debet interrogando morbum, qui latet, agnoscere, atque occasionem, ex qua ille profectus sit. *Duodecimò* sciat, vt prudens medicus, medelam afferre, ac futuris malis remedium adhibere, & ideo varias diuersasq; medicinas debet habere: aliquas mites, atque beneuolas, erga debiles, ac imbecilles; aliquas verò rigidas, & seueras, erga duros: alias, quæ infirmitates purgent; alias, quæ ab infirmitatibus custodiant: non enim omnes ægroti ab vna, eademque medicina salutem consequuntur. De omnibus his prolixè tractabimus capite septimo, cæterisque sequentibus. Ad hæc duodecim genera, aut prædicamenta, omnia rediguntur, quę non ignorare debet Confessarius, vt rectè suo fungatur officio, ideoque primum aggrediar.

Quemadmodum à Cõfessario bonum ac malum sit agnoscendum. Cap. 7.



CVM igitur peculiare cuiuscunq; istorum prædicamentorum attigerim, circa primum dico, quòd bonum, & malum debet agnoscere, vitium, atque virtutem. Ad hoc agnoscendum, primùm ei lex naturalis conduxerit, iuxta quam pro bono habere debet, quod rationi consentaneum erit, illudque pro malo, quod eidem aduersari videtur: proderit etiam legis diuinæ intelligentia, cuius explanatio ponetur hîc infra admodum

copiosè. Debet etiam non ignorare peccata, quę communiter mortalia nuncupantur, sed reuera non sunt nisi capitalia: nam sunt velut fontes, radices, & capita, è quibus cætera omnia oriuntur, & hæc sunt septem: Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, & Acidia. & sicut odio habere toto corde debemus huiusmodi vitia, tot mala afferentia; ita & magna cum charitate, si animarum salutem expetimus, assequi debemus virtutes, quæ pręassertis vitijs aduersantur, nempe humilitatem, contra superbiam; liberalitatem, contra auaritiam; castitatem, contra luxuriam; charitatem, contra inuidiam; temperantiam, contra gulam; patientiam, contra iram; deuotionem, seu pietatem, aut officiosam diligentiã, contra acidiam. At animaduertendum est, hæc peccata capitalia semper non esse mortifera, sed tunc solùm, cùm diuinæ legi aduersari videntur, aut sunt contra amorem Dei, vel proximi. Quoniam si quis auiditate quadam intendit diuitias adipisci, ita tamen, quòd lucri causa non cogitat alienum auferre, nec diuinum aliquod præceptum infringere, non peccat mortaliter, licet sit auarus, aut cupidus. Sed nihilominus Auaritia mortale nuncupatur peccatum: ex illa etenim alia peccata nascuntur, veluti sunt proditio, fraus, dolus, periurium, inquietudo, violentia, crudelitas, aut pietatis, vel misericordiæ defectio. Secundùm doctrinam istam iudicandum erit de alijs peccatis capitalibus, quæ in illis casibus tantùm

sunt mortalia, in quibus diuinæ legi contraria esse videntur, cùm sint causa vt aliquod eius præceptum transgrediatur, aut Dei amori, vel proximi obstant. Sed vt huiusmodi doctrina rectius intelligatur, oportet, vt de omnibus mortiferis peccatis nunc disseramus, deq; eorum effectibus, atque ramis, qui ex illis proficiscuntur.

Superbia. §. 1.

SVperbia est quidam appetitus inordinatus præcellendi, aut manifestetur exterius, aut interius contegatur. Et quamuis verum sit, superbiam esse matrem omnium vitiorum, ac peccatorum, habet nihilominus peculiares filias suas, nempe malitias, quæ sunt, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, perfidia, discordia, curiositas, & vana gloria.

Auaritia. §. 2.

AVaritia est quidam inordinatus appetitus bonorum temporalium: quoniã non solùm vocatur auarus ille, qui alterius aufert bona, sed etiam qui ea desiderat, ac qui inordinata cupiditate conseruat bona sua. Filiæ huius improbę matris sunt, proditiones, fallaciæ, fraudes, periuria, inquietudines, violentiæ, inhumanitates, crudelitas.

Luxuria. §. 3.

LVxuria est quædam inordinata appetentia inhonestarum voluptatum. Hoc viciũ cæcitatem gignit mentis, aufert rationis vsum, efficitq; homines bestias. Ab hac profi-

ciſcuntur, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, proprius amor, Dei odiũ, huius vitæ inordinatũ deſideriũ, mortis timor, ac futuri iudicij, ęternę felicitatis deſperatio, infamia, deſtructio, atq; totius vitæ incõmodum.

Inuidia. §. 4.

INuidia eſt filia ſuperbiæ, & eſt mœſtitia quædam alienæ felicitatis. Eius filiæ ſunt, maleuolẽtia, murmuratio, ſuſurratio, detractio, gaudium alienæ aduerſitatis, & felicitatis afflictio. Inuidia nihil aliud boni agit, niſi quòd eoſdem inuidos torquet.

Gula. §. 5.

GVla eſt appetitus quidam inordinatus edendi, atque bibendi. Eſt incontinentiæ mater, ineptæ lętitiæ, nimij ſermonis, facetiarum, ac rerum inhoneſtarum, ſecumq; ducit ſenſuum cæcitatem, ac intellectus, miſeriarum copiam, & infirmitatum.

Ira. §. 6.

IRa eſt quidam appetitus inordinatus vlciſcendi. Naſcuntur ab ea, rixę, contumeliæ, clamores, indignationes, blaſphemiæ. Inimica eſt conſilij, comes ſtultitię, ac perturbationis, mater diſcordiarum, inimicitiarum, aliorumq; malorum: & reuera admodum rectè ait B. Auguſtinus: Deſidero fratres vos iraſci, ſed abſque peccato: ſed vt vos iraſcendo non peccetis, contra quem iraſci debetis, niſi contra vos ipſos? Nam quid aliud eſt homo pœnitens, quàm homo, qui contra ſe ipſum iraſcitur?

Acidia. §. 7.

ACidia est debilitas quædam, & cordis defectio in bene operando; & præcipua quędam est afflictio, ac tædium rerum spiritualium. Est origo cunctorum vitiorum, & præsertim pusillanimitatis, desperationis, & otij. Qui huiusmodi subduntur vitio, homines sunt nimis otiosi, ac tepidi, nec merentur homines vocari: nam genitus est homo, ac natus ad contemplandum. Finis huius peccati est ille, quem Dominus noster docet in Euangelio: *Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur* æternum. Ideo opus est, vt bonus Confessarius animaduertat, quòd non solùm hæc ordinaria peccata non ignorare debet, in quæ homines dilabuntur; sed etiam ordinarias virtutes, quas in eorum cordibus debet inserere, quæ faciliter ex sequentibus documentis intelligentur.

Virtutes generales sunt septem. §. 8.

FIdes, spes, charitas; prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia. Tres primæ nuncupantur Theologales, quatuor verò Cardinales.

Dona Spiritus sancti sunt septem. §. 9.

SPiritus sapientiæ, spiritus intellectus, spiritus consilij, spiritus fortitudinis, spiritus sciẽtiæ, spiritus pietatis, spiritus timoris Dei.

Duodecim sunt fructus Spiritus sancti. §. 10.

PRIMVS est charitas, fructus nobilissimus, ac omnium bonorum radix, sine qua

cætera

cætera bona nullius sunt vtilitatis: ipsa verò absque alijs bonis esse non potest, quibus homo bonus efficitur, & ideo vinculum perfectionis vocatur, quoniam omnem perfectionem in se continet. *Secundus* fructus est gaudium, quod hominem spiritualem seruire Deo facit cum lætitia. *Tertius* est pax, ex qua oritur, quòd in medio tempestatum huius mundi animum tranquillum & quietum custodiat. *Quartus* est patientia, cuius officium est æquo animo ferre huius vitæ aduersa, atque ærumnas. *Quintus* est longanimitas, quæ clarè demonstrat animi magnitudinē in sperandis bonis felicitatis ęternę. *Sextus* bonitas, quę nemini obest, imò omnibus prodest. *Septimus* benignitas, quæ prona est familiaritati, ac dulcedini in cōsuetudine, atque moribus. *Octauus* mansuetudo, quæ lenit ac placat omnes iræ motus. *Nonus* fides erga proximum, quæ nos fideles efficit, ac veraces in obseruandis promissis, & verbis. *Decimus* est modestia, quæ omnem excludit insolentiam, atque arrogantiam. *Vndecimus* est continentia, ob quam abstinemus non solùm à cibis, sed ab omni re mala. *Duodecimus* est castitas, quæ animam pudicam & castam seruat in casto & puro corpore.

Octo sunt beatitudines. §. II.

PRima, Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorum est regnū cælorum. *Secunda*, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Tertia*, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabun-

labuntur. *Quarta*, Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Quinta*, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Sexta*, Beati mund corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Septima*, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. *Octaua*, Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Tria sunt opera, in quibus exercetur præcipuè, ac demonstratur vita Christiana. §. 12.

ORatio, Ieiuniũ, Eleemosyna. Ad eleemosynam spectant opera misericordiæ, quæ sunt quatuordecim; septẽ prima corporalia; alia verò spiritualia. Septem corporalia sunt hęc: *Primum*, visitare infirmos. *Secundum*, alere esurientes. *Tertium*, potare sitientes. *Quartum*, captiuos redimere. *Quintum*, vestire nudos. *Sextum*, hospitio excipere peregrinos. *Septimum*, mortuos sepelire. Alia septem spiritualia sunt ista: *Primum*, consulere indigenti. *Secundum*, corripere errantem. *Tertium*, consolari afflictos. *Quartum*, æquo animo iniurias ferre pro amore Dei. *Quintum*, patienter proximi defectus sustinere, quemadmodum nos volumus, vt nostri sustineantur. *Sextum*, docere ignorantes. *Septimum*, Deum deprecari pro omnibus, etiam inimicis.

Consilia principalia Euangelica sunt tria. §. 13.

PAupertatis, Castitatis, Obedientiæ. Paupertas ad eos pertinet, qui semel omnia dereliquerunt, vt perfectè Christum sequãtur. Castitas illorum est, qui, vt Christum imitentur, voluntariè omnibus carnalibus voluptatibus, quantumuis licitis, abdicârunt. Obedientia est eorũ, qui, vt perfectè se ipsos abnegarent, nõ solùm se ab huius vitæ cupiditatibus abstrahunt, sed etiam à propria voluntate, prorsus eam suo Prælato assignando, quem vice Christi elegerunt. Præcepta in hoc differunt à consilijs: Nam præcepta obligãt de necessitate: consilia verò minimè, sed sponte inuitant, vt qui voluntariè ea assequuntur, maiorem perfectionem assequerentur. Ex his documentis aliqua poterit haberi cognitio ad sciendum quod bonum est, quodve malum, & hæc in sequentibus capitibus plenius explicantur.

De scientia distinguendi mortale peccatum à veniali. Cap. 8.

ADMODVM est necessarium, vt sciat Confessarius quodnam sit peccatum mortale, quodnam veniale, & in quo alterum ab altero differat. Mortiferum peccatũ est illud, quod occidit animã, ab ea spiritualem vitam gratiæ auferendo. Hæc mors tantum affert detrimentum, quòd separat peccatorem à Dei amicitia, atq; cælesti hæreditate, ac efficit hominem dignum, vt in inferno luat æter-

nas pœnas. Nam Apostolus ait: *Stipendiū peccati mors est*; & in libro Sapientiæ scribitur: *Iniustitia, mortis est acquisitio*. At improbi, ab ea nequaquam conterriti, aduocant eam, & manibus, & signis, atque alijs blanditijs. Peccatum veniale est illud, quod hominē non facit inimicum Dei, quodve faciliter fidelibus cōdonatur. De hoc intelligendum est illud, de quo Ioannes prima sua Canonica loquitur: *Si dixerimus nos, quòd peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas non est in nobis*. Iacobus autem dicit in sua epistola: *In multis enim offendimus omnes*. Et Sapiens ait: *Septies in die cadit iustus, & resurgit*. Ex his peccatis mortifera solùm sunt de necessitate confitenda, venialia verò ex voluntate, atque consilio, non autem ex necessitate, quoniam ad ista possumus quàm plurima remedia adhibere absque confessione. At vt melius intelligatur, cōsentaneum erit, nonnullas regulas in hoc loco ponere, vt peculiariter à venialibus peccata mortalia distinguamus. *Prima* est, Quicquid contra aliquod Dei præceptum fit, aut eius Ecclesiæ, communiter, ac regulariter, est mortale peccatum: quemadmodum, si quis faceret contra præceptum, Non occides, aut non mœchaberis, aut aliquod Ecclesiæ præceptum transgrederetur, veluti, si non solueret decimas, aut semel in anno haud confiteretur. *Secunda* est, Quicquid contra amorem Dei, & proximi efficitur, est peccatum mortale: nam totum hoc destruit charitatem, vitamqúe aufert spiritualem, quæ facit vt anima viuat; sed veniale pecca-

tum

tum non eſt contra charitatem, licet præter il-
lam ſit in aliqua re ſeiunctum, ſicq́ non de-
ſtruit charitatem: ſed eius feruorem tepidum
reddit. In hoc peccatorum genere verba ſunt
otioſa, abſque proximi detrimento, ac vana
gloria, & alia huiuſmodi. *Tertia* regula eſt,
Quicquid redundat in grauem proximi ia-
cturam, aut contra honorem Dei, in mate-
ria, quæ magni ſit ponderis, eſt mortiferum
peccatum. *Quarta* regula eſt, Peccatum, quod
in aliqua trium regularum, quas aſſerui-
mus, non comprehenditur, iudicandum eſt
pro veniali, & hoc tripliciter poteſt occurre-
re. I. quando peccatum ex ſe ipſo erat mor-
tale, & fit veniale, cùm ſit res parui momen-
ti, vt furari nummum æreum, aut pennam.
II. ſi quod ex ſua natura peccatum erat mortale,
ex defectu propriæ conſummatæq́ delibera-
tionis fit veniale, vt repentinis euenit moti-
bus cogitationis, quãuis ſint infidelitatis, qui
nõ ſunt ſatis deliberati, nec omnino illis præ-
betur aſſenſus. III. ſi peccatum eſt veniale
ſua ipſius natura, vt eſt verbum otioſum, aut
leue mendacium, quo nemini damnum intu-
limus. Bene verum eſt, quòd in duobus caſi-
bus leuis materia à peccato mortali non ex-
cuſat. *Primus* eſt, in caſu periurij: nam etſi res,
pro qua iuratur, pauci ſit momenti, ſi iura-
mentũ eſt falſum, nõ ſolùm nõ peccatur veni-
aliter, ſed magis graue fit peccatũ mortale: qa
in re tã leui, quæ nec pdeſt, nec obeſt, adduci-
tur Deus in teſtimoniũ de re falſa. *Secundus* eſt,
in caſu contẽptus, in quo quicquid leue, in cõ-

temptum diuinæ legis, mortiferum facit peccatum. Caiet. verb. contemp. Secũdus iste casus tam certus non est, quàm primus: Caietanus enim in Summa sentire videtur, contemptum legis in modicis rebus, ac leuibus, solum esse veniale peccatum, & modus iste loquendi affert probabiles rationes. Oportet insuper Confessarium animaduertere, vt caueat faciliter condemnare aliquid pro mortali peccato, cùm de eo dubitet, nec certior factus sit, imò in rebus dubijs tutiorem teneat partem, & in arduis scierit dubitare, vt quod ipsemet decidere non potest, ex consilio, ac sententia aliorum peritiorum valeat terminare: aut tutius foret huiusmodi cõfessiones nequaquam audire, ne in aliquem prolabatur errorem; vt si pœnitens à Confessario peteret, qui nec scientia, nec experientia polleret, vt virtute Bullæ, aut alicuius Iubilæi, votum commutaret eundi Hierosolymam, opus est, vt Confessarius ipse, qui in huiusmodi casibus non versatur, remittat pœnitentem ad alios doctiores, aut eos consulat de his, quæ gerere debet. Hac de causa multum interest Confessarij, se iustè, rectéq; materias perpẽdisse, in quibus grauia, dubia, ac difficilia occurrere possunt, etiã peritis, & doctis viris, vt cùm ea euenerint, errare minimè possit in absolutionibus impendendis. Notandum est postremò, quòd in casibus dubijs, qui ex vna, ac altera parte probabiles sunt, & superficiem habent, potest Confessarius, quamuis contra sententiam suam, pœnitentem absoluere; huiusq; rei ponatur

tur exemplum. Confessarius sentire videtur, mutuantem non posse aliquid capere pro lucro, quod habere non potest ob mutuationem illam; & ex aduerso, pœnitens sequens contrariam opinionem, quæ probabilis est, accepit aliquid pro lucro cessante; In tali casu, dico Confessarium posse, imò debere absoluere pœnitentem. Ratio est, quia ille pœnitens nõ peccat, quantitatem illam recipiẽdo: nam ei, sicut & alteri, licebat probabilem opinionem sequi. Aduertat nihilominus, quòd quamuis contra propriam sententiam suam absoluat, non absoluit contra propriam conscientiam: nam recta, & firma conscientia dictat, ac docet, licitum esse in rebus dubijs sequi probabilem opinionem. At si ob ignorantiam, aut alia de causa contrarium dictabit ei conscientia, opus est vt ipse certior fiat, eam deponendo, aut pœnitentem ad alium peritiorem Confessarium mittat.

De ordine examinandi, ac discernẽdi circumstantias peccatorum. Cap. 9.

PARITER etiam necesse est Confessarium scire circũstantias peccatorum: nam absque huiusmodi scientia nequaquam scire poterit quàm illa sint grauia. Ex his igitur circunstantijs *quædam* sunt omnino impertinentes, quæ non aggrauãt, nec diminuunt peccatum, vt si quis diceret se occidisse hominem, ante, & post cœnam, & istæ aperiendæ non sunt in confessione, imò debet

Confessarius aduertere pœnitentem, vt in eis enarrandis minimè insumere tempus debeat: *quædam* sunt, quæ ad rem faciunt pro confessione, ac ex istis aliquæ sic diminuunt, aut alleuiant peccatum, quòd ex mortali veniale illud efficiunt, aut prorsus delent: sicut si aliquis seipsum defendendo, alium interficeret, debitam pro sua defensione seruando cautelam; aut si alienũ surripuit, extrema necessitate impulsus, patet nullum ex istis peccatum commisisse: nam quamuis hominem interficere, aut aliena furari, regulariter loquendo, mortiferum sit peccatum, attamen peccatum non est ob tales circunstantias. Sicq; ille, cui talis occurrerit casus, non debet se in cõfessione incusare, nempe se occidisse, aut surripuisse, sed tantùm asserere pro sua defensione hominẽ interfecisse, vel extrema necessitate coactum aliena bona surripuisse, & sic neq; plus, neque minus dicens, cõfiteatur, quòd cùm talis adesset extrema necessitas, ouum, aut quid aliud modicũ furatus est; cuius surreptio est solum veniale peccatum, cùm sit adeò parui valoris, nec se accusare debet furtum cõmisisse: nam furtum ex sua natura mortiferũ peccatum ostẽdit. Sed dicat, se rem parui momẽti abstulisse. Quòd istæ circunstantiæ sint ex necessitate in confessione detegendæ, clarè probatur: nam secus pœnitens mentiretur, dicẽs se mortaliter deliquisse, cùm re vera non deliquerit, foretq; in confessione ipsiusmet falsus testis. *Aliæ* sunt circunstantiæ, quæ non faciũt vt mortale peccatum sit veniale, sed minuunt

in

in aliqua parte, minus graue illud efficiendo. Quemadmodũ si aliqua mulier metu coacta, aut magna egestate, actui illicito assentiret, peccaret mortaliter, sed non esset peccatum tam graue, quàm si sponte, absque tali metu, aut egestate, huiusmodi præbuisset cõsensum. De istis circunstantijs non est aliquid nimis determinatum apud Theologos, si debet pœnitens illas confiteri. Palud. asseuerat melius esse, vt non exprimantur, quoniam earũ declaratio facit pro pœnitente, & sic eas potest omittere, vt maiori cum verecundia, atque rubore, sua peccata confiteatur: secus verò determinat Sotus, nempe vt à pœnitẽte aperiendæ sint illæ in confessione, vt ipse suum attingat honorem, causam afferendo, quæ aliquo modo demit ac minuit peccatũ. Ego autẽ sentio quãlibet harũ opinionum sequẽdam esse, illamq́ Paludani esse probabiliorẽ, ac pœnitentis humilitati, atq; confusioni conformiorem. *Aliæ* sunt circunstantiæ, quæ aggrauant, & augent malitiam peccati, inter quas magis principales sunt illæ, quæ speciem operis mutant, cùm specialiter, ac inordinatè obstent diuinæ legi. Quemadmodum si quis ensem furaretur, causa occidẽdi alium, vt commodius eius vxore frueretur, commisit peccatũ furti; sed duabus illud auxit circunstantijs, quæ nouam habent repugnantiam, ac deformitatem, cõtra diuina præcepta: nam volens occidere, admittit homicidium, & volens frui aliena vxore, adulteriũ perpetrat. Vnde hoc solo modo vnũ opus triũ malorũ est particeps,

ticeps, ac rerum inordinatarum, quæ inter se differunt. Istæ igitur circunstantiæ necessariò sunt confitendæ, non secus ac distincta essent peccata. Ratio est, quia etsi vnum sit opus, tot tamen in se malitias continet, quot deformitates habet cum lege Dei. Versandũ est in hac doctrina pręcipuè circa peccata carnis, in quibus faciliter commiscentur huiusmodi circunstantiæ: quoniam si carnalis copula est cum muliere soluta, est simplex fornicatio; si cum virgine, stuprum; si cum maritata, adulterium; si cum religiosa, sacrilegiũ; si cum consanguinea intra quartũ gradum, incestus. Animaduertat Theologus, quòd non solùm declarandæ sunt in cõfessione præassertæ circunstantiæ, quando peccatum effectũ fuit, sed etiam quando fuit consensus volũtatis in cogitatione. Nam maius peccatum est stupro assentiri desiderio, quàm simplici fornicationi, quamuis opus non efficiatur: imò pro certissima regula sit habenda, quòd omnis circunstantia aggrauans actuale peccatum, aggrauat etiam illud, quod cogitatione committitur, cùm deliberatus consensus adhibetur prauo operi, cum illa tali circunstantia, licet realiter, ac reuera crimen nequaquam patratum fuerit. Ab hac doctrina, quæ veritate ipsa cõprobatur, *tria sequuntur. Primum* est, quòd cùm mulier, quæ in statu est virginitatis, aut religionis, optauerit aliquem inhonestum actũ, aut illi consenserit, oportet vt in confessione dicat speciatim, an sit virgo, vel ne: quia si virgo est, maius peccatum admittit, vt clarè perspici-

ſpicitur doctrina deſuper aſſerta. Magiſter Sotus aſſeuerat, quòd ſi actus fuerit exteriorum, tenetur dicere talem circunſtātiam, ſed ſi fuit ſolus interior, non debet confiteri ſi erat virgo: ſed verè auctor iſte ſe decipit, ac ſua eadem ratio eum conuincit, demonſtratq́ue falſum eſſe quod aſſerit: nam ſi, quando interuenit actus exteriorū, tenetur talem dicere circunſtantiam, cùm ſit maius peccatū: ergo deſiderare actum iſtum exteriorem, grauius etiam peccauerit, & ſic ob eandem rationem confiteri tenetur eandem circunſtantiam. Notāda eſt doctrina iſta à Confeſſarijs, qui confitentes puellas, atque religioſas audiunt. Si bene verum eſt, quòd iuxta allegatam Paludani ſententiam, cùm mulier virgo confitetur carnalem conſenſum, ac actum exteriorem, non videtur eam teneri ad explicitè dicendū, ſi erat virgo, aut non. Quia ſi verum erat illam eſſe virginem, in tali ſtatu erat ac pro tali habebatur, & ſi non erat, videtur non oportere, vt talis circunſtantia declaretur: nam huiuſmodi declaratio, eſt quædam ſui peccati excuſatio, & circunſtantiæ excuſantes peccatum, aut aliquomodo illud diminuentes, non ſunt neceſſariò confitendæ, vt ſuperius fuit aſſertum, ſed certius, ac tutius eſt prædictam circunſtantiam patefacere, aut ſit actus exterior, vel interior. *Ex præaſſertis ſequitur*, quòd quando ſcandalum fuit ſimul cum peccato, tenetur pœnitens cōfiteri circunſtantiā illam: nam multum aggrauat peccatum, velut ſi qui familiæ præeſt, Eccleſiæ ieiunium frangeret, aut aliud

peccatũ admitteret, ex quo eius subditi occasionem capiunt id idem faciendi: aut si quis mulierem inhonestis actibus instigaret, præbens ei scandalum, aut ad peccandũ alliceret, in tali casu non satis est in confessione dicere, ieiuniũ fregi, aut rem cum muliere habui, sed explicare opus est, scandali circunstantiã, asserens se peccando scandalizasse suum proximum. *Sequitur tertiũ*, quòd si quis voto, aut iuraméto se obstrinxit ad aliquod particulare, oportet vt in cõfessione hãc declaret circumstantiam: nam circunstantia hęc grauius reddit peccatum, sicut si pœnitens votũ emisit castitatis, postea verò carnaliter cognouit mulierem aliquã, tenetur dicere, se votũ castitatis emisisse, ac inhonestè peccasse. Sed hîc animaduertendum est, quòd licèt quis sæpius castitatem vouerit, & postmodũ votum nõ adimpleuit, non ideo obnoxius est ad dicẽdum se pluries castitatem vouisse: nam cùm sæpe idem votum vouerit castitatis, non ob hoc intendit denuò se obligare, sed primum votũ confirmare. Quemadmodum, si aliquis quàm plurimis scriptis se obligaret ad soluendũ id idem quod debet, non obligat se ad noua debita persoluenda, sed actum habet primum. Certum est, quòd iurans vnum admittit peccatum, quamuis cõtra legem naturalem, contra legem diuinam, & contra humanam peccet; cùm eadem sit obligatio per has omnes leges confirmata.

Quatuor Regulæ ad circunstantias declarandas. §. I.

AD

AD maiorẽ circumſtantiarũ elucidationẽ, quæ in confeſſione ſunt declarandæ, ad has quatuor regulas erit intentio erigenda. *Prima* eſt: Circunſtantiæ, quæ peculiarem deformitatem, ac alicuius diuini præcepti trãſgreſſionem oſtendũt, quæ ſunt illæ, quæ regulariter mutant ſpeciem, ſunt in confeſſione aperiendæ. Vt qui carnaliter cognouit ſolutam mulierem, ſimplicem fornicationem admiſit; ſi rem habuit cum maritata, eſt adulterium; cum religioſa, ſacrilegium; cum cõſanguinea, inceſtum; omnes iſtæ circunſtantiæ mutant ſpeciem, & debent in confeſſione aperiri. *Secunda* regula eſt: Quamuis circunſtantia non mutet ſpeciem, nec peculiarem habeat deformitatem, ſi peccatum notabiliter aggrauat, eſt in confeſſione dicenda. Vt qui furatus eſt quatuor, qui verò ducentos aureos, vterque furtum commiſit, quod peccatum eſt eiuſdem ſpeciei: ſed quoniam furtum ſecundum grauius fuit notabiliter, cùm maior ſit denariorum quantitas, nõ ſatis eſt, quòd pœnitens dicat ſe furatum eſſe, ſed neceſſe eſt dicere, ſe centum, aut ducentos aureos ſurripuiſſe. At ſi quis dixerit, Conciliũ Tridentinũ aſſerere, circunſtantias mutantes ſpeciem regulariter ſemper eſſe confitendas, ex quo colligitur, quòd illæ, quæ non mutant ſpeciem, non debeant confiteri: eſt reſpondendum, Concilium in hunc ſenſum diffiniſſe. Quòd circunſtantiæ mutantes ſpeciẽ regulariter ſemper ſint in cõfeſſione dicẽdę: ſed nõ mutantes ſpeciem, non ſunt ſemper confiten-

dæ, sed cùm notabiliter aggrauant, quemadmodum in regula fuit assertum, quæ sub alio exemplo clarius exprimitur. Si quis cum sua matre rem haberet, aut cum propria sorore, non satis explicat peccati grauitatem, dicēdo rem habui cum quadam mea consanguinea, sed opus est distinctè dicere, quòd mulier illa, quam carnaliter nouit, fuit eius soror, aut mater, aut filia. *Tertia*, non est necessarium in omnibus casibus explicare in confessione omnes illas circunstantias, quæ mutant speciem: nam iuxta sententiam Thomæ, augurari per stellas, aut per terram, per aquam, aut per mortuos, sunt distincta peccata in sua specie, & non opus est vt in confessione prædictæ circunstantiæ declarentur, sed solùm oportet, vt ipse pœnitens se auguratum esse incuset: ratio huius est, quia mutatio harum circunstantiarum non magis peccatū aggrauat, nec etiam in moribus speciem mutat, quamuis in natura sic. Vt furari pannum Toleti, aut Salmanticæ. *Quarta* regula: Quando circunstantia, quamuis peccatum augeat, principalis intenditur in peccato, non est rationabiliter confitenda: vt si aliquis cōmisit homicidium, necesse nequaquam est dicere, se arma parauisse, aut manu ensem apprehendisse, cùm istæ circunstantiæ principali actu conspiciantur. Sic etiam, si aliquis rem habuit cum muliere, nō est necessariū confiteri tactus, amplexus, oscula, atque his similia, quæ ordinariè accidere solent in huiusmodi actu, nisi tam extraordinarij essent ac ad maiorem capiendam voluptatem

ptatem intenti: nam in tali casu tenetur actus illos confiteri. Per eandem regulam percipi poterit, quòd cùm religiosus, aut clericus peccatum contra votum admissum, aut eius statum confitetur alicui Confessario scienti qualis sit pœnitens ipse, non tenetur hoc exprimere, cùm de eo clara habeatur cognitio.

De numero circunstantiarum. §.2.

SEd vt doctrina ista circunstantiarũ melius practicè sit dirigenda, aduertẽdum erit, septem esse circũstantias. *Prima* est, quisnam sit ille, qui peccatum admittit: & hæc circunstantia aliquando mutat speciẽ, secumq́ nouã ducit deformitatem, vt si mulier maritata misceret se carnaliter cum homine, qui non est suus vir, committit adulterium; & si clericus est, aut religiosus, aut religiosa, est sacrilegium, & oportet in confessione hanc circunstantiam confiteri: aliâs non mutat speciem, sed si aggrauat, est cõfitenda, vt si iudex furaretur, aut raperet alterius vxorem. *Secunda* circumstantia est quantitatis continuæ, ac separatæ. Ad continuam spectat in confessione explicare quantum furatus est: non enim sufficit dicere, furatus sum, sed furatus sum tot denarios. Ad separatã pertinet exprimere quoties cõmisit delictũ: nam dicere non satis est, surripui, neque dicere sæpe surripui, sed dicere necesse erit, toties rapui, toties deliqui: si autẽ pro certo peccatorũ numerũ non recordatur, dicet se peccatum illud commisisse quinquies, aut decies, aut plus aut minus: cumq́ etiam hoc

non recordaretur, dicat quanto tempore in peccato illo immoratus est, ac malam, quam habuit, consuetudinem: nam hoc modo nouerit Confessarius statum pœnitentis, & quoties in peccatum illud lapsus fuerit: quemadmodum perdita mulier omnibus exposita, atque parata, nō tenetur necessariò dicere toties hoc peccatū admisi, sed delinquendo vitam duxi vno, aut duobus annis. Hoc idem de illis dicitur, qui iurare assolent, ac de eis, qui malis, ac prauis cogitationibus cedere, ac obsequi consueuerunt: sed qui non semper peccat, quādo eum improba aggreditur cogitatio, imò aliquando ei obstitit repellendo, ita id in confessione fateatur, quoniam illo hæc referēte, satis nouerit Confessarius vitam, ac ægritudinē pœnitentis. *Tertia* circunstantia est loci, vbi committitur delictum, & mutat speciem in quatuor casibus, oportetq; illū dicere in confessione. 1. est, quando furatur in loco sacro. 2. cùm sanguis emittitur voluntariè. 3. cùm spargitur semen, aut fit pollutio. 4. cùm extrahitur delinquens ab Ecclesia in casibus, quibus defendit illum Ecclesia. In quatuor istis casibus, ob peccati circunstantiam, committitur sacrilegium, ac fit iniuria loco sacro. Et aduertendum est in vltimo casu, quòd si quis ad Ecclesiam confugiens, habet ius ibi manendi, cùm non admiserit crimen, quod excipiatur à casibus illis, à quibus eum defendit Ecclesia, si iudex hoc non obstante, extraheret illum, aut virgis cæderet, aut morti traderet, seu contumelia afficeret; præter sacrile-

crilegium, ratione loci sacri, peccaret contra iustitiam, ac obnoxius esset ad restituendum quicquid damni ei intulerit: tenetur etiam ad restitutionem honoris, famæ, ac vitæ, & tandem quicquid abstulerit, restituere debet. Sed non ideo concludendũ est, quòd omne delictum in Ecclesia commissum, sit cõfitendum cum illa tali circunstantia, quemadmodũ est murmuratio, iuramentũ in templo, sed confiteri debet tantum peccatũ, quod directè est contra sanctitatem, ac libertatem loci sacri, vt clarè fuit assertum in quatuor casibus supra positis. *Quarta* circunstantia est: Quibus auxilijs peccauit, & in duobus casibus propriè aggrauat, & est confitenda. Si quis incitauit, aut prouocauit aliquem ad adiuuandum eum in patrando peccato, & ex hoc sequutum fuit scandalum in illo, qui peccatũ patrare nõ intendebat. Spectat etiam ad hanc circunstantiam, si pro bello quis auxiliũ habuit à Turcis, aut à Mauris, vel ab alijs infidelibus, aut hæreticis ad perdendum Christianos; aut si peccatum commisit per industrias, aut agilitates inordinatas. *Quinta* circunstantia est finis, videlicet ad quid fuit commissum delictũ, veluti si quis virum occideret, vt postmodũ eius vxore frueretur, necesse illi erit circunstantiã aperire in confessione: quia licet in illo actu non sit aliud, quàm solum peccatũ, nihilominus duæ adsunt distinctæ malitiæ, cùm verè sit homo ille, & homicida, & adulter, imò, vt Aristoteles ait, principalis malitia illa est, quę tendit ad finem, adeò quòd ille potius adulte-

rium cõmisit, quàm homicidiũ. *Sexta* circunstantia modus est, quem peccando tenuit: sicuti si quispiam non solùm secretò aliena bona surripuit, sed per vim, quã intulit, furatus illa fuit: in tali casu non tantùm est furtum, sed assassinium, atque rapina, quia alterius bona abstulit, vim, atque violentiam inferendo: & hæc circunstantia est confitenda, quia aggrauat peccatum. *Septima* circunstantia est tempus, & hæc tres habet cõsiderationes. 1. si peccauit in die festo, aut in Dominica: talis circunstãtia ordinariè non est de necessitate confitenda, nisi foret in aliquo die admodum solemni, vt si in feria sexta in Parasceue, aliâs Die Veneris sancto, aliquod enorme peccatũ patraretur, in tali casu, tẽpus est circunstantia aggrauans, & est confitenda. Idem dicẽdum est, si cùm accinctus quis foret ad pœnitentiã, Deum grauiter offenderet. In alijs casibus nõ debet necessariò circunstantia temporis confiteri: de hoc afferri possunt duæ rationes. I. quoniam, vt disseruimus, declarando tertiam circunstantiam, solùm in peccato illo, quod est contra templi sanctitatem, est explicandus, ac declarãdus locus sacer: sic tantũ in opere, quod fit contra Dei sanctitatem, declaranda est sanctitas tẽporis: quemadmodum si qs elaborauerit, aut aliquod seruile opus effecerit die festo, hoc directè est cõtra sanctitatẽ, & honorem festi, quod ordinatur, vt Deo ab omnibus seruiatur, vtqúe omnes ab omnibus operibus, atq; cogitationibus cessent. II. ratio est, quoniã finis præcepti nõ est sub præcepto,

aut

aut sub aliquo onere, vt veri Theologi docét: vnde quãuis diei festi sit finis Deo inseruiendi, eumq; non offendendi, contra quod facit, qui mortaliter peccat, non ideo facit contra præceptum, quod constituitur, vt nos non elaboremus, nec seruile opus in die festo faciamus: & hanc ob causam pœnitens non tenetur dicere se peccasse in festo. 2. consideratio temporis est, quo ad perseuerantiam peccatoris in peccato: & hæc consideratio prodacè sibi erit declarãdo peccata in confessione, quæ committere continuò solebat, eoqúe magis, si menses insumpsit, aut annum delinquendo: aduertatqúe se aliquando esse obnoxium ad dicendum tempus, quo ipse peccare non destitit, quamuis diem vnum, aut minus consumpserit peccando; vt si conuersationibus aut familiaritatibus inhonestis totam diem contriuisset, non sufficit, vt ego sentio, dicere in confessione, se inhonestas consuetudines semel habuisse, sed opus est, vt dicat quòd ter, aut quater, nulla interposita mora, in illa praua consuetudine immoratus est: nam ex hoc, quâm sit graue peccatum, dignoscitur. 3. consideratio temporis est, vt pœnitens ipse intellectu conspiciat, an, vbi Deus condonauerit ei peccatum, quod admiserat, sæpe reuertatur ad peccandum, non absque sui Creatoris offensa, ingratitudinem ostendendo pro tam magno beneficio. Per hanc considerationem bene se gesserit pœnitens, qui in eadem delicta sępe dilabitur, ac ordinariè illa confitetur, postea verò ad vomitum regredi-

tur non absque miseria.

De notitia, quam habere debet Confessarius de casibus reseruatis. Cap. 10.

PATRES nostri, qui sanctissimã vitam degerunt à tempore primitiuę Ecclesiæ vsque ad hæc tempora nostra, multum decere senserunt, pro Christiani populi disciplina, vt non omnes sacerdotes absoluere possint à quibusdam grauibus, ac enormibus peccatis, sed solùm qui Ecclesiæ Dei præsunt, quemadmodum sunt Episcopi, atque Prælati, præsumentes maiorem scientiam, prudentiam, atque iudicium oportere, ad curandum, atque ad remedium exhibendum huiusmodi infirmitatibus, vtq; etiam Christi fideles, difficile remedium esse videntes ad prædicta facinora medenda, ab eis se magis abstinerent: qua de re aliqui casus summo Pontifici, alij Episcopo, ac ordinarijs Prælatis reseruantur. Circa hos casus, superioribus atque Prælatis reseruatos, sunt hęc, quæ sequuntur, aduertenda. *Primum* est, quòd licet, iudicio meo, certum sit, non solùm peccata, quæ exteriori actu consistunt, sed etiam quæ interiora sunt, posse à Prętatis reseruari, ne à peccatis illis sacerdotes inferiores absoluant, tamen iniustum est, neque faciendum hoc esse censeo, quoniam animarum magna foret perturbatio, magnumq; discrimen ponendi eas, atque mouendi ad scrupulos, cùm sit admodum difficile iudicare, & pręcipuè in ti-

mi-

midis conſcientijs, quando conſenſus in interiori actu exſtiterit, quod facile in actu exteriori dignoſcitur. ex quo intelligitur, quòd cũ Prælatus reſeruat ſibi peccatum homicidij, aut incendij, intelligitur de exteriori actu, non autem de interiori, & ſic in alijs caſibus. *Secundò* aduertendum eſt, in mortis articulo nullum eſſe caſum reſeruatum, ſed omnes ſacerdotes poſſe abſoluere quemlibet pœnitentem à quolibet peccato, atque cenſura, & poſtquam periculum mortis euaſerit, tenentur monere pœnitentes, vt ad ſuos ſuperiores ſe conferant, ac legitimos iudices, à quibus beneficium abſolutionis expoſtulent de caſibus illis reſeruatis, à quibus ipſi abſoluere nõ valuerunt. *Tertiò* animaduerti debet, quòd ſi Prꝍlatus ſibi caſum aliquem non reſeruat, quamuis antea ſit reſeruatus, non remanet reſeruatus. Quamobrem oportet intelligi duplici modo caſus eſſe reſeruatos: nam aut per legem reſeruantur, & iſti, quamuis à Prælato non ſibi denuò reſeruentur, ſemper remanent reſeruati, donec auferatur lex. Alij reſeruantur, quia Prꝍlatus eos ſibi reſeruat, non per legem, ſed viua voce, atque ordine ſuo, & tales iſti ſpirant, nullamq; habent vim mortuo, aut amoto Prælato. Itaque ſi nouus Prꝍlatus denuò non ſibi eos reſeruat, non ſunt reſeruati. *Quartò* conſiderandum eſt, tres tantùm auctoritatem habere reſeruandi ſibi caſus, nempe ſummum Pontificem, Epiſcopum, atque Prælatum.

Caſus reſeruati ſummo Pontifici ſunt iſti. §. 1.

PRIMI

PRIMI sunt, qui continentur in Bulla Cœnæ Domini, & ordinariè sunt sequentes. *Primus* est Hæresis, aut fauere Hæreticis, aut illos occultè detinere, vel eos, qui ab obedientia Romani Pontificis recedunt, aut prohibitos libros tenent, vel legunt. Quod totum in Hispania remittitur Inquisitoribus, tam in foro conscientię, quàm in foro iudiciali, & nullus sacerdos potest absoluere per Bullam aut Iubilæum, quamuis plenissimum, si in particulari ac distinctè in tali Bulla, aut Iubilęo non conceditur. *Secundus* est de piratis, & contra eorum fautores, aut tectores, ac contra furantes bona naufragantium. *Tertius* contra Dominos, ac Principes, qui in terris suis noua imponunt pedagia, nouasq; gabellas, aut aliquid tributi prohibiti expetunt. *Quartus* contra falsificantes literas Apostolicas. *Quintus* contra iniicientes manus violentas in Prælatos. *Sextus* contra vsurpantes bona Ecclesiastica. *Septimus* contra Iudices sęculares, se intromittentes in cognoscendis causis personarum Ecclesiasticarum, aut exequutionē impediunt literarum Apostolicarum. Illud idem est contra officiales iustitiæ ad hoc intendentes, in quo casu comprehenduntur sæculares iudices, qui ad suum tribunal trahūt, aut consilium personas Ecclesiasticas, aut senatum: sunt etiam in isto casu Auditores, Pręsidentes Cancellariæ, aut consilij, cuiuscunque Regis, aut Principis, reuocantes ad suum magistratum beneficiales causas, spirituales, aut eis annexas, quæ sunt Apostolici Iudicis.

In eundem caſum incurrunt, qui Apoſtolicarum literarum executionem præpediunt, aut capiunt, vel in vinculis conijciunt earum executores. *Octauus* contra eos, qui portant equos, arma, ferrum, aut alia bellica inſtrumēta Mauris, Turcis, aut quibuſcunque inimicis nominis Chriſti. *Nonus* eſt, contra impedientes, aut ſurripientes victualia, aut alia, quæ opus ſunt ad vſum Romanæ curiæ. *Decimus* eſt contra furantes, ſpoliantes, retinentes, aut de propoſito deliberato præſumentes percutere, vulnerare, aut incidere membra illorū, qui Apoſtolicam ſedem petunt, aut in ea moram faciunt, aut ex ea regrediuntur. *Vndecimus* eſt contra eos, qui feriunt, percutiunt, occidunt, aut capiunt peregrinos Romipetas, aut inde reuertentes. *Duodecimus* eſt contra eos, qui directè, aut indirectè, per ſe, aut per alios, more inimicorum obſident, aut inuadunt Romam, aut terras ad patrimonium Eccleſiæ pertinentes. *Vltimus* contra illos eſt, qui ab iſtis caſibus abſoluunt ſine ſpeciali commiſſione, aut auctoritate id faciendi. Omnes iam præaſſerti caſus habent maiorem excommunicationem. Qui prolixius eos videre voluerit, legat Bullam Cœnæ Domini.

Alij Caſus reſeruati Papæ, quamuis in Bulla Cœnæ non contineantur. §. 2.

PRIMVS eſt, inijcere violentas manus in clericos, aut fratres, aut moniales, aut præcipere, vel conſulere, aut auxiliari ad hoc peragendum. *Secundus* eſt, excommunicatio legati Papæ,

ti Papæ. At elapso tempore suæ iurisdictionis, remanet reseruata Papę. *Tertius*, tenere falsas literas Papæ, easq; nō cōscindere, aut resignare, iubente Episcopo sub pœna excommunicationis infra tantum tempus. *Quartus*, clerici voluntariè admittentes ad diuina officia excommunicatos nominatim à Papa, cùm id non ignoretur. *Quintus*, Sacrilegi infringentes, aut despoliantes loca sacra: est excommunicatio Papæ reseruata post denuntiationem. *Sextus*, contra dantes licentiam occidendi, capiendi, aut iniuria afficiendi in propria persona, aut in bonis proprijs, aut suis, eum, qui excommunicationis sententiam tulit, aut suspensionis, aut interdicti contra aliquem, si effectualiter damnum fuerit inde sequutum. *Septimus*, contra officiales inquisitionis, qui odio, amore, aut lucro contra eorum conscientiam, atque iustitiam ex omissione nō procedunt contra quem deberent in casu hęresis, aut aliquem infestant, faciendo illum reum in aliquo casu, aut quod sancti officij executionem impediat. *Octauus*, contra Religiosos, qui temere suum habitum deponunt, aut curatum vsurpant officium, Sacramentum administrantes. *Nonus*, contra clericos, aut religiosos, inducentes alios ad emittendum votum, iuramentum, aut ad promittendum, quòd in earum Ecclesia sepulturā elegerint, aut quòd electam non mutabunt. *Decimus*, contra nobiles, aut tēporales Dominos, alicui vim inferentes, vt in locis interdictis celebret diuina officia, ac contra eos etiam, qui publi-

publicè conuocant populum ad audiendam Missam in similibus locis, aut excommunicatos egredi non sinunt, quibus iubet sacerdos vt ab Ecclesia egrediantur. *Vndecimus*, contra portantes merces, aut victualia infidelibus. *Duodecimus*, contra offendentes, aut impedientes Ecclesiasticam libertatem, facientes seruari statuta, aut consuetudines contra illam introductas. *Tertiusdecimus*, contra ducentes vxores in prohibitos gradus consanguinitatis, aut affinitatis. *Decimusquartus*, contra eos, qui mortuorum interiora extrahunt ad ea conseruanda, aut eorum frusta coquunt, vt postmodum ossa in alio loco sepeliantur: est etiam contra illos, qui ex his aliquid impetrant. *Decimusquintus*, contra eos, qui dant, aut recipiunt aliquid Simoniacè, aut sic in ordine, aut in beneficio, aut pręsentatione illorum inter eos conuenientes, tacitè, vel expressè dãdi partem aliquam fructuum, aut aliquam pecuniæ quantitatem, quamuis gratis hoc agere fateantur: eadem pœna est contra internuntios, ac contra eos huiusmodi Simoniam procurantes: est etiam pœna suspensionis, atque maioris excommunicationis. *Decimussextus*, contra fratres mendicantes absque licentia summi Pontificis ad aliam Religionem non mendicantium transeuntes, nisi ad illam Carthusianorum: & idem est contra eos, qui illos recipiunt. *Decimusseptimus*, contra delegatos minores Episcopi, qui auctores sunt, vt bona Ecclesiastica malè alienentur. *Decimusoctauus*, contra ingredientes monasteria monialiniali-

nialium, fratrum Prædicatorum, aut Minorum abſque Generalis licentia, aut eius, qui ab illo poteſtatem habet eos recipiendi. Omnes iſti caſus annexam habent maiorem excommunicationem Papæ reſeruatam. Sunt & aliæ cenſuræ, quę Papæ reſeruantur, ſed non ponuntur, tum breuitatis cauſa, tum etiam cùm non ſint illę tam ordinariæ, inſpici poterunt in Caietano. Aduertatqúe Confeſſarius, quòd à caſibus iſtis poteſt abſoluere virtute Bullæ cruciatę, ſemel tantùm in vita, ſemelqúe in morte, iuxta tenorem Bullæ: cùm ſemel Sanctitas ſua concedat, vt virtute ipſius Bullæ pluries poſſit abſoluere, huiuſmodi caſus concedi ſolent in Iubilæis pleniſſimis. At debet aduertere Confeſſarius, quòd licet virtute Iubilęi à prædictis caſibus poſſit abſoluere, non ſtatim id faciat, ſed maturo conſilio, ac in peccatis adeò grauibus opportunam, ſalutaremqúe imponat pœnitentiam, in quibus præter impoſitam pœnitentiam, inſpiciendum eſt, vt damno, ac intereſſi, quod euenit parti, ſatisfiat: quæ quidem ſatisfactio prius debet fieri, quàm abſolutio impendatur: nam Bullæ facultatem impertiunt, vt à dictis caſibus ob excommunicationem reſeruatis poſſit abſolui, parte prius ſatisfacta.

Caſus reſeruati Epiſcopis ordinariè ſunt iſti. §. 3.

PRIMVS, eſt Sacrilegium. *Secundus*, ſuperſtitiones, faſcinationes, aut adire ad ſtriges, ad veneficia poſtulanda. *Tertius*, matrimonium

um clandeſtinum,aut teſtes. *Quartus*,publica blaſphemia. *Quintus*,homicidium voluntarium. *Sextus*,incendium ex propoſito. *Septimus*, qui furtiuè,aut cum falſa licentia ordinatur, & ſi furtiuè ſe intromitteret,eſt ſuſpenſus, ſiq; in ſuſcepto Ordine miniſtrauerit,efficitur irregularis. *Octauus*, falſificare ſcripturas. *Nonus*,retinere decimas, atque primitias. *Decimus*, eſt inceſtus.*Vndecimus*,eſt inijcere manus violentas in clericum, quando non fuit grauis percuſſio. *Duodecimus*,ſodomia,ac beſtialitas.Ab iſtis caſibus,qui graues ſunt, & his ſimilibus non debet abſoluere Confeſſarius, quamuis poſſit, niſi cum præaſſerta maturitate ac moderatione,qui non ſunt reſeruati,ſi Epiſcopus non eos ſibi reſeruat.Hîc ſciendum eſt, quòd fratres Ordinum mendicantium habent priuilegia abſoluendi ab omnibus caſibus, à quibus poteſt Epiſcopus,cùm ſint approbati, atque expoſiti. Sed dubitatur, an ſi ſubditus vnius Epiſcopatus habens caſus reſeruatos, vadit, vt abſoluatur ab illis,ad alium Epiſcopatum,vbi non ſunt reſeruati,poſſet abſolui? ſiqúe etiam in Epiſcopatu illo alij ſunt caſus reſeruati, qui nõ erãt in Epiſcopatu ſuo, vtrum ſi in eos incurrit, ſit abſoluendus? Ad hoc primùm reſpondeo, quòd ſi licentiam ſpecialem non habet à ſuo Ordinario,nullatenus poteſt abſolui: ſecundò dico,quòd ſi præcepta tranſgreſſus eſt, atque caſus alterius Epiſcopatus, quamuis mortiferè peccet, non ſunt ſibi reſeruati caſus. Hoc intelligendum eſt ſecũdùm ius commune: quia

nos Mendicantes clara, atque perspicua habemus priuilegia in contrarium. Quòd si quis religiosus vadit cum casibus reseruatis ad alium conuentum, vbi non sunt reseruati, Prior, aut ipso absente, alius superior, aut Vicarius potest ab eis illum absoluere: sed non alius Confessarius talis monasterij, absque licentia Prælati, quemadmodum dicunt priuilegia.

Casus reseruati Prælatis solent esse, fractio voti obedientiæ, aut paupertatis, vel castitatis, eoq; magis cũ tertia persona: sed velut de alijs assertũ fuit, si Prelatus nõ eos sibi reseruat, non sunt reseruati. Quãdo verò Prelati illos reseruabunt, aduertendus est tenor ipsius reseruationis: nam secundùm illum reseruabuntur, & non aliter. quemadmodum si Prælatus reseruat sibi fractionem voti paupertatis pro quantitate duorum argenteorum, & non amplius, & aliquis nummum argenteum, aut vnum cum dimidio impenderet, non est reseruatus casus. Hoc satis sit de casibus reseruatis: nam de modo, quem tenere Confessarius debet in remedijs conferendis pœnitenti, ac in absolutione ei impendenda, cui casus occurrerint reseruati, à quibus ipse non possit absoluere, sequenti libro copiosè dixerimus.

DE CENSVRIS ECCLESIÆ: videlicet, Excommunicatione, suspensione, irregularitate, atque interdicto, deq; notitia, quam habere Confessarius debet de rebus istis. Cap. II.

QVA-



VAtvor de causis, inter alias, necesse est, Confessarium de Excommunicationibus cognitionem habere. *Prima*, vt non ignoret quibus in casibus pœnitens in excommunicationem inciderit: nam si hoc nescit, non rectè poterit pro illius anima remedium, ac medelam adhibere. *Secunda*, vt casus agnoscat, in quibus excommunicatus delinquit loquendo, operando, ac recipiendo: hoc enim modo dignosceret cum facilitate peccata, quæ post excommunicationem admiserit. *Tertia*, vt casus non ignorentur, in quibus alij peccant communicando, & conuersando cum excommunicato. *Quarta*, vt cognoscat, an Confessarius in huiusmodi vinculo habeat potestatem, aut quisnam ille sit, cui excommunicatio reseruatur, aut si auctoritatem ipse habeat absoluendi.

De Excommunicatione in Communi. §. I.

EXCOMMVNICATIO est quędā Ecclesiastica cēsura, quę priuat cōmunione fideliū. Vocatur censura: nam excommunicatio est correctio vel animaduersio Ecclesiæ in aliquem propter peccatum. Duo sunt genera excommunicationum, altera est excommunicatio maior, altera minor. *Maior* est censura Ecclesiastica, priuans communione Ecclesiæ, quo ad Sacramentorum fructum, atque communia suffragia fidelium, ac exterioris communicationis cum eis. Quæ alio modo sic definitur: Est censura quædam,

per quã separatur homo ab omni licita communione inter Christianos. Quæ separatio hoc versu continetur:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Os demonstrat, quòd non est loquendum cum excõmunicatis, non verbis, non scriptis, neque nuntijs, nec osculum pacis eis dari debet. *Orare*, quòd publicis precibus non oretur pro eis, neq; in Missa in memento: pro quibus solùm die Veneris sancto publicè precatur, ita iubente Ecclesia, sed pro illis orationes particulares fieri possunt. *Vale*, negatur salutatio, atque capitis detectio, sed, quemadmodum ait Caietanus, potest dici, Deus vos conuertat, vel aliud simile. *Communio*, quòd participes nequaquam erunt in suffragijs, Sacramentis, neque in diuino cultu, nec in actibus Ecclesiasticis. *Mensa*, ne cum eis insimul edamus in eadem mensa.

Quando in excommunicationẽ incurratur. §. 2.

CVM excommunicatio maior nota fuerit, quatuor remanent declaranda. *Primum*, quando incidat quis in excommunicationem. *Secundum*, quales effectus ipsa sortiatur. *Tertium*, peccata, quę excommunicatus admittit. *Quartum*, peccata communicantis cum excommunicatis. Circa primum, quatuor sunt adnotanda documenta. *Primum* æstimare opus, personam, ac modum. *Opus*, an consummatum fuerit, aut non: quoniam, quamuis incipiatur, si non determinatur, nõ incurritur in excommunicationẽ. Quemadmodum,

modum,ſi in aliqua excommunicatione diceretur,qui occiderit, &c. iſte ſi vulnus intulerit,aut brachium abſciderit,non autem interfecerit, non incurreret in huiuſmodi excommunicationem.Similiter ſi excommunicatio dixerit,qui membrum abſcindet, &c. ſi quis ictu aliquem percuſſerit,aut vulnerauerit,ſed membrum non abſcindit,non eſt excommunicatus, cùm non ſint conſummati actus, vt prohibet excommunicatio. *Perſona*, ſi eadẽ eſt,quæ facit opus,remanet excommunicata: non autem ſi præcipit, aut conſulit,vt opus efficiatur, niſi cùm excommunicatio ligat & conſulentem,&efficientem,&c. & tunc ſi non ſequitur effectus,non incurritur. *Modus*, quo dicitur, quicunque præſumpſerit, aut ſcienter hoc fecerit, excõmunicetur ; ſi quis ignoranter,quãuis reus erit,illud patrauerit, non eſt excommunicatus.*Secundum* documentum eſt,ſi excommunicatio dixerit ſub pœna excommunicationis,non intelligendũ eſt,quòd illa ſtatim operetur effectum:eſt excommunicandus, qui eam non ſeruauerit, ſed non eſt excommunicatus. At ſi immediatè dixerit,ſit excommunicatus,ſtatim incurrit.Idem dicẽdum eſt, quando in excommunicatione dicitur, ſit Anathema, aut excommunicationi ſubijciatur.*Tertium* documentum eſt,excogitare,an excommunicatio feratur pro re iniuſta:tunc etenim non tenetur quis in conſcientia eam ſeruare,quãmuis in foro exteriori teneatur,propter ſcandalũ euitandum; ſed vbi huiuſmodi ſcandalum non tenetur, poteſt

excommunicatus audire, aut dicere Missam, atque diuinis officijs interesse, ac haberi pro non excommunicato. Velut si Petrus, cùm duxerit secretò in vxorem ante Concilium Tridentinũ Mariam, postea verò publicè auctoritate Ecclesiæ Isabellam duceret, iubet Ecclesia, iuxta allegata, & probata, sub excommunicationis pœna, vt habitet cũ secunda, nullatenus debet ipse cum illa habitare, nec talis excommunicatio obligat eum in conscientia, cũ sit iniusta. *Quartum* documentũ est, si quis certò scit se non mortiferè deliquisse in re illa, ob quam excommunicatur: timere nequaquã debet maiorẽ excommunicationem, quæ semper fertur ob mortale peccatũ: quẽadmodũ si Prælatus cuidam imperaret, vt sub excõmunicationis pœna inter dies tres in tali loco cõpareat, secus verò remaneat statim excommunicatus: si iste naturaliter hoc obliuiscitur, non incidit in excommunicationem, quia nõ peccauit mortiferè, cùm se illuc non contulerit, vt ei iussum fuit.

De effectibus Excommunicationis. §. 3.

CIrca *effectus* maioris excommunicationis sciendum est, quòd effectus *primus* est priuare hominem fructu, ac participatione Sacramentorum, non autem in hunc sensum, vt si ducit vxorem, dicatur, se eam non duxisse; & si Ordinem suscipit, non sit ordinatus: sed quia excommunicatio eum prohibet, ne eum suscipiat, & suscipiendo peccat, & valida sunt Sacramenta. Sed dubium est de Sacramento pœnitentiæ: nam cùm huiusmodi Sacramen-

tum iurisdictionem requirat, & cùm excommunicatus separetur ab Ecclesia, tanquam ethnicus, videtur, quòd non possit absolui. In hoc casu duæ sunt opiniones: altera est Soti, dicentis non posse eum absolui, & probat, duas afferens rationes. *Prima:* quia excommunicatus nõ potest absoluere, cũ sit priuatus actiuè à participatione Sacramẽtorum, ergo non potest absolui, qui priuatus est, etiam passiuè ab ipsorum participatione. *Secunda:* nam secus excommunicatio maior non esset maior animaduersio, seu castigatio, quæ ab Ecclesia dari possit, quoniam alia foret castigatio, nẽpe non posse absolui. At Caietanus, cuius sententia vera est, asserit, quòd licet excommunicatus absolutionẽ non habeat ab excõmunicatione, potest eã habere à peccatis: ratio est, quoniam in tota ęquitate non præcipitur, quòd sumpta Sacramẽta ab excõmunicato sint inualida, sed, quòd peccet ille sumendo, cùm ei Sacramentorum participatio ab Ecclesia sit prohibita. Quòd vera sit opinio ista, tribus in casibus verificatur. *Primò*, si pœnitẽs confessus est se excommunicatũ esse, sed Cõfessarius ob ignoratiã, aut ex obliuione non impendit sic absolutionẽ excommunicationis, peccatorũ aũt sic, Sacramentũ est verũ, gratiamq; recipit ob eius virtutẽ. *Secundò*, cùm per ignorãtiam, aut obliuionẽ culpa carentẽ nequaquam confessus est, se excommunicatione esse irretitũ, Confessor autem eũ à peccatis absoluit, similiter verum est Sacramentũ, quod dat gratiam pœnitenti. *Tertiò*, quando ex ignorãtia, aut culpa-

culpabili obliuione excommunicationem confiteri omisit, verũ est Sacramentũ, quamuis Theologi vocent illam confessionem informem, quia non dat gratiam: in hoc autem sensu valida est, cùm ad eam iterandam nõ sit obnoxius, sed tenetur solùm obliuionẽ illã, negligentiam, atque excommunicationẽ confiteri. Ratio verò huiusmodi doctrinæ est, quia cùm excommunicatus pœnitentiæ suscipiat Sacramentum, iudicandum est de eo, vt iudicari potest de illo, qui Sacramentum pœnitentiæ recipit quolibet alio mortali peccato irretitus: & queadmodum si quis ob ignorantiam non culpabilem omitteret confiteri aliquod mortale peccatum, valeret Sacramẽtum, à quo gratiã reciperet; ita à simili, si quis ob non culpabilem obliuionẽ omitteret confiteri excommunicationem, in quam incidisset, validum foret Sacramentum, daretq; gratiam pœnitenti: & quemadmodum si quispiam per culpabilem ignorantiam omitteret confiteri aliquod peccatum, valet confessio, quamuis sit informis, neque det gratiam; eodem modo verum est Sacramentum, quando pœnitens excommunicationem non declarauit, licet ob culpabilem obliuionem. Demum Ecclesia nunquam statuit, Sacramenta ab excommunicatis suscepta non valere, sed tantùm delinquere suscipientes. Quamobrem perspicuum est, quòd cùm ex ignorantia, aut ex obliuione non culpabili recipiuntur, etsi ab excommunicatione absolutio non præcedat, valida sunt, ac firma:

firma: patet etiam, iuxta veram Theologiam, quòd quando in hoc cadit ignorantia, aut obliuio non culpabilis, valēt Sacramēta. Quando verò quis ex proposito, seu ex industria non confitetur excommunicationē, aut prius absolutionem recipit à peccatis, quā absolutio excommunicationis præcesserit, tunc solum confessionis Sacramentū nullum erit, ac inualidum: aut si ignorantia tam crassa fuerit, atque culpabilis, qualis est illius, qui ex proposito id scire noluerit. *Secundus* effectus maioris excommunicationis est, quòd excōmunicatus priuatur generalibus suffragijs Ecclesię, ac participatione bonorum eius operū, vt desuper fuit assertum. *Tertius* effectus est, q excommunicatum separat à diuinis officijs, adeoq; interesse illis non potest, neque precari cum alijs in Ecclesia: cui etiam prohibetur, ne tam prope maneat, vt ea possit audire, quamuis excommunicati non excludantur ab ingressu Ecclesiæ, neque ab audienda concione verbi Dei. *Quartus* effectus est, quòd omnibus his priuatur, quæ in hoc versu continentur:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Quæ omnia desuper declarauimus. *Quintus* effectus est, quòd non potest esse particeps in beneficijs, nec illa conferendo, nec ea recipiendo: itaq; irrita est collatio, atque nulla, & ideo collatio Ecclesiastici beneficij facta in eo, vel ab eo, tam inualida est, & nulla, quòd valida esse nō poterit, quamuis absoluatur, si denuò expressè, vel tacitè iterum ei non conferatur. Ex quo sequitur; quòd tenetur illud relin-

quere, ac fructus restituere, quos olim vsq; in diem illum perceperit: siqúe Ecclesiasticum habet beneficium, & est excommunicatus, nõ potest huiusmodi beneficij fructus percipere. Qui per annum integrum in excommunicatione perseuerauerit, efficitur suspectus hæresis, potestq; contra eum procedi, vt contra suspectum in fide. *Sextus*, vt priuetur, atque excludatur ab Ordinum administratione: itaq; si in eis se exercuerit administrando, efficitur irregularis. *Septimus* est, quòd actiua, atq; passiua electione priuatur. *Octauus*, quia non potest absoluere, & est suspensus ab officio, & beneficio. Sed vt hoc verius intelligatur, aduertendum est, quòd si sacerdos est publicè excommunicatus, absolutiones ab illo impensæ non sunt validæ: & sic intelligitur illud à iure dictum, nempe rem ab excommunicato factam non valere. Si verò occulta est excommunicatio, validæ sunt absolutiones, suosq; consequuntur effectus. Ita docent doctissimi viri, Paludanus, Caietanus, & his quamplurimi similes, quamuis alij aliter sentire videantur, quorum sententia non est absque animarum periculo. Itaque absolutiones à tali sacerdote impensas validas esse asseuero. In Ecclesia Hispaniæ occurrerunt casus, in quibus multũ profuit hanc veritatem practicè habere. Occurrit in quadam terra Hispaniæ Religiosum quendam professum deseruisse habitum; qua de re incidit in excommunicationem, & cùm de excommunicatione nullam mentionẽ faceret, nec se fratrẽ esse demonstraret, quidam

Episcopus licẽtiam ei, ac facultatem exhibuit audiendi confessiones, eiq; curatum beneficium contulit, in quo Sacramẽta administrauit, confessiones gentium audiendo, qui postmodum ad cor rediens, pœnitentiam egit. Dubitatur inter disertos viros, an confessiones validæ extiterint, & quodnam remedium in huiusmodi casu esset adhibendum. Decernebant nonnulli, nequaquam cõfessiones valuisse, atq; ideo oportere, vt populus de hoc certior fieret, vt iterum confiteatur. Alij asseruerunt, validas fuisse, & hæc est opinio, quam esse veram affirmo.

Euenit per plurimum etiam, quòd cùm in sacerdotem quis fuerit ordinatus, priusquam vigesimumquartum annũ attingeret, & multorum audisset cõfessiones, cùm sit suspensus, ac irregularis: valent absolutiones, effectumq; suum assequuntur, quoniam talis illa suspensio est occulta atque ignoratur. Idem verũ esse sentio circa potestatem eligendi: nam verum est electionem actiuam occulti excommunicati, & ab Ecclesia tolerati, validam esse. *Nonus* excommunicationis effectus est, quia priuat sepultura in loco sacro; hoc intelligitur, si in articulo mortis pœnitentiæ signa nequaquam monstrauit: nam si hoc fecerit, opus est vt in sacro sepeliatur, ac vt absoluatur ab excommunicatione, quæ quidem absolutio fit iubente Ecclesia, vt à fidelibus pro eo preces, Offertoria, ac sacrificia exhibeãtur: quæ haud fieri poterant, antequam ille ab excommunicatione absolueretur.

De

De peccatis, quæ admittunt excommunicati. §. 4.

EXcommunicatus maiori excommunicatione mortaliter peccat communicans Sacramenta, aut ea dando, aut suscipiendo: nam in re graui Ecclesiæ præcepto nõ obtemperat: mortiferè etiam peccat, si Ecclesiasticos actus exercet, de quibus supra disseruimus, vt est eligere, aut eligi; conferre beneficia, aut ea recipere; ordinare, aut ordinari &c. peccat tãdem cum fidelibus conuersando exteriori consuetudine, ac humana cõuersatione, quæ illi vetita est, vt in illo versu videtur:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Quamuis ciuilis cum fidelibus familiaritas non habeatur pro mortali peccato, sed est contemptus, qui contemptus non inuenitur, cùm homo ita se gerit familiariter cõuersando, ac si excommunicatus non esset; sed quando cõtemnitur excõmunicatio, aut qui eam tulit: tunc enim contẽptus est mortiferi peccati.

De peccatis eorum, qui communicant, vel conuersantur cum excommunicatis. §. 5.

COmmunicare cum excõmunicato in Sacramentis, aut ea illi dando, aut ab eo illa recipiendo, mortale peccatum est. *Idem* est communicare cum eo in officijs diuinis. *Tertiò* mortiferum est peccatũ communicare in Ecclesiasticis actibus, veluti ei beneficia tribuendo, aut recipiendo, aut illũ eligendo &c. *Quartò* mortiferè peccat, qui in crimine criminoso communicat, ita à iure nuncupato: & est quando participat cum aliquo in peccato,

to, propter quod est excõmunicatus. Quemadmodum si quis excommunicatione irretitus esset, cùm non dereliquerit concubinam, tunc qui cum eo est particeps peccãdo, & causam dat non relinquendi eam, peccat mortaliter, ita & illa, si ab eo nõ recedit. *Quintò* conuersari cũ excommunicato in ciuili conuersatione, atq; politica, non est, nisi veniale peccatum, vt iam fuit assertum, modò non adsit contemptus, aut expressè à superiore præcipiatur. At quinque excipiũtur casus, in quibus cum excommunicato poterit cõuersari absq; aliquo peccato, quod totum exprimitur in hoc versu:

Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse:
Hæc quinque faciunt anathema ne possit obesse.

Per hoc verbum *Vtile*, excipitur ille, qui conuersatur cum excommunicato pro bono animæ suæ, prædicans, aut consulens ei ad satisfaciendum: quanuis nonnulla alia verba intercedant, vt facilius ei persuadere possit. Ita etiam qui participat, vt quod suum est, expostulet, vel vt petat spirituale consilium pro se, aut pro alijs, vel aliquod tẽporale nimis pernecessarium. Per illud verbum *Lex*, intelligitur lex matrimonialis: itaq; si est excommunicata vxor, non ideò est ab illa relinquenda cõuersatio viri sui, nec vir ille relinquere debet conuersationem suæ vxoris: imò tenentur ambo insimul conuersari de iure, ac inuicem debita matrimonialia sunt reddenda. *Humile*, quòd serui, pueri, filij, qui secũ viuũt, & alij familiares domestici, aut qui vitam degunt

gunt in prædijs, seu ruri manent, possunt cum illo conuersari, vt antea, nisi ille per fraudē, seu dolum nouos seruos haberet, vt cum eis loqueretur. *Res ignorata*, si nescit an ille sit excommunicatus, cùm sit ignorātia facti, atque iuris. *Necesse*. Per hoc verbū *necesse*, excipitur ille, qui participat cum excommunicato pro sua necessitate, aut ipsius excommunicati, siue spiritualis sit, siue corporalis, quæ quidē necessitas comprehenditur etiam, quando infertur violentia; quemadmodum si quis vi coactus moraretur, vbi excommunicatus recitat, aut rem sacram perageret, & sic, nec plus, neque minus, cùm adest timor cadens in constantem virum, aut necessitas aliqua euitandi aliquod graue periculum: ita etiam, si necessitatem patitur corporalem, nempe famem, nec est, qui ei cibum conferat, potest excōmunicatus ille eleemosynam petere, & aliquis eam dare, & potest quis ab excommunicato eleemosynam poscere, si non adest alius, à quo eam exposcere queat. Hoc idem intelligendum est de spirituali necessitate, vt si excommunicatus est vir disertus, atque peritus, & satis mihi prodest consulere illum, aut aliquod spirituale cum eo cōmunicare, possum id agere absque peccato. Sed oritur hîc quædam difficultas, an quis ob grauem metum possit communicare cum excommunicato? ponatur exemplū: Est iudex excommunicatus, qui dicit Capellano vt rem sacram faciat, eiq; minatur, qui si secus egerit, nō dabit ei necessaria alimenta, ac iniuriosè tractauerit illum:

lum: vnde ob hunc metum Capellanus ſacrificium Miſſæ peragit, quæritur, an ille in dicenda Miſſa peccet? In capitulo ſacris, de his, quæ vi, metusq́; cauſa fiunt, decernitur, quòd nemo cum excommunicato communicet, quamuis interueniat timor, aut mortis periculum. Quamobrem videtur in tali caſu peccatum admitti mortale: ratio autẽ, quam affert ſummus Pontifex, hæc eſt: Quoniã præceptum Eccleſiaſticum, aut de non communicando cum excommunicato, obligat ad mortale peccatum: & clarum eſt, non opus eſſe mortaliter peccare ad euitandam mortem, nec ob aliam cauſam. Caietanus, ac Adrianus ita ſentire videntur. Sed verum eſt, ſacerdotẽ illum dicere poſſe Miſſam ſine peccato: nam humana præcepta non obligãt cum tam graui periculo, neque diuina lex poſitiua obligat cum periculo mortis, quanto minus lex humana? Præcipit mihi Deus, vt ego peccata mea debeam confiteri: non poſſum illinc trãſire, vbi mortis periculum eſt, vnde non teneor confiteri: in tali caſu ſatis erit, vt pœnitudinem cõcipiam peccatorum, cum propoſito confitendi, quando potero opportunè. Ita quoque præcipit Deus, vt baptiſmi ſuſcipiam Sacramentum: at ſi ad illud ſuſcipiẽdum me conferens, metuo periculum mortis, non ad hoc faciendum obſtringor, & tunc contritionis baptiſmus ſufficiet. Hoc quod aſſeruimus intelligendũ eſt, quãdo qui minas tendit, aut inijcit metum, non id facit in contemptũ religionis noſtræ, aut fidei, quẽadmodũ ſi diceretur:

tur: Quidnam sunt excommunicationes istæ, nisi ludibria? nunquam Ecclesia ferendæ excommunicationis habuit potestatem, iam te oportet coram me rem facere sacram, quamuis inuitus id facias. Tunc, cùm sit res ad diuinam pertinens potestatem, atque Ecclesiæ auctoritatem, & ad confitendum Catholicã fidei veritatem, potius emori debes, quàm Missam dicere. Sed ex alia parte aliud occurrit dubiũ, atque alia grauior difficultas, si quispiam excommunicatione fuerit irretitus, & graue eius delictũ detegitur, si ipse non celebrat, an fortè excommunicatus iste, vt incolumem honorem suum reddat, & vitam, poterit celebrare? Contigit in Hispania, quosdã subditos sacerdotes noctu secretè suum occidisse Prælatũ, si isti non dicunt Missam, maxima suspicio nasceretur illos interfectores fuisse, eritq; periculum honorem amittendi, & vitam: poterunt forsan celebrare, ad occultãdum tam eorum facinus, atque ad tam euidẽs periculũ euadendum. Iuxta ea iam à nobis asserta, videtur eos posse Missam dicere: nam excommunicatio, quæ imperat vt excommunicati non celebrent, est lex humana, & humanæ leges non obligant cum tanta iactura, atq; periculo. Sed ex aduerso videtur istos celebrare non posse: nam cùm occultè eorũ quilibet esset excommunicatus, diceret, quòd honorẽ perderet, & famam non celebrando, & ita videretur concedi multa licentia, & quàm plurimi diu excommunicati persisterent. Preterea sunt aliquæ pœnales leges, quæ inhabiles

perso-

personas reddunt ad sua officia exercenda: & cùm hæc occurrit inhabilitas, nullo interueniente casu, ac ob nullũ metum licet ea exercere. Est ius humanum, hominem ducere nõ posse in vxorem suam consanguineam, quod ius ita inhabiles facit cõsanguineos ad ducendam vxorem, quòd nullo casu licet vxorem ducere consanguineam in gradu prohibito sine Ecclesiæ dispẽsatione, & multo minus cum ea rem habere veneream. Ita quoque excommunicatio reddit sacerdotem inhabilem ad celebrãdum: & quemadmodum inhabilis ille, quamuis timeat ne occidatur, si non celebrat, nõ debet vllo modo celebrare: ita etiam celebrare nequaquam poterit excommunicatus, & verũ est, quòd celebrare in casu à nobis proposito, nõ est via ordinaria, ad euitandam, aut fugiendam mortem, aut infamiam, neque est medium necessarium. Nam alias poterit inuenire vias, ac media, vt si diceret se detineri impedimento, aut non bene valere, & ob hanc rationem allatam se rem sacram facere minimè posse.

De Minori Excommunicatione. §.6.

EXcommunicatio minor est quædam censura Ecclesiastica, per quam homo, qui in eam incurrerit, priuatur participatione passiua Sacramentorum, atque electione ad quodlibet beneficium consequendũ, atque Ecclesiasticam dignitatẽ, qui verò secus fecerit, mortaliter peccabit. At bene eligere poterit, sacrificio Missæ interesse, pacem sumere, at absque mortifero peccato absolutionem impendere,

Eucharistiæ præbere Sacramentum, ac alia administrare, non autem recipere. Quicunque olim communicabat, aut cum excommunicato maiori excommunicatione versabatur, in excommunicationem minorẽ incidebat: at post Constantiense Cõcilium, cuius decretum à Caietano in sua Summa refertur, duobus in casibus duntaxat incurritur in minorem excommunicationem, cum huiusmodi excommunicatis cõmunicando. *Primus* est, quãdo communicatur cum publicè, aut proprio nomine excommunicatis, aut nomine sui officij, adeo quòd proprio nomine, aut nomine officij nominatim, ac publicè denuntiati fuerint. *Secundus* est, quando communicatur cum excommunicato, qui manifestè manus violentas in clericum iniecerit. Et intelligendum est, quòd in vtroque casu incurritur in excommunicationem maiorem, quando participatio, & consuetudo interuenit extra casus in iure permissos: nam in permissis casibus à iure, participatio cum excommunicatis, non facit incurrere in excommunicationem maiorem. Ab hac excommunicatione minori, vt aliqui Theologi asserunt, absoluere nequaquam potest quilibet sacerdos ab ordinario expositus ad confessiones audiendas. Huius ratio est: quoniam etsi bene verũ sit, quòd omnis sacerdos potest, & habet auctoritatem absoluendi à venialibus peccatis, & in prædictam excommunicationem incurritur propter veniale peccatum, attamen, cùm sit illa censura Ecclesiastica, requirit, atque ex-

expoſtulat iuriſdictionem in eo, qui ab illa debet abſoluere, quã non habet Confeſſarius ſolùm ab ordinario approbatus. Eſt etiam adnotandum, quòd huiuſmodi excommunicatio non parit aliam excommunicationem, neq; aliquam inducit irregularitatem. Dico quòd quiſpiam cum tali excommunicato fuerit loquutus, non ideo remanet excommunicatus, nec ſi talis ille celebrauerit, ob id irregularis efficeretur. Sed oritur dubium, an ſi iſte peccans in ſuſcipiẽdis Sacramentis, peccet etiam in conferẽdis? Videtur quod ſic. Nã capitulum, qui celebrat, de clerico excommunicato miniſtrãte, aſſeuerat, quòd ſi ſacerdos, excommunicatus excommunicatione minori, celebrat, aut Sacramenta adminiſtrat, non caret culpa, quamuis Sacramenta valida ſint: ergo nec celebrare poterit abſque peccato, nec Sacramenta adminiſtrare. Ex alia parte videtur eum non peccare: nam in iure tantùm dicitur, debere priuari participatione paſſiua Sacramentorum, & in capitulo, qui celebrat, reſponderi poterit, quòd de Miſſante intelligendum eſt, qui peccat, non quia exhibet Sacramentum, ſed quoniam ille recipit. Sed tutius eſt dicere, excommunicatum minori excommunicatione, dum Sacramẽta miniſtrat, ſemper venialiter peccare: nam ita Summus Pontifex ait in Capitulo, qui celebrat, ſicqúe veniale peccatũ admittit in cõferendis Sacramentis, mortiferum autem in illis recipiẽdis.

De Excommunicationibus in particulare, atque de his, qui ab illis poſſunt abſoluere. §.7.

POSTREMVM, quod non ignorare debet Confessarius circa excommunicationes, est scire casus specialiter, per quos in excommunicationem incurritur, & quisnam ille sit, qui ab ea possit absoluere, vt sciat pœnitenti remediũ adhibere pro salute animæ suæ. Notitia, quæ ad hoc sufficiat, ex his Regulis consequi poterit. *Prima:* Ab excommunicatione minori, in quam solùm incurritur in duobus casibus iam assertis, potest absoluere quilibet sacerdos ab ordinario expositus ad pœnitentiæ Sacramentum administrandum, & vt absoluatur, qui in excommunicationem minorem inciderit, satis est, vt se accingat parere Ecclesiæ, ac ab illo peccato se abstinere, id est, à participatione cum excommunicatis. *Secũda Regula:* Ab excommunicatione maiori, ab Ecclesiastico Iudice lata, non per ius ordinarium, potest absoluere Iudex, qui eam tulit, ac denuntiauit, quoniam eiusdem est potestatis ligare, & soluere. Hæc regula intelligitur, cùm loquitur de ordinaria potestate: nam contingere potest, quòd excommunicatio denuntietur à Iudice inferiori, & quòd absolutio reseruetur Papæ, vt illa est, quæ fertur contra Incendiarios, in capitulo, Tua nos, de sent. excom. Vbi ait Pontifex, quòd si Incendiarij erunt publicati, atque excommunicati, nempe ab ordinarijs, ad Apostolicam Sedẽ pro absolutione confugiãt. *Tertia Regula:* Prælati superiores possunt absoluere ab excommunicationibus latis ab inferioribus; sicqúe summus Pontifex in Bulla Cruciatæ facul-

tatem

tatem concedit absoluendi à qualibet excommunicatione, quamuis à Iudice lata, satisfacta parte. *Quarta Regula*: Cuiuscũque excommunicationis, à iure latæ, aut à Concilio, aut à Summo Pontifice feratur, absolutio pertinet ex officio ad Episcopum, & etiam ad Parochum sacerdotem curam animarũ habentem, nisi specialiter Papæ, aut Episcopo reseruetur. *Quinta Regula*: Excommunicationes latæ in Bulla Cœnæ Domini, in casibus reseruatis in capitulo retroposito, reseruãtur Summo Pontifici, adeoq; nec per absolutionem generalem, quæ impenditur illa die, nec per quamlibet aliam, quamuis solennem, neque per Bullæ Cruciatæ concessionem, conceditur facultas absoluendi, nisi specialiter declaretur. Vt hæc regula rectè conspiciatur, aduertendum est, quãdam esse Bullam in Cœna Domini: nam Summus Pontifex, Feria quinta, quæ Cœna Domini nuncupatur, aliás dies Iouis sancta, promulgat omnibus sententiam, atque processum, contra quosdam, vt nullus valeat eos absoluere, nisi ipse, aut illi, quibus specialis auctoritas ab eo concessa fuerit. Processus isti continent atque complectuntur cuiuscunque gentis genus, maiores, ac minores, sine aliqua exceptione, summo cum rigore, quo vtitur Ecclesia, cùm animaduertere vult delicta grauissima. Intelligendum est etiam, quòd cùm in aliquem reseruatum casum in Bulla Cœnæ Domini inciderit pœnitens, si aderit mortis periculum, non ignoret Confessarius, se posse eum absoluere: nam in arti-

culo mortis non est casus reseruatus. Notandum quoque est, quòd de casibus præassertis, vbi dicitur, quòd possunt absoluere Confessarij semel in vita, & semel in morte; excipitur ille, qui hæresim tangit: nam semper reseruatur Inquisitoribus, aut Papæ, nisi distinctè, atque specialiter concedatur; quamuis concedantur casus Bullæ in Cœna Domini, aut sit per Iubilæum, aut sit in Bulla Cruciatæ, aut cuiuslibet aliæ concessionis. Sed animaduertat insuper prudens Cõfessarius, quòd cùm huiusmodi casus euenerint in confessione, si non habeat ipse absoluendi auctoritatẽ, remittere debet pœnitentem ad superiorem, cui reseruantur, & licet potestatem habuerit, non debeat illam exercere, si multum in animarum cura versatus nequaquam est. Aduertat item idem Confessarius, quòd etsi à præassertis casibus pœnitentem non absoluerit, qui ei cõfessus est, nullo modo, nec quia mortem quis ei minetur, nec propter aliud, quãuis Reipublicæ Christianæ magnum succederet emolumentum; etiam quòd ab Inquisitoribus per eorum edicta præciperetur, aut à Papa, seu ab Angelis, detegere debet quod in confessione audiuit, licet absolutionis beneficium non impenderit: nam obnoxius est ad sigillum confessionis seruandum; siquè illud infringeret, inter duos muros, in carcerẽ conijciendus, & detrudendus foret. *Vltima Regula*: Ab alijs excommunicationibus, quæ multæ sunt, ac præcedenti capitulo declaratæ, quas sibi Summus Pontifex reseruauit, absoluere

non poteſt, niſi ipſe, aut illi, quibus ab eo au-
ctoritas id faciendi conceſſa iam fuerit; & ita
per Bullam Cruciatæ ordinariè conceditur
abſoluēdi facultas ab huiuſmodi excommu-
nicationibus, atque cenſuris. Quonam modo
debeat Confeſſarius abſoluere ab excommu-
nicationibus, opportunius ſecundo libro di-
cetur.

De Suſpēſione, quæ eſt alia Cenſura Eccle-
ſiaſtica. §. 8.

SVſpenſio eſt quædam cenſura Eccleſiaſtica,
per quam priuatur homo exequutione Or-
dinum, aut ſui officij, aut iuriſdictionis. Dici-
tur eſſe cenſura Eccleſiaſtica, ad excludēdum
mortale peccatum, quod etſi ſacrorum Ordi-
num exequutionem præpediat, ſi primùm ob
veram pœnitentiam non curatur, non poteſt
tamen ſuſpenſio nuncupari, quoniam non eſt
pœna, neque caſtigatio, neque culpa. Dicitur
etiam cenſura Eccleſiaſtica, quia prohibere
Iudici, aut aliæ ſeculari perſonæ, ne officium
ſuum exerceat, non eſt ſuſpenſio, cùm non ſit
Eccleſiaſtica Cenſura; nec Excommunicatio
vocatur ſuſpenſio, quāuis ei hoc nomen con-
uenire videatur, tum quia excommunicatio
quamplurima alia in ſe continet, quæ non ha-
bet ſuſpenſio; tum etiam, quia excommunica-
tio priuat hominem Sacramentis, ne ſuſcipi-
at ea, & ſuſpenſio tantùm præcipit vt officiū
Eccleſiaſticum non exerceatur. Nequaquam
neceſſe eſt, vt propter peccatum mortale in
ſuſpenſionem incurratur: nam maior eſt pœ-
na excommunicatio minor, quàm ſuſpenſio,

cùm illa priuet re grauiori, videlicet, ne possint suscipi Sacramenta; suspensio autem, ne officia Ecclesiastica, aut Ecclesiastici Ordines debeant exerceri: & in minorem excommunicationem incurritur ob veniale peccatum: ergo & in suspẽsionem incurritur. Etiam tria sunt suspensionis genera. *Prima* est suspensio ab officio. *Secunda* à beneficio. *Tertia* ab officio simul, & à beneficio. Suspensio ab officio est, ne possit vti officio, quod habet: sicuti si est sacerdos, non potest celebrare. Suspẽsio à beneficio, vt qui beneficio potitur, æstimare debet, ac si beneficiũ nõ haberet; nec potest frui fructib⁹: itaq; non potest, suspensione durante, percipere, nisi quantum ad suam moderatam sustentationem necessarium esse videatur. Ex his iam præassertis rebus comprehenditur quidnam sit suspensio ab officio, ac beneficio: sed bene adnotandus est suspensionis tenor: nam non debet extendi amplius, quàm sonat. Quẽadmodum, si Episcopus ab Ordine suspenderetur, remanent ei cætera: nempe iudicare, absoluere, excommunicare, atque rem sacram facere, &c. sed priuatur solùm, ne Ordines possit conferre. Qui suspensus est, rectè potest absoluere, modò suspensus remaneat: nam, vt superius diximus, suspensionis sententia minimè iubet, vt non possit absolui; sed quòd nõ possit absoluere, nec officium suum, aut iurisdictionem valeat exercere. In quatuor, vel quinque casibus in suspensionem incurritur. *Primò*, quando clericus est publicus concubinarius: at huiusmodi castigatio iam non est

ampli-

amplius in cõſuetudine, ſed abrogata eſt, cùm exequuta non fuerit. *Secundò*, quando quis Ordini initiatur extra tempus ab Eccleſia ſtatutum, aut cùm legitimam non habeat ætatem; aut ab Epiſcopo excommunicato, & non proprio. *Tertiò*, cùm Monaſterij procurator, qui eſt clericus, diſtribuit, aut deſtruit inordinatè bona monaſterij. *Quartò*, ſi clericus duellum inſtitueret, aut aliquem prouocaret ad pugnam, aut prouocatus illam admitteret. *Quintò*, qui ad titulum ficti patrimonij ſuſcipit Ordinem. *Sextò*, qui Simoniam committit.

Ad abſoluendum à ſuſpenſione non ſunt certa ac determinata verba, & poteſt dari abſolutio per quodlibet verbum, vt dicendo: *Ego te abſoluo à vinculo ſuſpenſionis, quod incurriſti*, aliâs tollitur ſine alijs verbis, velut ſi Prælatus diceret: Ego te ſuſpendo per ſex dies, elapſis diebus iſtis, non remanet ſuſpenſus. A ſuſpenſione abſoluere poteſt Epiſcopus, ſi non fuerit illa reſeruata Papæ: & ab illis, à quibus Epiſcopus poteſt abſoluere, poſſumus etiam nos religioſi Confeſſarij Ordinis mendicantium expoſiti, & ab omnibus virtute Bullæ Cruciatę, quam concedit Summus Pontifex in Hiſpania, poteſt abſolui: quoniam dicitur in Bulla, quòd poſſint abſoluere à qualibet cenſura, & ſuſpenſio eſt cenſura, atque animaduerſio, quæ datur ab Eccleſia. *At hoc oritur dubium*: Si quis ante vigeſimum quartum annum ſuſciperet Ordinem, ob quod in ſuſpenſionem incurrit, à qua per Bullam poteſt ab-

solui, vtrum iste post absolutionem possit celebrare?

Respondeo quòd non: Confessarius namque aliud efficere non potest, quàm suspensionem tollere, quam incurrit propter susceptum Ordinem; sed auctoritatem non habet dispensandi tempus, quod ei deest, potestatem dando, vt ante vigesimumquartum annum celebret. Sed nihilominus multum prodest huiusmodi absolutio: nam cùm ille vigesimumquintum annum attigerit, poterit absque alia licentia celebrare, quod facere minimè posset, si beneficium absolutionis ei non fuisset impensum, sed opus foret, vt dispensationem exposceret. *Secundò dubitatur:* An, si quis ante vigesimumquartum annum ordinetur, & celebrat Missam, vnà cum Episcopo in ista ordinatione incidat in irregularitatem? Videtur quod sic: quoniam verè celebrat, cùm sit suspensus. Ex alia parte non videtur, quòd Ecclesia teneat pro prima Missa, nisi illam, quam celebrat ex se ipso: aliâs etenim non est distinctus actus Ordinum, & hæc secunda videtur esse copiosior. *Tertiò dubitatur:* Quidam Ordinem suscipit ad titulum patrimonij, & post ordinationem patrimonium illud alteri confert, vtrum sit iste suspensus? Videtur quod non: nam renũtiatio non fuit valida iuxta Concilium Tridentinum; & cùm inualida sit, est ac si facta non foret; & cùm facta non fuisset, non est suspensus: ergo non suspenditur, quamuis conferat patrimonium. Attamen remanet suspensus, quoniam

licet

licet inualida fuerit, nihilominus per ipsum non ſtetit, quin valida eſſet. Quemadmodum etiam Prælati excommunicant eos, qui clandeſtinè contrahunt matrimonium, non quia contractus ille validus ſit, ſed potius, quia ipſi volunt omnino illud contrahere, & ideo incidunt in excommunicationem.

De Irregularitate. §. 9.

VOluit Eccleſia ab exordio ſuo, vt miniſtri ſacri, qui altari inſeruire debent, ac Sacramenta adminiſtrare, eſſent mites, pacifici, & non viri ſanguinum; ſed & corpore, & ſpiritu apti ad diuinum miniſterium peragendum, caſtam, honeſtamqúe vitam degentes, atque irreprehenſibiles: quamobrem inſtituit, ac ordinauit, vt illi, quibus huiuſmodi conditiones deeſſent, certo modo irregulares efficerentur. Irregularitas eſt quoddam Eccleſiaſticum impedimentum, per quod impeditur quis, ne ſacros Ordines poſſit ſuſcipere, aut illos ſuſceptos exercere. Dicitur impedimentum, non autem cenſura: nam crebrò incurritur abſque peccato, ſicut poſtea videbimus. Vt qui altaris miniſterium ſuſceperunt eſſent pacifici, & non ſanguinolenti, pręcipit Eccleſia, quòd per homicidium, aut membri abſciſſionem incurratur in irregularitatem: itaque qui occidit, aut membrum mutilauerit, non poteſt ordinari, & cùm fuerit ordinatus, non poteſt ſuſceptos Ordines exercere: & hoc de vnoquoque intelligendum eſt, qui propinqua extitit cauſa & homicidij & abſciſſionis, quamuis iuſta ſit illa, vt ſunt iudices, teſtes, nota-

notarij, omnesq́ alij ministri iustitiæ in causa sanguinis. Item voluit Ecclesia, vt sui ministri essent corporaliter apti, & spiritualiter, cuius defectu in irregularitatem incurritur: quemadmodum si quis aliquo caret membro, aut digito ad dicendam Missam necessario, si defectum aliquem notabilem haberet in oculis, aut in corpore, si esset spurius, aut recenter baptizatus. Ad casum istum rediguntur, qui caduco morbo laborant, lunatici, atque cæci. Insuper Ecclesia voluit, vt ministri, sacro altari inseruientes, magna essent honestate præditi, & castitate, propter quod nonnullos effecit irregulares, sicuti illum, qui duas habuit vxores, ac illum, qui viduam sponsam duxit: quoniam, quemadmodum Christus non habuit nisi sponsam vnam, nempe Ecclesiam sanctam, omni labe carentem; ita decet, vt eius minister vnam tantùm sponsam duxerit, quæ extiterit virgo. Præterea qui duas duxit vxores, clarè demonstrat paucam habere continentiam, & ideo æquum non esse videtur, vt minister Dei sit, qui continens semper esse debet, & castus, atque alios ad castè viuendum incitare. In istas irregularitates nequaquam ob peccatũ incurritur, sed quoniam in ministro altaris rem indecentem denotant, atque demonstrant. Voluit quoque Ecclesia sancta Dei sacros eius ministros sanctam atque irreprehensibilem degere vitam, quamobrem quibusdam delictis pœnam intulit irregularitatis. *Primò*, qui aliquo vtitur Ordine solemniter, cùm illum non susceperit,

rit, velut, qui Euangelium dicit, aut Missam, cùm non sit ordinatus. *Secundò*, qui excommunicatione irretitus celebrat, aut solemniter aliquem sacrum Ordinem administrat. *Tertiò*, qui ab aliquo sacro Ordine suspensus, vtitur illo. *Quartò*, qui ex dolo, aut per saltum ordinatus, aut extra tempora legitima, aut ante ætatem, vel sui superioris licentia non obtenta. Qui sacros Ordines susceperit aliquo modo ex istis, quos asseruimus, ac in Ordine sic suscepto ministrare ausus fuerit, efficitur irregularis. Ad maiorem huius materiæ intelligentiam, notandum est, irregularitatem aliquando propter peccatum incurri; aliquando verò absque peccato, quemadmodum, cùm duæ ducuntur vxores, aut quando interuenerit mors, aut membrorum abscissio per sententiam iudicis. De irregularitate, in quam per peccatum incurritur, magnum est dubium inter Doctores, an possit ab ea quis absoluere, vel tolli per Bullam. In hoc sunt diuersæ, atque contrariæ opiniones. Sotus, cęteriq; disertissimi viri, asserunt, quòd sic, quorum sententia fundata est in concessione Bullæ: nam Bulla dicit, quòd eius virtute possit à quacunque pœna, aut Ecclesiastica cẽsura absolui: & quoniam irregularitas, quæ per peccatum incurritur, vera est pœna, atq; censura Ecclesiastica, clarum esse videtur, posse per Bullam absolui. Alij secus sentiunt, quia irregularitas non soluitur, sed dispensatur, & Bulla non dicit, nisi quòd possit absolui à quacunque censura Ecclesiastica, in quo videtur, quòd

quòd intelligendum est, Bullam non loqui de pœna ac censura, de qua non est absolutio, sed dispensatio, sed loqui de peccato, per quod in præfatam incurritur irregularitatem. At prima opinio verior est, & magis adhæret Canoni, quamuis non secundùm Vicariorum vsum atque Episcoporum, & ratio secundæ opinionis nequaquam conuincit: nam cùm suspensio tolleretur, aut irregularitas quolibet verborum genere, vt iam dictum est, impertinens esse videretur ad illam auferendam dicere, ego dispenso, aut absoluo, aut aufero irregularitatem. Sed hæc opinio nostra intelligitur, quando irregularitas solùm per peccatum admittitur: si etenim quis occidit, aut membrum incidit iniustè, est non solùm propter peccatum irregularis, quod ipse commisit, sed etiam ob significationem, atque indecentiam, quæ in eo est, qui sanguinem fudit, licet iusta de causa, administrandi in altari Christi Sacramentum, qui verus atque immaculatus Dei est Agnus, & sic non potest iste absolui ab huiusmodi irregularitatibus, virtute præassertæ Bullæ. Oportet etiam circa irregularitatem aduerti, in quam ob peccatum incurritur, quòd si quid acciderit, quod excuset à peccato, veluti aliqua esset ignorantia, quæ excusaret, recedet irregularitas: nã cùm hęc sit pœna culpæ, vbi culpa non erit, nec in pœnam debet incurri.

Regulæ, quibus agnoscitur, quando in Irregularitates incurratur, maximè verò ratione homicidij, aut membri abscißionis. §. 10.

VT

VT agnoſcatur cùm incurrit quis in irregularitatem, quatuor apponuntur regulę. *Prima*, incurritur irregularitas ſolùm in illis caſibus, qui exprimuntur in iure, in alijs autem minimè, quamuis de vtroque irregularitatum genere eadem ratio videatur adeſſe. Ex quo colligitur falſum eſſe illud, quod ait Sotus, nempe quòd ſemen fundens in Eccleſia efficitur irregularis. Non ita eſt hoc: quia in toto corpore iuris hęc irregularitas non reperitur. *Secunda*, ſi quis efficax habuit deſiderium, quo ad ſe, interficiendi, aut membrum aliquod incidendi, & ſic illud opere compleuit, id eſt, ſtrinxit enſem, aut gladium, vt interficeret, ſed non fuit ſequutus effectus, quia non occidit, neque mutilauit, non remanet irregularis, licet per illum non ſtetit, vt occideret. Ex quo *primùm* ſequitur, quòd ſi aliquis habuit deſiderium efficax interius occidendi, & non occidit, non incurrit in mortalem irregularitatem, vt nonnulli aſſeruerunt antiqui. *Secundò* ſequitur, quòd ſi ille ictu ſclopeti aliquem vulnerauit, qui miraculosè non eſt mortuus, non reſtat irregularis: nam verè non interfecit, nec mutilauit. *Tertia* regula, quotieſcunque mutilatio, aut homicidium prorſus euenit caſu, & clarè perſpicitur, quòd ille non intendit, nec voluit id efficere, quamuis ſequatur effectus, non eſt irregularis: quia incurritur irregularitas per homicidium, aut voluntariam mutilationẽ, qualis non fuit in iſto caſu. *Quarta*, quotieſcunq; homicidium fuerit voluntarium, aut voluntaria

ria fuerit abscissio membri, aut sit iusta de causa, vt in iudice; aut iniusta, velut in alia persona priuata, semper incurritur in irregularitatem, nisi in vnico tantùm casu, videlicet cùm aliquis aliquem occiderit pro sua defensione, & secus non potest euadere mortem, nisi cùm interfecerit, hoc ita definitum, atque determinatum fuit in Clementina vnica de homicidio. Ex hoc primum colligitur, quòd cùm quis mortē euadere potuit, & non euasit, sed ad se defendēdum occiderit aggressorem, quamuis id sine peccato effici potuisset, remanet irregularis: nam mortem alio modo euadere iam potuerat. Sequitur postea, quòd si ob bonorum defensionem, honoris, vxoris, aut filiorum, quamuis pro ipsa republica, quis voluntariè aliquem interfecerit, fit irregularis. Sed in hoc aduertendum est, quòd Prælati, aut clerici iustitiam exposcentes contra aliquem sub prætextu, quòd non intendunt pœnam mortis, nec sanguinis, non incurrunt in irregularitatem, nec qui proditionem reuelant, aut proditorem contra rempublicam, sicut prædictum est, protestantur. Ita etiam Inquisitores seculari Iudici hæreticos assignantes, licet instare videātur, vt comburatur hęreticus, non remanēt irregulares: nam Inquisitoribus prohibetur tantū mortis exequutio. Sed dubitatur, an qui ligna in ignē inijciunt, quando isti comburuntur, fiant irregulares? Ad hoc respondendum est, aut hæreticus laqueo suspensus fuerat, aut non: si suspensus erat, & iam obijsset, inijcere ligna
in

in ignem, non inducit irregularitatem: ſed quando viuus comburitur, qui ligna inijcit, irregularis efficitur: ſed conducentes ligna ad comburendum, non autem illa inijcientes, non ſunt irregulares, nam mortis illius ſunt nimis remota cauſa.

Aliæ regulæ, ex quibus dignoſcitur irregularitas, in quam incurritur per homicidium, aut membri abſciſsionem in bello, quamuis iuſto. §. 11.

PRima regula. Quando clericus ad bellum ſe confert, obtenta licentia Papæ, aut occidat, aut incidat membrum, vel illud abſcindat, non fit irregularis: nam cùm habeat iam depugnandi licentiam, eadem ratione videtur habere irregularitatis diſpenſationẽ. Quemadmodum ſi ſummus Pontifex alicui Eccleſiaſticum venderet beneficium, eodem caſu diſpenſaret eum in pœnis ſimonię. *Secunda regula.* Si quis in bello iniuſto vtitur armis, auxilio, aut conſilio, ſeu fauore, aut metum inijcit aduerſarijs, ſi alicuius mors inde ſequitur, remanet irregularis, quamuis eum non interfecerit. *Tertia regula.* Qui in bello iuſto eſt cum armis defenſionis, adhortando præliantes, ſi ipſe non interficit, neque mutilat, non efficitur irregularis. *Quarta regula.* Si aliquis in iuſto bello, aut iniuſto præliatur, ſed non occidit, neque membrum mutilat, non fit irregularis. *Quinta regula.* Si clericus dubitat an occiderit, & magis tenet ſe occidiſſe, quòd eſt habendus irregularis. Hæc regula habetur pro vera, quia in iure determinata eſt. Sed debet intelligi, quando dubium erit practicum, &

nimis probabile: nam si scrupuli dubium fuerit, aut coniectura non multum probabilis, non est habendus irregularis.

De modis, quibus tollitur Irregularitas. §.12.

TRibus modis Irregularitas tollitur. Aliqua per baptismum, vt illa est, in quam propter peccatum incurritur, cùm quis occiderit, aut membrum mutilauerit, sed non illa, quę incurritur, cùm duas duxerit vxores, aut cùm sit spurius. Sunt etiam aliquę irregularitates, quæ per professionem Religionis delentur, nempe illa, quæ à proprio delicto non proficiscitur, vt quæ oritur, quia est spurius: nam ille potest ad Ordines promoueri, sed non ad dignitatem, etsi verum sit, quòd propter religionis ingressum facilius dispensatur. Ita aduertendum quoque est, quòd Prælati, quando mittunt fratres ad Ordines suscipiendos, dispensant super illos, quamuis id minimè dicant. Postremò cùm Irregularitates tolluntur, est posterius dispensatio, auctoritatem habentis, pro cuius rei intelligentia animaduerti debet, quòd super Irregularitatem, quæ per homicidium directè voluntarium euenit, aut propter abscissionem membri, maximè cùm iniustè facta fuerit, non potest alius quàm summus Pontifex dispensare, & rarò dispensat, vt Ordines sacri suscipiantur: quãuis Episcopus potest dispensare super homicidium indirectè voluntarium, ratione beneficij, ac etiam vt curatum iam receptum retineatur, & sic vt aliud recenter consequatur. Quàm plurimi Doctores sentiunt, Episcopum

posse

posse dispensare in Irregularitate, quę oritur ex homicidio voluntario, iustá de causa facto, vt in Iudice, qui iudicat, vt iustè quis moriatur, aut solùm vt minores Ordines suscipiantur, sic etiam vt beneficium conferatur. In omni casu duarum vxorum potest dispensare Papa: nam omnis irregularitas inde proueniens, inducta est tantùm ob humanam rationem, licet à Paulo Apostolo fuerit ordinata: attamen ab ordinario nunquam dispensatur. à quacunque irregularitate, quę solùm per peccatum incurritur, potest absoluere Papa, & etiam Confessarius, virtute Bullæ, vt desuper dictum est. In omnibus irregularitatibus, ac suspēsionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta illa, quę oritur ex homicidio voluntario, & exceptis etiam illis, quę ad contentiosum forum peruenerũt, possunt Episcopi dispensare, vt determinauit Concilium Tridentinum. In irregularitatibus ex defectu corporis aut animæ prouenientibus, qui quidem defectus inhabilem reddit personam ad sacrum officium ministrandum, solus Papa dispensat: nec etiam potest ipse dispensare, cùm defectus huiusmodi aut ex intellectu proficiscatur, aut ex corporis dispositione, vt omnino inhabilē faciat illum, qui Ordinem est suscepturus, veluti si tam ineptus foret, aut careat ratione, atque intellectu. Forma, quæ dari solet in absolutione, aut dispensatione super irregularitates, hæc est: Ego dispenso super irregularitatem, aut irregularitates, in quam, aut in quas incurristi per

illam, aut aliam causam: aut cùm dubitatur, an ille incurrerit, dicat: si tu incurristi.

De Interdicto. §. 13.

INterdictum est quædam censura Ecclesiastica, ob quam priuatur quis Sacramentorum administratione, atque Ecclesiastica sepultura. Diuiditur in localem, & personalem; & in localem insimul, & personalem. Locale nuncupatur, quando ponitur interdictum in aliquo loco, vt si poneretur in Ecclesijs Salmanticis. Personale verò, cùm ponitur personis, velut si apponeretur in iudicem. Locale, & personale insimul, quemadmodum in Ecclesijs, & gentibus. Secunda diuisio est. Interdictum locale potest esse particulare, & vniuersale; & simile est etiam personale. Locale particulare est, quando ponitur interdictum in aliqua Ecclesia tantùm: vniuersale, quando in omnibus ponitur. Personale particulare, vt si solus interdiceretur iudex: vniuersale, vt si omnibus huius ciuitatis poneretur. Sed differt interdictum locale à personali: nã si interdictum est in vna Ecclesia, potest dici Missa in alia; & si est in tota ciuitate, potest extra illam dici: sed interdictum personale est cum persona. Itaque si homo interdicitur in hac ciuitate, non solùm non potest hîc dicere Missam, ac diuina officia, sed neque potest in quolibet alio loco, quocunque ierit, audire. Tria sunt, quæ conceduntur tempore interdicti. *Primum*, vt dicantur Missæ, ac diuina officia, quemadmodum antea dicebantur, modò quatuor seruentur conditiones. *Prima*,

quòd

quòd voce ſubmiſſa dicatur:hoc intelligitur, vt pars vna chori alteram poſſit audire,dummodò extra Eccleſiam non audiatur. *Secunda*, vt ianuis clauſis dicatur: hoc intelligendum eſt,quando diuinũ officium in commune dicitur:nam ſi duo tantùm ſimul dicerent, non opus eſt vt claudãtur ianuę,ſatis eſt,vt aduertant,ne ab alijs audiantur, à quibus audiri nõ poterant.*Tertia*,ne pulſentur Campanæ:&hîc non prohibetur, vt non pulſentur ad vocandũ populum ad concionem audiendam, neq; cùm dicitur ſerò Angelica ſalutatio,aliâs Aue Maria,ſed prohibitio eſt, ne ad diuina officia pulſentur.*Quarta*,vt extra Eccleſiam eijciãtur excommunicati. *Secundum*, quod interdicti tempore permittitur,eſt,vt in quibuſdam diebus feſtis, in iure exceptis, in capite Alma mater,de ſent.excom.lib.6.penitus poteſt tolli, quemadmodum ſunt dies Dominicæ Reſurrectionis, Natiuitatis,Pẽtecoſtes, Aſſumptionis Beatę Mariæ ſemper Virginis, Matris Dei:at non intelliguntur octauæ,ſed dies tantùm, quibus dici poſſunt diuina officia cum conſueta ſolemnitate, excommunicatis foras expulſis, admiſſis autem interdictis, ſed hac mediante conditione, vt qui interdicti occaſionem præbuerunt, ad altare nequaquam accedant. Hoc idem permittit poſtmodum Martinus Quintus quadam extrau. in die Corporis Chriſti, & in ſuis octauis. Sunt inſuper Religiones quamplurimæ habentes priuilegia,ac immunitates in nonnullis alijs diebus feſtis,& ſolẽnitatibus, ſed quæ

ego asserui, sunt de iure communi. Interdictũ ponitur à Vespere vsq; ad Completorium sequentis diei: quod debet intelligi iuxta communem consuetudinem recitandi in Ecclesijs, adeo quòd si in Ecclesia maiori, cùm dictum fuerit Completoriũ anticipata hora, positum fuerit interdictum, & in aliquo monasterio nondum dictum fuit, potest commodè dici cum suis solemnitatibus, postea verò poni poterit interdictum. *Tertium*, quod conceditur tempore interdicti, est vt Baptismus pro pueris administretur, atque maioribus natu: necnon & Sacramentum Confirmationis, illudqúe Pœnitentiæ: excipiuntur excommunicati, nisi in articulo mortis fuerint constituti. Nec ad Pœnitentiæ Sacramentum admittuntur interdicti, qui interdicti causam dederunt, si priùs, cùm possint, non satisfaciunt; aut, si tunc satisfacere minimè possunt, securitatem sufficientem non dederint satisfaciendi; aut si id facere non valent, iurent se fideliter curaturos satisfacere per se, aut per alios. Potest etiam altaris Sacramentum infirmis dari cum solennitate, ac sonare campanula, quoniam officia diuina non dicuntur. In Sacramento Matrimonij possunt sponsalitia celebrari, non autem velationes, nec solemnes benedictiones. Circa hoc tria nascuntur dubia. *Primum*. An si quis habens Bullam, ob quam tempore interdicti aut cessationis potest Missam audire, peccet non audiendo eam, diebus festis præceptis, aut in Dominicis? Videtur quòd non: quia

quia hoc est priuilegium, & priuilegium nec obligare, nec cogere debet: secus enim nec gratia, neque fauor esset, cùm priuilegium concedatur, vt illo possit quis ad beneplacitum suum vti: non peccat ergo, si eo non vtitur. Quod confirmari potest per illam regulam de iure dicente: Quod in alicuius fauorem conceditur, in eius præiudicium verti non debet. *Secundum*. Per eam rationem, ob quam dicitur illum peccare, quia cùm esset obnoxius ad audiendam Missam, non audit, cùm possit audire, sequitur, quòd si tota Salmãtica est interdicta, & in suburbio extra ciuitatem est Ecclesia non interdicta, obligabitur non habens Bullam, ire ad audiendam Missam in illa Ecclesia, & non eundo peccabit, quia ire tenetur, & potest illuc se cõferre, & minimè se confert. Nihilominus sum ego in eadem sententia, qua est & Sotus, nempe obnoxium esse illum ad audiendam Missam. *Primùm:* nam si antea non peccabat, ratio erat, quia non poterat: nunc verò potest, aut sit priuilegium, vel ne, igitur peccat, non audiens Missam. *Secundò* probatur hoc exemplis: Si quis est in carcere trusus, & arcis custos dat ei licentiam audiendi Missam die Dominica, non audiendo eam peccat, quia potest, & non audit, cùm sit obligatus audire. Ita etiam, quidam debet centum aureos, nec modum soluendi habet: at si elargiuntur ei postea pro eleemosyna centum aurei, hic, quia nunc potest, obligatur ad restitutionem: ergo obnoxius & ille alius est ad audiendam Missam.

Illi autem dicenti, non debere priuilegium obligare, respondeo, quòd non priuilegium obligat, sed lex Ecclesiæ præcipientis, vt audiatur Missa, cùm non adsit impedimentũ, & priuilegium tollit impedimentum, quod iste habebat; istudq́ue non est vertere gratiam in suum detrimentum, sed in emolumentum maximum, quale istud est audiendi Missam. Secundo quoque dicenti obligatum esse illum ire ad Ecclesiam extra in suburbio manentem, respondeo, quòd si nimis prope esset ciuitatem, obligaretur ire; sed hoc intelligendum est, teneri Missam audire in solitis Ecclesijs, in quibus communiter solet audiri. *Secundum est dubium*, quòd Concilium Tridentinum asseuerat, vt fratres seruent interdicta ab Episcopo, aut Prælato posita, non obstante priuilegio, quod in contrarium habẽt, nosq́ue alij Fratres Dominicani tollimus illud aliquando in festis sanctorum Ordinis, in nouis Missis, &c. Quamobrẽ videtur nos contra Concilium facere. Ad hoc respõdeo, quòd nos nequaquam contrafacimus, sed obseruamus interdicta, & videtur: nam statim finitis Completorijs, iterum ponitur interdictum, per quod demonstratur sublatum fuisse illud per peculiarem dispensationem. Et priuilegia, quæ annullantur à Concilio, sunt nõnulla, quæ in quibusdam erant Religionibus, quòd obligatæ non essent seruare aliquod interdictum. *Tertium dubium est*: Nos habemus priuilegia, vt tempore interdicti possimus Eucharistiam in nostris Ecclesijs administrare: in-

re: interea venit quidam clericus ad dicẽdum Missam in Ecclesia nostri monasterij, poteritne ille alterum communicare, non obtenta licentia sui Episcopi, & durante interdicto, à quo id sibi vetitum est? Ad hoc respondeo, quòd cùm ille in Ecclesia celebret cum licentia Sacristæ monasterij, aut illo consentiente, potest Eucharistiam ministrare: at si clericus illam administrauerit non interueniente Sacrista, fortè mortiferè delinquit id faciẽdo.

De Cessatione à Diuinis. §. 14.

CEssatio à rebus diuinis est maior, atque seuerior animaduersio, quam habet Ecclesia: vnde ponitur pro rebus admodum grauibus. Et quamuis interdictum in hoc eam excellat: nam interdictum infringens remanet irregularis, qualis non fit, qui cessationem nõ seruat, tamen absolutè longè maior est, & grauior cessatio, cùm arctior sit, atque rigidior, quàm est interdictum. Et vt sciatur quod licet fieri, aut non, tempore, quo erit à diuinis cessatio, ponetur hoc in loco quædam doctorum virorum determinatio totius ciuitatis Salamanticæ, qui cùm de hoc inuicem se consulerint, quod sequitur, decreuerunt. *Primò*, quòd durante cessatione prædicta, non possint diuina officia celebrari in ciuitate, in qua illa est, & quòd in Ecclesijs omnibus cessent omninò. *Secundò*, vt possit in Ecclesia celebrari, ad renouandum sacrosanctum Eucharistię Sacramentum, secretò à solo sacerdote cum ministro per quoslibet singulos dies octo. *Tertiò*, quo ad recitandas Horas, vnusquisque

per se solus recitet, non autem bini, priuilegiatis exceptis. *Quartò*, quo ad baptismum, possit ille dari pueris, ac maioribus natu cum solemnitate, nec nō & Catechismis, & Chrismate, & oleo necessario, quemadmodum tempore, quo non est interdictum, neque cessatio: & idem est de Sacramento Confirmationis. *Quintò*, Sacramētum pœnitētiæ dari potest non solùm infirmis, sed etiā sanis. *Sextò*, quo ad Eucharistiam, potest illa dari tantùm infirmis, potestq; cum solennitate portari, atque sonare campanula, modò diuina officia non recitentur. *Septimò*, extrema Vnctio nemini dari potest. *Octauò*, quòd Ecclesiastica sepultura potest dari clericis in cœmiterio, & non intus in Ecclesia. *Nonò*, quòd potest matrimoniū contrahi per verba de præsenti, quamuis quilibet clericus interueniat, modò benedictiones, & velationes nequaquam fiāt. *Decimò*, quo ad priuilegia, & Bullas Apostolicas, quæ obtinētur, vt Missa possit audiri, aduertendum est, vt qui eas obtinuerunt, si propter interdictum solum obtentæ fuêre, non possint eis vti tempore cessationis: siqúe huiusmodi Bullæ, ac priuilegia loquuntur de tempore cessationis, pro conscientia diligenter inspiciant, vt priusquam eis vtantur, sciant, atque peritos doctosq; viros consulant, vsque ad quod tempus extendantur, & an fuerint illa reuocata per Bullas cruciatæ, aut alio modo, vt non procedatur contra formam eorum, & vti possint, vt debent, sine scrupulo conscientiæ, atq; vbi specialiter conceditur, vt in domo possit dici
Missa,

Miſſa, non dicatur, niſi vna Miſſa in die.

De notitia, quam habere debet Confeſſarius de caſibus, in quibus inualida fuit confeſſio, atque denuò eſt iteranda.

Cap. 12.



CERTA, veraq; eſt omnium Catholicorum ſententia, ritè ſemel confeſſum, non oportere vt iterum confiteatur, neq; ſanciri poteſt humana lex, quæ ſecus obligare videatur. Vnde ſequitur, quòd aſſerentes neceſſe eſſe generales fieri confeſſiones, falſam, atque erroneam doctrinam docēt. Nam, aut retro factæ confeſſiones validæ fuerunt, an non: ſi validæ extitêre, falſum eſt, atq; erroneũ, dicere opus eſſe, vt aliæ generales confeſſiones fiant: ſi fuerunt inualidæ, verũ eſt, vt omnes reiterentur, non quia particulares minimè ſufficiant, ſed quoniam fuerunt inualidæ. Docere igitur neceſſarium eſſe omnibus, vt generaliter debeant cõfiteri, error eſt, quem homines parum in curandis animabus verſati docuerunt, quiq; animas ſubditas tenere prætendunt, maximè miſerarum mulierum, quarum ſecreta ſemper reminiſcuntur. Magnum attulerunt damnum elapſis temporibus quidam exteri clerici ex Gallia venientes, qui tempore Iubilæi audiebant populi confeſſiones, ad quos omnes confugiebant, ac ſua grauia peccata confitebantur, quorũ induſtria atque artificium erat, quòd inde ad

paucos

paucos annos ijdem reuertentes, peccata secreta dicebant eis, & præcipuè mulieribus, quæ in confessione audierāt, quod omnes mirabantur, ac eos habebant pro diuinis, ac sanctis hominibus, & largiebantur propria bona illis, qui ostendebant se scire eorum occulta peccata, quæ reuelabant. Vnde populus ipsiusmet famam, atque honorem prædictis subiectū esse sentiebat. Sed gratias agamus Deo, cuius benignitate remedium tam pernitioso facinori adhibitum fuit, vtinam confessionibus istis, quas fieri generales quàm plurimi voluerunt, dicentes id oportere, non eandem prætendant subiectionem, & emolumentum: vnde sic eas sibi subijciant, vt nemo illas ab eorum manibus possint auferre. Verum est, generales confessiones nonnullis multū prodesse, cùm personæ sint quietæ, atque modestæ, velintq; cūcta sua scrutari peccata, ad maiorem confusionem. Sed admonendi sunt isti, vt per plurimum non faciant huiusmodi generales confessiones, sed semel, ac ritè generaliter confiteantur peccata, quæ admiserūt: nam cùm sæpe generaliter confitentur, solent inquietam habere consciētiam, parumq; confidere misericordiæ Dei, atq; Cōfessarijs solet scandalum generari, quando, qui confitetur, est mala, damnataq; vita: conducit etiam generalis confessio quietis ac modestis personis, cùm dubitant, an præteritæ fuerint ritè factæ. Sed in personis scrupulosis, atque corde, animoq; pusillis, huiusmodi generalis confessio nequaquā est à Confessario admittenda: nam
nihil

nihil aliud, quàm inquietudinem affert, perditionem sensus, & animæ. Pro comperto habeat prudens, ac peritus Confessarius, quòd si animæ scrupulosæ præterita confessio non suffecit, neque futura sufficiet, & quòd semper illa nouos inueniet scrupulos, nouasq́ue diffidentias, se non fecisse quicquid facere tenebatur ad confitendum, sciatq; semper eam diffidere, se non rectè doluisse, ac pœnitudinē veram concepisse, quodve quamplurima dicenda forent: sunt & aliæ pusillanimitatis passiones, quas anima scrupulosa, quæ diffidit Deo, scrutando quærit. De medela animabus istis adhibenda, infra copiosè tractabimus.

De Confeßione inualida ex defectu Confessarij. §. 1.

CVm igitur veritate ipsa comprobaturus sim casus, in quibus inualida ac reiteranda est confessio, aduertendū est, quòd ex parte Confessarij inualida esse poterit in casibus istis. *Primò.* Quādo caret iurisdictione, aut cùm non sit sacerdos, aut cùm expositus minimè fuerit, vt illum pœnitentem absoluat. Itaque absolutio Confessarij, qui nō est sacerdos, aut auctoritatem non habet ordinariam id faciendi, neque delegatam, non valet, & reiterari debet. *Secundò.* Quando Confessarius intentionem non habuit absoluendi, vt si semidormiens absoluisset, non cogitans quidnam ipse faciebat, aut si ex proposito malitiosè non voluit illam intentionem habere. *Tertiò.* Quando Confessarius est excommunicatus publicè nominatim, aut cùm violentas manus in clericum

ricum iniecerit tam manifestè, quòd non poterit tergiuersari, tunc si quis isti cõfessus fuerit, priusquam absolueretur ab excommunicatione, inualida erit confessio, atq; reiteranda. *Quartò.* Quãdo tam ignarus est Confessarius, qui nescit, nec intelligit confessionem, & pœnitens perplexam habet conscientiam implicitam, atq; intricatam, quòd pro certo, ac pro conspicuo habet, quòd nec ipse explicare se valeat, nec Confessarius peccata, quæ admiserat, intellexit: in tali casu nec valida fuit cõfessio, neq; effectũ aliquẽ fuit consequuta.

De Confessione inualida ex parte Pœnitentis. §. 2.

Ex parte Pœnitentis in sex casibus inualida est confessio. *Primò*, cùm confitendi nequaquam habuit intentionem, sed iocandi. *Secundò*, si non integram facit confessionem, omittens confiteri aliquod mortale peccatũ, quod confiteri tenebatur. Dico hoc: nam in aliquibus casibus, vt postea statim dicemus, potest ipse pœnitens iustam ob causam non confiteri aliquod peccatum mortiferum, vt non detegeret complicem ipsius delicti, aut ne confitendo Confessarium incitaret ad malum. *Tertiò*, si mentitus est in confessione circa aliquod peccatum mortale, quoniam in huiusmodi casu non fuit vera confessio, & ideo inualida, suoq; caret effectu. *Quartò*, si de peccatis suis pœnitudinem non concepit: nam cùm dolor sit substantialis pars pœnitentiæ, tam est dolor iste necessarius, quòd si minimè habetur, non potest esse confessio. At notandum est diuersas opiniones esse Doctorum, qualis dolor

lor ſit pro vera confeſſione perneceſſarius. Aliqui diſerti viri aiunt, oportere pœnitentē habere aut veram contritionem, nempe dolorem offendiſſe Deum, & hoc non propter inferni metum, ſed propter amorem Dei, & propter amiſſionem eius amicitiæ: aut ſaltem excogitare debet pœnitens ipſe quòd attingere poterit hanc veram contritionem propter offenſam Dei, quamuis verè ac realiter nō ſit illa, niſi attritio, atque imperfectus dolor. Ratio huius opinionis eſt: nam qui de peccatis dolet propter inferni metum, & cum hoc ſolo dolore ad Sacramentū accedit, & non dolet, ſe Deū offendiſſe, neq; ſe ob talē offenſam incuſat, quoniā tantūmodò dolet propter inferni pœnas, & ſic videtur quòd non verè confeſſus fuerit. Sed verum eſt, non eſſe tam neceſſarium, ſed attritionē ſufficere, atq; imperfectum dolorem: licet intelligat pœnitēs attritionem eſſe ſolam, atq; ſe contritionem nequaquam attingere. Nec diſpoſitio coniuncta Sacramento ſufficit, cùm Sacramentū hoc infirmorum atq; immūdorū ſit pariter, & mortuorum, qui hoc Sacramento mundantur, ac à peccati morte reſurgunt. Vnde ſequitur, q̃ quamuis ipſi accedant infirmi, ac immundi cum dolore imperfecto, dignè tamen ad Sacramentum, quod vita eſt & puritas, vitamq; dat, & puritatem, accedunt. Et pro certo ita videtur definitum eſſe, Concilio Tridentino aſſerente, contritionem, atque imperfectum dolorem peccatorum ob metum inferni pœnarum non ſufficere per ſe ſolam, ad reconcilian-

ciliandam amicitiam Dei, sed pœnitentiæ Sacramento coniunctam sufficere, ac satis esse, & sic quod deest illi imperfectæ dispositioni ad tribuendam salutem animæ, supplet medicina Sacramenti pœnitentiæ. *Quintò*, inualida fit confessio, quando pœnitens se emendare nequaquam proponit: pœnitentia namq; dolorem includit peccatorum, cum proposito amplius non peccandi. Quamobrem, si emendationis non adest propositũ, vera pœnitentia non est, neque legitima confessio. Ex quo satis verũ documentũ colligitur, licet à paucis intelligatur: Quòd si quis vult confiteri, quamuis peccata venialia, si non proponit se emendare, peccat mortaliter, & confessio est nulla: nam regula est generalis, quòd cùm Sacramenti forma adiungitur, seu applicatur vbi vera non est materia, fit sacrilegium, atq; mortale peccatum; & cùm sit Sacramenti materia substantialis Sacramenti pœnitentiæ dolor de peccatis cum proposito emendandi, vbi huiusmodi propositum deest, applicatur forma Sacramenti, vbi non est vera materia, & sic mortiferum peccatum admittitur. Ob id animaduertat pœnitens, quòd licet venialia peccata confiteri non teneatur, attamen quoniam confitetur, debet illa rectè, & ritè confiteri. *Sextò*, quando pœnitens rationis vsu carebat. Circa quod offertur dubium. Quidam accedit ad Confessarium vt confiteatur, cui videtur pœnitentem non habere totum rationis vsum, aut dubitat vtrum pœnitens ille aliquod veniale peccatum confes-

sus

sus fuerit, quod materiam sufficientem faciat confessionis, quonam modo se debet Confessarius gerere in isto casu? Si eum non absoluerit, non consolatur pœnitentem; si absoluit, in discrimine erit ponendi formam ad non veram materiam. Ad hoc dicam, quòd in isto casu poterit eum absoluere, huiusmodi conditione mediante, si vera peccata habes, & confessus es, ego te absoluo; si non habes, non &c. huius ratio est, quia etsi verum sit, quòd conditio ratihabitionis de futuro non sit ponenda, velut ego te absoluo, si tu restitues, aut si talem occasionem euitaueris, quoniam absoluendus est ille iuxta relationem, atq; propositum, in quo tunc pœnitens fuerit: nihilominus conditio de præterito, aut de præsenti, licita est, quemadmodum si quis dubitaret, an pœnitentem absoluerit, dicere poterit, si te non absolui, iam te absoluo, &c.

De Confeßione, quæ informis est. §. 3.

EXtra confessiones istas nõnullæ aliæ sunt, quas Theologi informes, atque imperfectas vocant, quæ pœnitenti nequaquam gratiam conferunt, sed nihilominus in hoc sensu validæ sunt, cùm eas iterandi minimè sit obligatio: nam in ipsis cuncta substantialia quo ad Sacramentum adfuerũt, quamuis defectus ex parte pœnitentis extiterit. Tales illæ informes confessiones in duobus casibus ordinariè reperiuntur. *Primò*, cùm per ignorantiam non nimis crassam, neque adfectatã, quamuis culpabilem, non ita se pœnitens disposuit, vt opus erat, pro confessione facien-

cta, neque sufficienter suam examinauit conscientiam; sed aliquo modo proposuit confiteri, & verè confessus est quicquid recordabatur, licet ex defectu præuij examinis aliqua obliuisceretur peccata. Cõfessio ista non est reiteranda, cùm vera fuerit confessio, sed pœnitenti gratiam minimè elargita fuit, ob defectum illum ex sua parte proueniens. Ideo prudens, ac peritus Confessarius admonere eum debet, vt denuò tunc se accuset de negligentijs, quas in præteritis confessionibus nequaquam adhibuit, alia non confitendo peccata iam prius confessa: qui cùm à negligentijs ipsis absolueretur, recipiet gratiam ob confessionem hanc ab illo nunc factam, ac per eas, quæ elapso tempore fuêre: nam pœnitentiæ Sacramentum semel verè susceptum, si gratiam tunc non exhibuit ob pœnitentis impedimentum, ablato impedimento, gratia elargietur. Sunt & aliæ informes confessiones, veluti cùm aliquis confitetur, & agnoscit Confessarius, quòd necesse est, vt cõfessio illa per aliquot dies differatur, nempe vsque ad diem Pentecostes: talis confessio nuncupatur informis, quoniam sacerdos absolutionis formam pœnitenti elargitus non fuit. De istis confessionibus, quæ informes vocantur, est dubium inter Doctores, an per eas præceptum seruetur Ecclesiæ, quæ fidelibus præcipit, vt semel in anno confiteantur. Aliqui Doctores dicunt quòd non: nam iubet Ecclesia, vt fideles verè confiteantur. Non est hæc vera confessio, cùm illi substantialis

forma

forma deficiat. Præter hoc, quamuis ab humana lege præfixum sit tempus, quo fideles confiteri teneantur; tamen de iure diuino est, quod præcipit vt confiteantur, veramq; faciant confessionem coram Deo: cùm igitur non sint veræ istæ confessiones informes, de quibus nunc loquimur; nec veram faciant amicitiam cum Deo, videtur non impleri per illas præceptum Ecclesiæ: & eadem est ratio circa informes confessiones, de quibus præcedenti §. disseruimus. Altera ex parte videtur obseruari præceptum, quoniam iubetur in iure, vt cuncti fideles, cùm discretionis annos attigerint, proprio sacerdoti semel in anno confiteantur, cuius consilio eorum absolutio possit differri, atq; Eucharistiæ communio pro tempore, quo ipse iudicauerit: ex quo colligitur pœnitentem, qui ex consilio sui Confessarij absolutionem non recipit, aut Eucharistiam, non transgredi præceptum Ecclesiæ. Hoc probatur etiam: nam si intra hoc tempus, qui confessi non fuerunt in illa Quadragesima excommunicabuntur, talis iste non remanet excommunicatus, ergo seruat præceptum. Quod dici poterit hoc est: quòd si pœnitens obedit Confessario, præceptum seruat, si cùm tempus aduenerit, quod ipse præfixit, ad eum reuertitur, vt confiteatur, aut ad alium. At si completo tempore obliuiscitur, & minimè confitetur, nec absolutionem suscipit, facit contra præceptum, & hoc primis probatur argumentis.

De casibus, in quibus impendenda, aut differenda est Sacramentalis Absolutio. *Cap. 13.*

RECTE vt intelligatur, quando Cõfessarius impẽdere, aut differre debeat Sacramẽtalem absolutionẽ, duæ generales Regulæ considerandæ sunt. *Prima* est, quando venerit pœnitens cum necessaria dispositione ad Sacramentũ confessionis, videlicet cum dolore vero suorum peccatorum, atque cum firmo, veroq́ue proposito se emendandi, tũc tenetur Confessarius eum admittere, illiq́ue absolutionem impendere ex parte Dei; & si secus fecerit, mortiferè peccat, pœnitenti verò magnam affert iniuriam. *Secunda*, Pœnitens, qui debita cum dispositione ad Sacramentum non accesserit, vt antea disseruimus, non est absoluendus: sic etiam, cùm huiusmodi defecerit dispositio, nec Bulla, neque Iubilæum, licet plenissimum, dat licentiam Confessario, vt eum absoluat, donec ipse melius se accingat, atque disponat vt debet: tunc enim poterit Confessarius vti Bulla, & Iubilæo, si opus fuerit. Ex bona istarum regularum intelligentia colligitur quædam integra notitia casuum, in quibus vel neganda, vel differenda sit absolutio. *Primus* casus est, quando pœnitens suam conscientiam non rectè inspexit, ac examinauit, præmeditando peccata, vt ea postmodum confiteretur: in hoc casu præcipiat, vt conscientiam suam exa-

examinet, vt vitæ suæ rationem afferre queat, veluti in re tam graui, tantiq; momenti: si autem simplex ille fuerit, atque ignarus, doceat eum quonam modo discutere debeat cõscientiam istam, atque se accingere, excogitando diuina præcepta, societates, quas ipse tenuit; peccata, quę iuxta statum suum admittere potuit; præcogitando quoties admiserit ea, eorumq; circunstantias. Hoc intelligitur, cùm extra mortis necessitatem extremam fuerit: nam in tali casu debet talis esse præparatio, qualem tanta necessitas postulat. In hoc oportet Confessarium nimis aduertere, ac prompto animo, & fortitudine illud exequi, quod edocti sumus: quippe animarum curam gerere, sine respectu personarum, aut humilium, aut magnarum, pauperum, seu diuitum, diuinum se induendo valorem. Nam si id nõ exequimur, quotidie venient pœnitentes ad Confessarij pedes, sine aliquo examinis genere, ac sine aliqua præparatione. Quod grauissimum est periculum: nam peccatorum obliuio, quæ ob incuriam omittuntur in confessione, non excusat, imò accusat pœnitentẽ. *Secũdus* casus, quando pœnitens pœnitudinem non concepit se offendisse Deum. *Tertius*, si mutare vitam non statuit, ac à longè euitare quodlibet peccatum mortale, in cuius statu manet, atque periculosas eorum occasiones: secus etenim confessio nequaquam confessio foret, sed sacrilegium, ac iniuria Sacramento. Et consequenter, tam qui hoc modo confiteretur, quàm ille, qui absolutionem impenderet,

deret, sacrilegi essent, ac afficerent iniuria Sacramentum. Oportet igitur vt Confessarius in isto casu nullo modo intendat absoluere, cum q; Confessarij hoc documentum non seruauerint, euenit, quòd multi in peccatis inueterati prauum populis præbuerunt exemplũ, & scandalum, & nunc pœnas ignis æterni. *Quartus* casus, qui pro consuetudine blasphemat sanctissimum Dei nomen, atque Sanctorum suorum, neque ex corde proponit se ab huiusmodi vitio, atque delicto tam enormi, ac pessimo abstinere, nec omnes in hoc diligentias adhibere, non est absoluendus: at si dixerit, se derelinquere velle peccata, vitamq; emendare suam, differenda erit pro aliquo die absolutio: cui poterunt præberi aliqua salutaria monita, quæ ad hoc eum iuuare possint, vt rectè experiri valeat Confessarius, an sic hoc vitium derelinquat pœnitens ipse. *Quintus* est casus, qui iurare assolet in omni sermone suo, non aduertens an verum sit, aut mendacium, quod iurat, nec statuit hanc relinquere iurandi consuetudinem, non debet absolui: si autem se emendare dixerit, atque lubenti animo medelam susceperit, quam ei Confessarius adhibebit, non adest ratio differendi absolutionẽ, vt postea statim dicemus, secundum præceptum diuinæ legis declarando, vbi de remedijs, ad hoc vitium euitandum, tractabitur. *Sextus*, quando alicui mos est non audiendi Missam die Dominico, atque alijs Festis; & nihilominus ab hac consuetudine non desistit; quemadmodum aliquæ

mulie-

mulieres faciunt ambitionis causa, aut ob respectus humanos; non debet absolui, si verè non proponit se in posterum emendare. *Septimus* casus, qui aliquem affecit iniuria, aut verbis, aut opere, si non vult ei satisfacere, ac ab eo veniam petere, iuxta id, quod sentit prudens Confessarius, non est absoluendus. *Octauus*, qui odit proximum suum, eumqúe prosequitur firma inimicitia, non absoluatur, donec tale odium deponat, atque sibi proximum suum reconciliet, illum alloquendo, si antea non loquebatur. Et quo ad odium interius, semper necesse est, ad absolutionem suscipiendam, vt odium auferatur. Estqúe etiam necessaria exterior reconciliatio, atque loquelæ restitutio: ordinariè opus est, vt qui specialiter aliquem offenderit, ab illo petat, vt sibi ignoscat in foro cõscientiæ, illeqúe affectus iniuria, in eodem foro obligatur ignoscere, ac eum sibi reconciliare: secus enim scandalum oriretur, & odium contra ipsum. Est etiam necessaria exterior reconciliatio inter personas nimis coniunctas, vt inter virum & vxorem, inter patrem & filios, fratrem & sororem, & inter superiores & inferiores: item inter illos, pro quorum odio ac factione quamplurima oriũtur scandala, atque dissensiones: ita etiam inter vicinos, nimisqúe propinquos, aut in eadem Ecclesia beneficiatos: quoniam in isto casu etiam scandalum nasceretur, si multo tempore perseuerarent inuicem non se colloquentes. Præterea scandalum, ac prauum exemplum

præbetur populo, quòd sacerdotes quotidie celebrantes, atque rem sacram facientes, non aliquem alloquantur. Verum est, quòd aliquando maius sequeretur scandalum loquendo cum aliquo, quàm non loquendo: veluti si Petrus consuetudinem vellet habere cum Ioanne, vt ob huiusmodi familiaritatem ingredi possit illius domum, & alloqui eius filiam, aut vxorem, turpitudinis causa: aut quando quis homo foret nimis audax, atque ad rixas, & dissensiones paratus, si cum illo societatem haberes. *Nonus*, cùm quis prauam, ac inhonestam habet cum alio familiaritatem, aut propositum, malamq́ voluntatem, si eam à se non amouet, capax nequaquam erit absolutionis; nec satis est amouere eos à peccato, si illius occasionem non euitauerit, vt est conuersatio, communicatio, aut insimul in eadem domo cohabitatio, quæ maior est occasio omnibus alijs: secus namque peccatum hoc euitare minimè poterit: in hoc se quàm plurimi decipiunt, qui iuxta eorum sententiam, iustificato proposito, ac intentione, credunt aliàs esse tutam, nec inspiciunt occasionem, atque radicem mali esse domi, quæ nouo tempore pullulabit: quod tam verum est, quòd Diuus Bernardus sic ait in sermone super Cãtica: Nonne maius miraculum est cum muliere habitare, & castitatem seruare, quàm mortuum suscitare? ergò si quin minus cum ea habites facere nequaquam tu poteris, quonam modo velles, vt tibi credam quod maius est, nempe te cum illa commorari, & castum

castum esse? Hoc est maius maiorisqúe momenti admonitum, quod possit in ista materia dari, quod vt non seruetur, quamplurimi diu manent in eorum domibus cum ancillis, atque consanguineis, ac in isto tam periculoso statu confitentur, sanctissimumq; Sacramẽtum in singulos annos suscipiunt, non relinquendo peccatum, neque ex eo occasionem proficiscentem: non debet istis impendi absolutio vllo modo, quamuis dicant se derelinquere velle peccatum, si huiusmodi scandalum omnino non tollũt: nam cùm semel iter ad malum aperuerint, velumq; pudoris infregerint, impossibile est, moraliter loquendo, illud derelinquere. Sicq; pœnitens rationem afferendo dixerit, magnum detrimentum sibi fore, si illum, aut illam è domo eiecerit, aut quòd ipse multum se illi debere dignoscit, huic poterit responderi, Saluatorem dixisse: *Si pes tuus, aut manus tua scandalum tibi erit, aut tibi oculus tuus scandalum præbuerit, abscinde pedem, aut manum, erue oculum, qui tibi scandalum affert: melius est enim tibi claudum ad vitam ingredi, aut debilem, aut cum vno oculo, quàm duas manus, aut duos pedes, vel duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis æterni.* Si autem dixerit, esse sibi dedecus eijcere ex domo illum, tunc ei dici potuerit, maius esse dedecus, atq; scandalum, quod in anima ipse patitur, tenerique eum tanto dedecori, ac scandalo remedium adhibere, quod magis conuenire videbitur, quamuis inuitè, nec sine suo aliquo detrimento id faceret, eumq; oporteret longè abesse à domo

ſua, cùm ex ea non poſſet perſonam illam expellere. *Decimus*, qui ex officio interueniunt in rebus prauis, ac inhoneſtis, abſolutionem haud conſequentur, niſi artem huiuſmodi omitterent, ac eo magis illi, qui eos in eorum domibus recipiunt, talia præcipuè apparantes, vt ſunt lenones, ac lenæ, atque hoſpitia, &c. nam ſunt enormia peccata, atque grauiſſima, multumq; detrimentum Reipublicæ afferentia. *Vndecimus*, iniuſta petens, talia eſſe non ignorans, item & aduocantes, aut procurator, qui eum fauore, ac conſilio adiuuauerit, non abſoluatur, donec deſiſtat: eoq; minus iniuſtus Iudex debet abſolui, qui ob humanos reſpectus cùm malè cauſis ſtuduerit, ac eas examinauerit, ſententiam contra iuſtitiam tulit: omnes iſti tenentur reſtituere quicquid innocens pars impẽdit iniuſtè, cùm fuerint in cauſa, vt impenderetur, ſcientes partem illam iuſtam habere cauſam. *Duodecimus*, poſſidens alterius bona inuito domino, tenetur ſtatim reſtituere, ſi ſtatim poteſt, nec ſatis eſt propoſitum habere reſtituendi vſque ad hoc, aut illud tempus, aut in teſtamento, ſi ad præſens tempus poteſt reſtituere, quamuis per id egenus euadat, eo magis, cùm ille, cui debetur, in eadem neceſſitate conſtituatur: ſecus autem non eſt abſoluendus. Ad hoc redigitur, qui mercedem ſeruo non ſoluit, aut opus diei laboranti, retinensq; decimas. Vſurarij vendentes dilatata potius quàm numerata pecunia, lucrantesqúe ſolùm à mutuo. De quo magis copiosè ſeptimo precepto. *Decimustertius*, luſor,

ſor, qui ludendi gratia aufert à ſua familia quæ ſunt neceſſaria, aut ob ludum cauſam tribuit, vt mulier, aut filiæ in aliquem prolabantur errorem; aut eſſet ſibi cõſuetudo decipiendi in ludo, aut falsè iurandi, blaſphemãdi, cùm perdit, odio habendi, aut iniuria afficiendi eum, à quo ipſe vincitur; ſi ab hoc non deſiſtit, nõ debet abſolui. *Decimusquartus*, mercatores, ac officiales vendentes merces pluri pretio quàm valere ſolent. Iſti ad duo videntur obnoxij, nempe ad reſtituendum malè partum, atq; ad proponendum ſe nunquam vẽdituros rem pluris quàm communiter valet. *Decimusquintus*, Officiales dominorum, ac Regum, eorum bona furantes, quiúe vt alij furarentur, conſenſêre, cùm ipſi ad impediendum teneantur ex officio, quemadmodum ſunt cuſtodes, procuratores &c. Item omnes officiales, qui in aliquibus adminiſtrationibus, aut regimine aliquo prius vendunt eorum merces, ac bona, quàm Regis, vnde illa vileſcunt, aut amittuntur: nam ratione officij tenetur ſecus facere, cùm Rex omnes ſumptus faciat, eoſq; peculiariter in adminiſtrationibus teneat ad hoc exequendum. Omnes iſti, dum non reſtituunt, ſunt in damnationis ſtatu, nec poſſunt abſolui. *Decimusſextus*, qui reſtituere famam noluerit, quam ipſe falsò abſtulit, non abſoluatur, donec eam reſtituat, omni via, ac modo neceſſario ſatagendo, vt ablata fama inſtauretur. Eodem modo obnoxius ille eſt, qui ob aliquod leue iudicium malè de aliquo exiſtimat, infamem illum faciendo;

ciendo;

ciendo; vt qui ob aliquam modicam suspicionem affirmando tenet, illum, aut illam aliquid surripuisse; vel sicuti vxor, quæ zelo viri, asseuerat mulierem aliquam esse malæ famæ: nam hoc falsum est etiam testimonium, cùm asseritur absque sufficienti aliqua ratione, atque efficaci fundamento. Aliquando obnoxius quoque erit ad huiusmodi restitutionem faciendam, quamuis verum loquutus fuerit, cùm non erat persona infamis, quodq; dixerat, detectum non erat; sed dictum fuerat coram talibus personis, quòd alius infamis remanserat. Aduertat Confessarius quòd cùm mendacium sit, quod dictum fuit, rectè iurare poterit pœnitens, illud tale non esse verum, aut se illud nescire; at si verum fuit, non debet hoc iurare, neque mendacium asserere; sed dicere potest, se fefellisse, ac alijs licitis, honestisq; modis laudare quem infamauerat, si ex illa restitutione fructus aliquis expectatur. Nam vbi hoc non speratur, nequaquam pręcipiendum est, vt fiat huiusmodi restitutio; sed de hoc disseretur etiam septimo præcepto. *Decimusseptimus*, quando Ecclesiastici, confisi Bullis suis, retinent incompatibilia beneficia sine legitima causa, opus est vt Confessarius hos præueniendo dicat: Agite prius, vt tuti sitis conscientia coram Deo, & hoc peracto, audiam vos confitentes. Ad hoc reducitur, si quis clericus, aut laicus potitur fructibus alicuius beneficij, quod sit in facie alicuius clerici, aut quia eum præsentauit ad illud beneficium, aut quia de præsentatione



illa tractauit, vel quia illud ei renuntiauerit, aut qualibet alia de causa, quamuis sit per clerici donationem beneficium possidẽtis: nam iste talis est excommunicatus, si verè, & cum effectu illud Ecclesię non restituit, vt copiosius dicemus in declaratione septimi præcepti, vbi de Simonijs agitur. *Decimusoctauus*, qui potitur beneficio, & Canonicas Horas non recitat, restituere tenetur Ecclesię, aut pauperibus pro rata beneficij, numerando dies, quibus eas recitare omiserit: siq; emendare se noluerit, ac restituere quod tempore elapso percepit, non est absoluendus. Quonam modo sit huiusmodi restitutio facienda, infra dicetur, cùm de peccatis disseruerimus cuiusque status, pręcipuè verò de peccatis clericorum. Circa hos casus, quando deneganda, aut differenda Sacramentalis absolutio fuerit, aduertat bene Confessarius, vt cùm pœnitentem sine absolutione relinqueret, id faciat leniter; adhortans eum, vt peccata deserat, atque vitam emendet suam, donetq; ei salutaria monita, atque remedia, vt prauum suum mutet consilium, vtq; ad Deum reuertatur.

De notitia, quam habere debet Confeßarius de lege Dei, vt à Pœnitente rationem eius expostulet. Cap. 14.



PORTET Confessarium non ignorare legem Dei: nam hæc erit regula quædam, qua rationem petere debet & boni, & mali quod egerit ipse pœnitens. Dei namque lex

lex Decalogus nuncupatur, quia in se decem continet pręcepta, aut decem verba, aut delectas sententias, quibus Deus noster suam explicuit voluntatem. Nam etsi verum sit, hanc regulam exhibitam fuisse Israelis populo, spectat etiam ad nos, ex Euangelio iam ortos, vt simus naturalis lex immutabilis: quoniam Christus Iesus, Redemptor noster, & Dominus, eam confirmauit, eiq́; verbis suis auctoritatem exhibuit, vt nos ei subijceremur. Lex ista Dei in duas diuiditur tabulas. *Prima* tabula tribus pręceptis illud nos edocet, quod Deo debemus. *Secunda*, vt bene viuamus cum proximo. Huius legis doctrina colligi poterit sic meditando: Quoniam vt sit bonus subditus, opus est, se bonum esse cum Principe suo, atque cum suis proximis, & socijs. Tribus in rebus homo bonus est cum Principe. Vt neminem pro suo domino habeat, nisi eum. Hoc præcipit nobis Deus primo suo præcepto, nẽpe, vt seruiamus illi soli, habeamusq́; eum pro nostro Deo, ac Domino. Requiritur præterea in bono subdito, vt magnifaciat honorem sui Principis, eum non contemnendo. Hoc præcipit nobis Deus secundo præcepto, quod est non iurandi, nec contemnẽdi nomen sanctum suum. Tertium officium boni subditi est, offerre aliquando munera, atq; dona suo Principi, vt ostendat se subditum esse suum: & hoc iubet nobis Dominus Deus noster tertio præcepto, videlicet, vt nos honoremus dies eius solemnes. Erga proximos ac socios suos necesse est vt velit eis benefacere. Istud quoque

que iubetur à lege Dei septem præceptis secundæ tabulę, id est, vt patrem & matrem veneretur, vt non occidat, neque capiat mulierem alienam, vt non furetur, vt non deponat falsum testimonium, vt non alterius rem, neque nuptam desideret. Vbi aduertendum est, quam ob causam in vltimis istis duobus præceptis prohibet Deus interiores actus desiderij, atque inordinatæ cupiditatis, cùm in alijs non prohibuerit? Ad hoc primum respondetur, quoniam quis cogitare potuisset, quòd cùm tam naturale sit homini desiderium bonorum, ac voluptatum, non esset peccatum talia desiderabilia concupiscere, ideo vt ostẽdatur peccatum esse, hîc præcipuè prohibetur: nam desiderium occidendi, ac alia huiusmodi desideria, secum afferant euidentem, atque conspicuam turpitudinem, & malitiam: at alia suprapofita tam clarè non demonstrãt. Præterea vetiti sunt à Deo in his præceptis interiores actus, vt indicetur non solùm actus exteriores esse peccatum, sed interiores quoque: nam non deerat, qui diceret, cogitationem haud esse peccatum, cùm opere nõ compleretur.

Expositio, atque declaratio primi Præcepti. §. 1.

PRimum præceptum sic afferit: *Audi Israël, Ego sum Dominus Deus tuus Non habebis deos alienos coram me, non facies idolum neque imaginem, vt adores eam.* In verbis istis duo complectuntur. Præfatio legis, qua Deus noster indicat se supremum esse rectorem nostrum, ad quem præcipere spectat, & reatus pœnam, & præmium

um elargiri. Pertinet quoque ad Deum prohibere, ne agnoscamus nos, neque adoremus alium quàm ipsum Deum, qui solus Dominus est, & verus Deus. Prohibet etiam, vt idolis honorem non exhibeamus, qui ad supremũ Dominum pertinet, neque eos faciamus vt illos adoremus, tãquam deos: ideo iubetur nobis in hoc prçcepto, vt honoremus, inuocemus, & ad oremus hunc magnum, æternumq; Deum, vtq; diligamus eum toto corde nostro, tota anima nostra super omnia, nunquam ita colentes ac venerantes aliam creaturam. Et quamuis verum sit nos Christianos honorare, ac venerari Sanctos, qui sunt in cçlis, gloria Dei fruentes, atque eos inuocare, non ideo transgressores sumus huius prçcepti: nam gloriam, quæ debetur Deo, non exhibemus aliæ creaturæ. Adoramus namque Deum adoratione nimis excelsa, ac debita illi soli, quam Theologi Latriam vocant, qui honor soli Deo debetur, tanquam rectori, ac totius orbis terrarum Domino. Adoramus Sanctos alio quidem honore, qui satis est minor, à Theologis nuncupatur Dulia, tanquam amicos supremi, ac altissimi Dei, agnoscentes eos, qui in hac vita diuinum fauorem, ac gratiam Dei consequuti fuêre, quibus æterna bona pro eorũ labore Deus ipse fuerit elargitus. Nec animum sibi inducat Christianus, in hoc præcepto Dominum nobis prohibere, ne imagines teneamus, easq; veneremur: imò in veteri Testamento præcepit, vt duo aurei Cherubim fierent, qui super propitiatorium starẽt, præ-
cepit-

cepitq; Moyſi, vt æneum ſerpentem faceret, quo eum aſpicientes nequaquàm perirent, multaq; ſunt in Scripturis ſacris exempla. Quemadmodum profectò verba, atque ſcripturæ rem exhibent: ita & imagines, quæ tanquam libri ſunt legere neſcientibus. Veluti ergo ait Daniel, ſe Deum vidiſſe in ſenili forma, quare in pictura non poterit idem repræſentari? Et ſicut Scriptura nobis ſignificat, in columbę ſpecie Spiritum ſanctum apparuiſſe, quamobrem in eadem figura eum pingere nõ poterimus? Quòd vſus iſte venerabilium, ac ſanctarum imaginum liceat, atque conueniat, probatur à traditione primitiua Eccleſiæ vſque ad tempora noſtra, quod etiam definiuit Concilium Nicænum ſecundum, ac temporibus noſtris Concilium Tridentinum terminauit: neque Eccleſię ſanctæ conſuetudo iſta per hoc præceptum prohiberi videtur, cùm imagines per ſigna ac repræſentationes Dei, atque Sanctorum eius habeamus, non adorãtes materiam, neque figuram, ſed per imagines iſtas illud nos edocti, quòd per fidem inſpicimus, adoremus, ac reuereamur verum Deum Ieſum Chriſtum, aut honorem exhibeamus Sanctis, qui ſunt in gloria, repræſentatis in imaginibus iſtis: nõ quia nos credimus in imagine eſſe aliquam diuinitatẽ, nec quia ſpem noſtram ponimus in materiali imagine, ſed in re illa, quæ per imaginem repræſentatur. Modus, quo nos Catholici imagines adoremus, in his duobus verſibus Latinis comprehenditur:

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

De peccatis, quæ contra hoc præceptum admittuntur. §. 2.

COntra hoc primum pręceptum peccatur in omnibus peccatis, quę sunt contra tres virtutes Theologales, Fidem, Spem, & Charitatem: nam istis, vt Diuus Augustinus ait, pręcipuè colitur Deus. Itaque quo ad primum, *contra fidem peccatur per infidelitatem.* Quod multis euenit modis. *Primò*, cùm quis, licet audiat fidem, non vult credere, eam amplectendo: hic verè infidelis est, atque paganus, neque confiteri potest: nam opus est, vt prius baptizetur, & in baptismo condonetur peccatum hoc per gratiam, quæ sibi infunditur. *Secundò*, per apostasiam, quando quis omnino Christianam deserit religionem, semel ab eo susceptam. De quo dubitatur inter Doctores, an remaneat excommunicatus, cùm de iure non excommunicetur, nisi hæreticus: sed verè excommunicatus est: nam in iure dicitur, quòd circa fidem sentiens aliter quàm sentit Ecclesia, excommunicetur, & hic talis est, imò peior hæretico. *Tertiò*, qui hæreticus est, & ab aliqua fidei veritate discedit, quamuis persistat in alia: & hoc intelligitur, si obstinatus est, nēpe si intelligens, ac non ignorans contrarium ab Ecclesia teneri, in suo errore velit persistere. *Quartò*, hæsitans in fide, adeo quòd nescit an vera, ac certa sit illa, sed videtur sibi aliam esse meliorem, aut dubitat de veritate alicuius articuli: nam de hoc dubio dicitur, dubius infide-

infidelis eſt. Sed hoc intelligi debet, ſi cũ plena deliberatione dubitat, atque conſenſu, quia ſi id defecerit, ac ſola quædam fuit vacillatio in rebus fidei per inconſiderationem, non autem cum propoſito, ſolum eſt veniale peccatum; ſed non abſque vacillatione propoſitum, eſt mortale. Ad hoc reducitur peccatum curioſitatis, cùm aliquis, licet fides noſtra bona ei videatur, dicit ſe velle ſuſcipere aliam meliorem, ſi alia melior inueniretur. Hic eſt hæreticus: nam non eſt ſibi formalis ratio fidei, cùm ipſe non credat, quia Deus hoc ei dicit, ſed quia fidei noſtræ rationes eum conuincunt, neque ipſe habet affectum illum pium voluntatis ad hoc requiſitum, imò hæc eſt fides, quam dęmones habent. Alia inuenitur curioſitas, non tam mala, quàm iſta, quando quis cum curioſitate conſiderat res fidei, quod eſt magis, aut minus graue, iuxta mentem, qua fit ipſa curioſitas. *Quintò*, cùm aliquis exterius negat fidem, quamuis interius in ea firmiter maneat, peccat mortaliter: nam obnoxius erat ad non abnegandam, etiam exterius fidem, quæ Deo debebatur. At non incurrit iſte in pœnam hæreſis, cùm non ſit verus, ſed fictus hæreticus, quem abſoluere poteſt quilibet Confeſſarius. *Sextò*, qui neſcit fidem, atque Chriſtianam doctrinam, quandóve ex iſtis aliquis doctrinam ignorantibus accederet ad Confeſſarium, & ei cōfiteatur, tunc Confeſſarius ipſe tenetur docere eum, atque catechizare in fide, donec eam non ignoret, aut illum mittere, vt ab alio edoceatur.

ceatur. Sed circa ignorantiam doctrinæ Christianæ, atque legis Dei, tres sunt opiniones. Nonnulli sentire videntur necessariam esse supra naturalem cognitionem, ac explicatã fidem mysteriorum redemptionis nostræ, vt quis iustificetur, ęternamqúe salutem consequi valeat, illaqúe carentem saluari nequaquam posse. At iste inordinatus est rigor: nam qui in regione fuit, vbi eam ediscere non potuit, saluari minimè posset. Alij dicunt, sufficere fidem implicitam, vt quis iustificetur, ac peccata ei condonentur, sed cælestem gloriam adipisci non poterit, si explicitam eam non habuerit. At modus iste iacet sine fundamento: nam iuxta illud, quod Scriptura sancta nos edocet, satis est, vt quis sit amicus Dei: cùm ergo efficitur aliquis amicus Dei fide implicita, ac iustificatur, poterit cum illa consequi cælestem gloriam. Tertia, ac vera opinio est, pręceptum esse diuinum, vt qui saluari voluerit, opus est vt habeat explicitam fidem, iuxta illud: *Qui non credit in Filium Dei, iam iudicatus est.* Sed de illis hoc intelligitur, qui doctrinam Euangelicam audierunt, sicut & nos. Sed in quibusdam casibus potest homo saluari sola fide implicita, cùm habere non potest explicitam: quemadmodum si quis montes incoleret, vbi non sunt prędicatores Christianam fidem edocentes, hic saluari poterit, si implicitè credit quicquid sancta mater tenet Ecclesia. Idem dicendum est, si quis inter nos, qui doctrinam audiuit, sed ediscere eam noluit, licet potuisset, iam in articulo mortis volue-

voluerit confiteri, ac ex corde de suis peccatis se incusare, dicēs ex sua negligētia se Christianam doctrinam non didicisse, & dum hoc dicit, loquelam amittit, tunc aut est absoluendus, aut non: si iste non absolueretur, magna Confessarij nequitia foret, illeqúe homo extra statum salutis esset; ergo est absoluendus: nam isto casu sola fide implicita saluatur. *Secundum caput*, vbi peccare potest contra hoc primum præceptum, *est Idololatria*, quæ admittitur, cùm aliquis exhibet creaturis honorem, quem exhibere Deo debet: nempe adorando solem, stellas, statuas, &c. Circa quod ita dubitatur, si quis aliquem ex ioco asserentem audisset, nonnulla parua animalia à Deo creata non fuisse, sed à dæmone, essetne iste sic audiens Idololatra, si crediderit hoc? Respondetur negatiuè: nam iste circa hoc habet crassam ignorantiam: imò cogitat, quòd cùm sit res tam parua, non sit facta à Deo, siqúe ei diceretur, tenere Ecclesiam cuncta à Deo fuisse creata, statim ab hoc errore disce-deret. De idololatra similes afferuntur rationes, quæ allatæ de infidelitate, apostasia, atque hæresi fuêre, quem absoluere non potest Confessarius. *Tertium caput est peccatum blasphemiæ*, qua tribuitur Deo, quod nequaquam ei conuenit, vt si diceretur, eum non esse omnipotentem, aut si creaturis illud tribueretur, quod propriè Dei est, veluti si quis diceret diabolum cuncta facere posse. At dubitatur, an blasphemia sit, si aliquis dicit: Per vitam Dei? Affirmatiuè respondetur, quia id est, ac si di-

ceretur, Deus non habeat vitam, si hoc ita non est: si autem dicitur, Sicut Deus veritas est, non dicitur esse tam clara blasphemia, quamuis Doctor quidam asseueret quòd sic; sed distingui poterit. Quòd si verbum illud, Sicut, æqualitatem demonstrat, est blasphemia; nam simile facit, quod ipse asserit, veritati, quæ Deus est; si verò huiusmodi verbum, Sicut, proportionem indicat, non est blasphemia: nam est, veluti si diceretur, Quemadmodum verum est, quòd est Deus, sic in genere suo verum est hoc. Ita si quis diceret, ego Abnego, &c. est blasphemus (quamuis hæreticus esse videatur, atque apostata, quia omnia abnegat) cùm illud ob furorem agat, quia id, quod faciebat, non prosperè successerat, & ideo Deum ille afficit iniuria, in corde verò religionis nostræ veritatem habet, & sic illud dicit quo ad exterius, sed fictè, & non verè. Notandum est, blasphemiam contra Deum, esse maiorem, quàm illa, quæ est contra Virginem eius matrem; istamqúe maiorem esse illa, quæ fit contra Sanctos. Est etiam aduertendum apud Canones pœnas esse contra blasphemos, in quas minimè incurrunt, donec fuerint incusati, atque condemnati; sicq; per chartas in excommunicatione apponitur, vt quicunque non ignorauerit aliquem esse blasphemum, velit id reuelare, intelligitur hoc, quòd primùm præcedat fraterna correctio, iuxta Euangelicum dictum, secus enim detegere nequaquam debet. Aliud dicendum est de hæretico; tunc enim, quamuis ego

secretè

ſecretè ſciam, non autem in confeſſione, ſta-
tim eum denuntiare teneor, cùm animum
bono publico magis intendere opus ſit, quàm
priuato : & pro certo habetur, & ſic eſt, corre-
ctionem fraternam hæretico non prodeſſe,
vnde ille corrigi non oportet. Si quis ex bla-
ſphemis iſtis voluerit confiteri, eiqúe mos
fuerit blaſphemandi, neque præteritis con-
feſſionibus ſe emendauit, non debet eum
Confeſſor abſoluere, quamuis ſe emenda-
turum dixerit ; ſed debet eum ſine abſoluti-
one relinquere per aliquos dies : ſiqúe poſt-
modum fuerit emendatus, abſoluat, alio-
quin minimè. Nam qui toties deliquit in
aliquo, nec ſe tot confeſſionibus emendauit,
credendum eſt, quòd neque nunc firmè ſe
emendare propoſuit ; at ſi nunc primùm de-
liquit, non eſt ei abſolutio differenda. *Quar-
tum caput eſt adoratio falſa,* quippe cùm quis
Deum honorat malo cultu, quem Deus ipſe
odit, vt adorauêre Iudæi. Si nunc aliquis
circumcideretur, aut alias veteris Legis ce-
remonias obſeruaret, grauiter peccaret, ſta-
timqúe eum prodere opus foret, tanquam
hæreticum : nam tali modo Chriſtum non
veniſſe prætendit, & ſic Mahometus reuere-
tur, aut aliquis falſus Deus : ſiqúe ad confeſ-
ſionem acceſſerit, faciendum erit, veluti fit
de hæretico. *Quintum caput eſt cultus ſuperſtiti-
oſus,* cùm Deus extra fines ſuos honoratur :
hoc eſt veniale peccatum. At cantare in Ec-
cleſia, aut cum Organo, cantilenas, aut va-
na carmina, vel inhoneſta, vt ſentit Caieta-

nus, est mortale. *Sextum caput est de fascinationibus, ac veneficijs*: hoc est nimis graue peccatum: nam familiaritas interuenit implicita, aut explicita cum dæmone alicuius superstitionis causa, qua ipse modo aliquo veneratur. Vtq; non ignoretur cùm obuenit ista familiaritas implicita, aut explicita cum dæmone, notandæ sunt aliquæ regulæ, atq; coniecturæ à Caietano positæ in sua Summa.

Prima est, quando aliqua singularis ponitur conditio, tanquam necessaria: velut si quis virtutem in sacris verbis poneret mediante conditione, quòd scripta sint in pergamena charta, aut magis in ista hora, quàm in alia, aut alijs cum rebus non attinentibus ad diuinum cultum: nam vanitates huiusmodi à dæmone, tanquam suę cęremonię inueniuntur. *Secunda* regula est, cùm per modum naturalium effectuum ponuntur aliqua significatiua verba non habentia efficaciam aliquam illorum effectuum: tunc etenim talia verba, aut figuræ referuntur ad dæmones, eorum significationes intelligentes. *Tertia* est, quando aliqua nomina ponuntur incognita, aut obscuræ significationis. *Quarta*, cùm per naturales modos effectus mirabiles procurantur, qui virtutem superant agentium naturalium, velut scire occultas cogitationes, aut infirmum statim sanum reddere. *Quinta*, cùm effectus vanus est, atque carens emolumento: sicut si quis sancta proferendo verba, per filum mouere faceret annulum: quoniam diuina virtus inutilia nequaquam agit,

agit, nec ea quæ ſine profectu ſunt. *Sexta*, quādo falſa veris commiſcent, cùm dæmon mendacij pater ſit. *Septima*, quando non authentica, atque incerta, & ſine fundamento immiſcent: nam credendum minimè eſt ſimilia à Deo habere virtutem, nec Deum ſeruis ſuis, ac miniſtris hæc abſcondiſſe, ſimplicibus verò gentibus, atque abiectis vetulis reuelaſſe. Hoc peccatum ſemper mortiferū eſt, ſi quis non ſe excuſaret, quòd verè neſcit ille implicitam cum dæmone familiaritatem eſſe in opere, quod pertractat, cogitans licita agere bona fide. Sed hoc intelligitur, quando aliquis homo ignarus eſt, qui de hoc nunquam fuit admonitus: nam ſi poſt admonitionem illud non deſeruerit, dignus non eſt aliqua excuſatione. Sed hîc quæritur, an peccatum ſit loqui cum dæmoniaco, perſuadens ſibi peccatum eſſe mortale habere cum dæmone conſuetudinem? ad hoc reſpondeo, ordinariè eſſe curioſitatem, aut peccatum veniale: at qui intenderet, eum illi detecturum fore aliquod graue ſecretū, aut ab eo illud expoſceret, mortiferè delinqueret. *Octaua* eſt, de diuinantibus, quando aliquis per ea, quæ conſpicit, prænūtiat futura: at cùm denuntiatur de rebus naturalibus, non eſt peccatū. Sicut ſi quis prædiceret ſiccum tempus, per hoc, aut illud ſignū, quod vidit in cælo. Quando autem de rebus auſpicatur à ſolo libero arbitrio dependentibus, peccatum mortale eſt nimis graue: nam pro ſe vſurpat, quod Dei eſt, aut ſe Prophetam facit; ſiquē ſcientiam iſtam ſe habere dixerit,

aut tali arte pollere, peccat mortaliter, & sapit de hæresi: nam impossibile est per modũ naturalium rationum ex istis aliquod scire. *Nona*, est tentare Deum: vt si quis à Deo postularet, vt miraculum aliquod faceret absque aliqua necessitate, aut quòd per viam extraordinariam faceret aliquid, quod per ordinariam fieri posset; si verò aliquis à Deo peteret, vt mediante aliqua via bona detegat ei eius voluntatem, vt illam exequi valeat, non peccat, imò rectè agit. *Contra Spem peccatur. Primùm per desperationem*: vt si quis diffideret veniam cõsequi suorum peccatorum, aut vitam emendare suam, est mortiferum. *Secundò* peccatur *per præsumptionem*: velut si aliquis confidens se peccatorũ condonationem assequuturum, perseuerat malè viuendo, aut differt se ad Deũ conuerti, vsq; ad senilem ętatem, aut vsque ad mortis horam, est mortale. *Tertiò* debilitate cordis, cùm in rebus aduersis aduenientibus non habet homo confidentiam illam, quam habere tenetur, cũ vigore illo, ac promptitudine animi iunctã, atque solamine, quod afferre secum solet quædam alacris, ac viua confidentia. *Quartò*, cùm collocat homo omnẽ spem suam in creaturis, atque auxilijs mundanis, & viribus, est mortale. *Contra Charitatem peccatur. Primò*, non colendo Deũ super omnia, toto corde, tota anima, quemadmodum obnoxij sumus. *Secundò* peccat, qui etsi opera bona faciat, non ea facit respectu Dei, sed magis propria vtilitate. *Tertiò*, qui non intendit se Deo commendare, neque ei gratias agit de beneficijs

neficijs ab eo sibi collatis, præcipuè cùm Deus creauerit illum, atque redemerit; vnde Christianus est, non Turca, non Maurus, neque hæreticus, &c. Qui Deum non amat aliquo peculiari casu, post acceptum aliquod notabile beneficium: nam Deum amare, est speciale præceptum, & sic in aliquo casu obligat. *Quartò* peccat, qui Dei seruos insequitur, ac eos qui confitentur, sacramque sumunt Communionem, aut precibus vacant, eosque irridet contemnendo. Est mortale. *Quintò* peccat, qui se discrimini, seu periculo tradit Deũ offendendi, agens id, quod dubitat an sit mortale peccatum.

Declaratio secundi Præcepti. § 3.

SEcundum præceptum est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* In hoc præcepto præcipit nobis Deus, vt nos suã reuereamur Maiestatem, teneamusque eum verum Deum, veramque esse veritatem, nec vocemus eum in testem alicuius mendacij, prohibetque nobis, ne temere iuremus per nomen sanctum suum, nempe, quòd cùm iurare opus fuerit, iuramentum sit legitima, ac iusta de causa iuratũ, obseruenturque in iuramento tres istæ conditiones: Veritas, iustitia, atque necessitas: secus enim quis Dei nomine in vanum vteretur, & cum temeritate. Prohibentur etiã in hoc præcepto cuncta verba, quæ in dedecus Dei, ac in proximi detrimentum afferuntur. Præterea admonemur & nos, vt sancta sit conuersatio nostra, atque vt illa ædificet, reuerenter loquendo semper de Deo, deque eius Scriptura, quæ

sancta

sancta est, vtque nostra verba tam sint pura, ac simplici mente prolata, vt in illis aliud esse non videatur, quàm est, & non. Præter hoc, huiusmodi pręcepto omnes, qui promiserint, aut vouerint aliquid Deo, obnoxij sunt ad exequendum, atque obseruãdum quod ipsi vouerunt, vt vana nequaquam videantur vota facta Deo.

Peccata, quæ committuntur contra hoc Præceptum, sunt quæ sequuntur. §. 4.

VT iuramentum sit licitum, requiruntur, vt superius assertum est, tres cõditiones, videlicet quòd iuramentum fiat cum veritate, iustitia, atque necessitate. Peccata, quę defectu veritatis admittuntur, colligi per quatuor infallibiles regulas poterunt.

Prima, quicunque aliquod iurat mendaciũ, peccat mortaliter: qa Deũ in testẽ vocat mendacij, ac falsitatis, quod magna est nequitia.

Secunda, qui aliquod iurat, de quo dubitat an verũ sit, peccat mortaliter: nam se periculo obijcit vocandi Deum in testem mendacij.

Tertia, cùm non est aliquis omnino certus, si aliquod verum sit, idqúe iuramento confirmat, per eandem rationem mortaliter peccat.

Quarta, qui iurat aliquid agere, non habens intentionem illud agendi, peccat mortaliter: quoniam Deum vocat in testem, & confirmatorem sui mendacij. Hæ quatuor regulæ veræ sunt, aut materia, quæ iuramento confirmatur, sit leuis, aut grauis: imò videtur, maius esse peccatum, adducere Deum in testimonium mendacij in leuibus rebus, quàm excusare, aut

aut leue facere peccatum aliquo modo, cùm mendacium iuratur in re graui ob necessitatē. Quo ad secundam conditionem obseruādam in iuramento, id est, vt illud cum iustitia fiat, vt intelligi possit, quando fit peccatum, quod admittitur, ex defectu istius conditionis sequentes regulæ sunt adnotandæ.

Prima. Quando quis iurat patrare homicidium, aut aliquod magnum facinus contra proximum, aut aliquod peccatum mortiferum, intendens illud efficere, peccat mortaliter, non solùm ob volūtatem quam habet occidendi, aut damnum proximo inferendi, verùm etiam per illudmet iuramentū, quod iurauit rem iniustam efficiendi, adducens Deum in confirmatorem suæ nequitiæ: sicq; cogitat, Deum obligare eum, quoniam id iurauerit, magna est blasphemia: nam Deus non obligat, neque vnquam obligauit ad malū, & in huiusmodi iuramento tria forēt peccata: Homicidium, Iuramentum, atq; Blasphemia.

Secunda Regula. Si quis iurauerit aliquid facere, quod nō est mortale peccatum, sed veniale, veluti dicere aliquod otiosum verbum, aut leuem iniuriam, intendens iuramentum seruare, peccatum est solum veniale: nam obligatio seruandi illud, aut non obseruandi, leuis est, & si obseruatur, erit tantū veniale peccatum, si autem non seruatur, erit virtus: Iuramentum enim neminem ad peccandū obligat. Sed iurasse dicitur esse peccatum veniale, ob irreuerentiam, quam fecit Deo, obligans se iuramento ad faciendum quod nequa-

quaquam bonum est.

Tertia Regula. Iurare contra consilia Dei, velut non accommodare, nõ esse religiosum, est peccatum: nam etsi nemo sit obnoxius sequi consilia Dei, sed tantùm præcepta, qui voluerit se obligare ad ea non seruanda, videtur ingratus esse Deo, vnde tale iuramentum non obligat: qui verò se excusat, dicens illud obligare, blasphemiam profert.

Quarta Regula. Qui iurat aliquid facere, sed postmodum non obseruat, cùm sit licitum atque sanctum, nec contra præcepta, aut consilia Dei, peccat de se mortaliter: nam Deum in testem vocat, atq; confirmatorem suæ falsitatis, & doli.

Quo ad tertiã conditionem, videlicet quòd iuramentum fiat ob necessitatem, vt peccata perspiciantur, quæ ex defectu cõditionis istius solẽt admitti, duæ regulæ generales hîc ponuntur. *Prima.* Quando quis iurat cum iustitia, veritate, ac necessitate, iuramentum est bonum & sanctum, siq; Prælatus hoc exposcerit iuramentum, tenetur subditus illud præstare: hoc intelligitur, quando Prælatus ab aliquo iuramentum expetierit, iuxta regulas, quæ continentur in iure, nempe cùm indicia vidẽtur inesse, aut aliqua contra reum, plus quàm media probatio: secus etenim minimè obligatur, imò peccabit, si in tali casu iuramentũ interposuerit; præcipuè verò cùm sit damnũ tertij: siq; Prælatus, aut iudex eum ad iurandũ coëgerit, vti poterit æquiuocis verbis, vt damnum tertiò non inferatur, velut si diceret,

de hoc

de hoc nihil ſcio, hoc nequaquam audiui. *Se-
cunda Regula.* Qui cum veritate iurat, atque iu-
ſtitia, ſed abſque neceſſitate, venialiter ſolùm
peccat: nam iuramenti ſubſtantia, quæ eſt vo-
care Deum in teſtem veritatis, ſeruatur, quan-
uis deficiat modus, tempus, ac reuerentia. Re-
diguntur hîc iuramenta, quæ ob conſuetudi-
nem fiunt, aut ex more, de quibus primùm di-
co, quòd mos iurandi non eſt peccatum: nam
cùm mos ad habitum ſit, peccatum eſſe non
poterit, quia per habitus non meremur, neq;
demeremur, & hoc inſpicitur: nam ſi quis,
cui nimius erat mos iurandi, ad Deum ſe con-
uertit, ac religionē ingreditur, remanet cum
eodem habitu in anima, ſed minimè peccat,
quoniam non amplius iurat. *Secundò dico*, ve-
nialiter illum ordinariè peccare, qui ex mo-
re iurare ſolet, ſed pro certo tenet ſe non pro-
ferre mendacium pro re, quæcunq; ſit illa, pro
qua iurat: nam abſque neceſſitate iurat. Dixi
ordinariè: quoniam cùm toties iurauerit, di-
cere poſſet mendacium, ac iuramento illud
confirmare, at ſic peccatum mortale commit-
tit. *Tertiò dico*, ordinariè peccare mortaliter
eum, cui mos eſt iurandi, non aduertens, an
verum ſit quod iurat, aut mēdacium, quam-
uis veritatē aliquando dicat, aliquando men-
dacium, ob periculum illud, ad quod ſe expo-
nit falsè iurandi, & cùm pro certo non habe-
at, ſi quod iurat verum ſit, aut falſum, cùmq;
ob morem prauū, quem habet, tam vno mo-
do iuret, quàm altero, nec ſe aliqua via à iura-
mento abſtinet. Dixi peccatum eſſe mortale
ordi-

ordinariè: nam adeò perspicuum poterit esse verum, quod iurat, quòd se alicui periculo non exponat, velut si iurat, esse iam solem. Potest insuper nō esse peccatū mortale, quando iste iurat, si in iuramento, quod fit, non fuit plena deliberatio.

De remedijs exhibendis in confessione his, quibus tam prauus est vsus iurandi. §. 5.

CONfessarius, quo ad primum, ostendere debet graue peccatum esse, illud exaggerando, quod cōmittitur in iuramento ex vsu, aut more facto, debetq; multitudinem ostendere peccatorū, quæ quotidie in singulas horas solent admitti, quæve in singulos dies augentur. Debet quoque grauitatem exaggerare peccati periurij, & quàm magna sit irreuerentia honoris, ac nominis Dei, cùm homo adducat eum in testem sui mendacij, ac fautorem, & confirmatorem fraudum suarū. Nam adducere etiam hominem ex principalibus in testimonium mendacij, magna est ignominia, vt Thomas asseuerat, & ita verum est, peccatum periurij grauius esse homicidio, etiam si quis parricida foret. Cùm igitur pœnitens huius delicti magnitudinem, atq; grauitatem agnoscit, ac non ignorat quot ex peccatis istis admiserit, quorum non est numerus ob prauum vsum, quem tenet vnoquoque verbo iurandi, decet eum remedia quærere, quæ tot, tantisq; malis exhibeat, ac detrimento animæ suæ. Profectò, si qui ad confessionem venit, sæpè iurauerit, ex mala, quam habet, consuetudine, atque hoc pluries confessus est; sed nun-

nunquam se emendauit, nõ debet absolui, sed absolutio differri per aliquot dies, quibus inuigilet in deponenda, penitusq; relinquenda hac praua iurandi consuetudine, commendãs se Deo, vt hoc possit efficere, aliaqúe remedia adhibere, quæ postea non longè dicentur. At si bis peccatum hoc fuerit confessus, aut ter, magnumq; dolorem demonstrat, atque paratus est aliquo vti remedio, iuxta meã sententiam, est absoluendus, cùm peccatũ istud magis videatur esse in ore, quàm in corde, & sic aliqua diligentia mediante, poterit ei remedium exhiberi. Sed qui tam in huiusmodi praua consuetudine deliquerit, quòd etiam in eadem confessione vnoquoque verbo iurat, non debet tunc absolui. Remedia, quæ talibus istis sunt exhibenda, inter alia erunt, vt cùm iurauerit, eleemosynam largiatur, signet se signo crucis in corde, adscribi se faciat in societatem nominis Dei nõ absque proposito id agendi, quod sibi iussum fuerit, aut aliquod signum exterius gerat, in huius rei memoriam. Expedit etiam, vt huic vitio medela possit afferri, quòd Confessarius maiori quàm poterit facilitate persuadeat pœnitenti. vt hoc tam magnum facinus è medio tollat, modò velit vti solertia quadam, ac diligentia ad illud auferendum: nam vt superius fuit assertum, causa huius vitij in corde nequaquam formata est, sed in lingua, & sic facilitate illa qua spuitur, ab anima tolli poterit.

De peccatis, quæ non obseruando vota, ac promissa facta Deo, committuntur. §. 6.

AD hoc secūdum præceptum redigitur votorum obseruantia, ac promissorum, quæ nos facimus Deo, & per illud nobis præcipitur, vt inaniter non faciamus ea coram Deo. Vt rectè peccata intelligantur, quæ in hoc admittuntur, opus est, vt hîc voti definitio ponatur: nam ex illa percipi poterit, quando votum obligat, & quando quis peccat, illud non obseruando. Votum igitur est quædam promissio facta Deo, ex voluntate, rerum illarū, quæ magis Deo placent. In ista definitione, primùm dicitur quòd sit promissio voluntaria facta Deo. Qua de re si aliquis exterius votum emisit, aut professionem, sed non intendens promittere, aut se religiosum esse, nec verè promissam illam facere, sed fictè, nunquam professus est, nec obnoxius dici potest coram Deo ad seruandum votum, quamuis mortiferè deliquerit in facienda illa fraude, atque fictione. Sed aduertat Theologus non oportere, vt vouens voluntatem habeat seruandi promissum: nam satis est, vt ipse vouēdo promittat, ac promittendi habeat volūtatem, velut si quis promittit dare certam pecuniam, obligatus remanet ad soluendā, quamuis intendat non soluere, ac alterum decipere. Ad intelligendum, quando voluntariè votum emissum fuerit, ac liberè, solēt Theologi quandam verissimam regulam ponere, quæ talis est. Libertas, quæ satis esse dicitur, vt quis peccet mortaliter, seruumquę dæmonis se faciat,

fiat, satis est etiam ad reddendum votũ vali-
dum, atque ad obligandum eum, à quo fuit
emissum, vt si quis iocans, quoniam perdit,
absque consideratione aliqua, votum faciat
nunquam ludendi, aut ingrediendi religio-
nem, obligatur iste ad votũ implendum: nam
si ipse huiusmodi percitus ira, ac impetu, ho-
minem interficeret, aut Deũ deuoueret, mor-
tifera delinqueret: cùm ergo maior libertas
non sit necessaria, vt seruus Dei quis efficia-
tur, quàm vt seruus dæmonis fiat, & mortale
peccatũ admittat, rectè colligitur libertatem
illam sufficere, vt obnoxius voto remaneat,
atque promisso, quod nulla consideratione
factum fuit. *Alia regula* ponitur à Theologis,
vt perspicuum sit quonam modo votũ pro-
missum voluntarium sit. Regula est: Promis-
sio aut votum factũ causa metus, quem The-
ologi vocant cadentem in constãtem virum,
ac si dicere velint, cùm timor talis est, quòd
vir fortis ac animosus metueret, talis illa pro-
missio, cùm voluntariè minimè facta sit, sed
ob metum, non est votum, neq; obligatio co-
ram Deo. Sed animaduertendum est, timorẽ
hunc accidere posse ex causa intrinseca, atque
extrinseca: ex intrinseca causa, vt si quis graui
infirmitate detentus, ob quam magnopere ti-
meret ne moriatur, si hoc timore percussus vo-
tum emitteret aliquid faciendi, modò eum
Deus ab illa liberaret infirmitate, verum est
votum, ac adimpleta conditione obnoxius
est seruare promissum: nam quando oritur
metus ex causa intrinseca, licet pergrauis sit

illa, non impedit, quin votum sit voluntariũ, imò ex visceribus, ex imo pectore, & corde profectus esse dignoscitur. Dicitur metus alio modo, nempe cùm ex causa extrinseca proficiscitur: & iste duplici modo consistit, videlicet, aut timor ille cogit, ac voluntatis consensum extorquet, aut non: at proposito exemplo melius intelligetur. Si quis minatur, se pugionem infigere pectori meo, & iam vult istud efficere, si ego religionis votum nõ fecero, quoniam huiusmodi metus vim intulit, ac voluntatis consensum extorquet, votum est inualidum. At si magna tempestate iactatus aliquis foret, & ob metum mortis religionem vouerет, si Dei gratia inde libere euaderet, aut aliud votum emitteret, validum illud esset: nam in tali casu nemo ad huiusmodi votum extorsit consensum, imò ipse vouit, cùm in tam graui periculo constitutus esse videretur. Sed animaduerti debet, duplicem etiam esse timorẽ grauem, ex causa extrinseca proficiscẽtem, qui consensum extorquet vouendi: nam aut causa iusta est, aut non: si iusta est causa, quamuis votum fiat per vim, obligat: quemadmodum si maritus vxorem in adulterio deprehendisset, & cùm illã occidere posset, diceret ei, iam te interficiam, si monasterium non ingrederis monialium, ibiq; professionem non emiseris, si illa ob hunc metum vouit, validum est votum, illudq; adimplere tenetur. Sed quãdo iniusta est causa, nõ remanet obligatio promissionis huiusmodi, vt iam dictum est. Cùm dicitur, quòd votum est quædam promissio, intelli-

telligitur, vt qui vouet de re propria, non autem aliena: quamobrem seruus nō potest votum facere dandi bona sui domini, nec filius bona patris, nec vxor viri. Hoc intelligitur in votis, ac promissionibus realibus, cùm votum non sit de re propria: nam si filius quintū decimum annum attingens vouet religionem, valet votum, quamuis inuito patre, cùm Deo corpus & animam offerat, quæ sunt propria bona sua. Si verò maritus, aut vxor vouerint castitatem, non valet votum, cùm maritus nō sit dominus corporis sui, sed mulier. Sed bene verum est, quòd si coniugati tale emitterent votum, obligarentur ad illud, ad quod poterant se obligare, & in quo proprium haberent dominium. Vnde maritus sic vouens, non potest debitum exposcere maritale: nam in hoc dicitur potestatem habere; si verò mulier ab eo illud peteret, tenetur reddere, sub pœna mortalis peccati. Ex hoc documento, in quo versamur, intelligitur, quàm valeant vota religiosorum post professionē vouentium, cùm non habent propriam voluntatem. Sed circa talia vota aduertēdum est, quòd in tribus vouere potest religiosus. *Primò*, de rebus, quæ à Prælato illi prohibentur, & tunc vouendum est tali modo. Ego voueo me cōferre ad domū Mariæ Virginis de Loreto, aut illud xenodochium visitare, dummodò Prælatus meus mihi licentiam impartierit. Qui ita vouerit, nō statim tenebitur ad illud adimplendum, donec veniam obtinuerit; qua non obtenta, nō est validum votum. *Potest quoque* vouere de re

licita, non sibi vetita à Prælato, sed ei subdita, vt recitare hoc aut illud: vtq; si voueret per singulas noctes tali hora surgere, castigando corpus, tunc vouere debet sub negatiua conditione in hunc modum: Ego voueo hoc, si à Prælato meo nequaquam mihi vetitum fuerit: emissoque tali voto, statim obnoxius erit ad illud implendum, quousque Prælatus non prohibuerit. *Tertiò*, vouere potest de rebus licitis, in quibus Prælato minime subditur, sicut non murmurare, non furari, quæ vota statim obligant, &, quemadmodum aliqui aiunt, Prælati religiosi tollere non possunt, neque irritare ea, sed contrarium est verum: nam Prælati habent super hoc potestatem: quoniam etsi prohibita materia non sit Prælato subiecta, attamen voluntas, quæ promittitur, subiecta est ei, sicq; dominatur in ea, ac in votis, quæ, ab eo venia non obtenta, promiserit. Circa idem verbū, nempe, quod votum promissio est, sciendum erit duplicem esse promissionem, aut absolutam, aut conditionalem: absoluta & sine conditione est, quando quis religionem, aut ieiunium vouet, & vota huiusmodi facta statim obligant: cùm autem apponitur conditio, dupliciter fit, aut voluntaria est, aut pœnalis. Voluntaria, vt si quis diceret: Voueo religionem, si ex infirmitate ista incolumem Deus me reddiderit. Ista promissio obligat, cùm adimpletur conditio: nam sine illa remanet, & hic conditione impleta vult religionem ingredi. Pœnalis huiusmodi est. Vt si aliquis
dice-

diceret: Ego votum facio non ludendi, ſiq; luſero, religionem ingrediar, aut ſub termino aliquo, ſub pœna religionem ingrediendi, aut eundi Hieroſolymam: iſtaq; conditio religionis, aut adeundi Hieroſolymam, pro pœna ſibi ponitur, quam ipſe abhorret, vt ire in triremim, vt à ludo abſtineat; non quia ipſe id ex corde velit, aut deſideret, qui hoc emiſerit votum, ſtatim tenetur non ludere, & de hoc vouit: at ſi ludit, frangitq; votum, obligatur ad pœnam ingrediendi religionem, aut ſe Hieroſolymam conferendi. Et hæc vota à Theologis nuncupantur pœnalia, oportet vt illa rectè à Confeſſario dignoſcantur, vt animabus exhibere remedia non ignoret: nam de his dubium eſt inter Theologos, an omnia iſta vota pœnalia abſolui poſſint ordinarij auctoritate, aut ex licētia Bullæ. Quamobrem ſciendum eſt, quòd quinque vota ordinariè ſunt Papæ reſeruata, Religionis, Caſtitatis, peregrinationis in Hieruſalem, Romam, vel ad ſanctum Iacobum Compoſtellę. Dubitatur ergo, ſi quando iſta ſunt pœnalia, poſſint diſpenſari, aut commutari ab ordinario, aut ex Bullæ facultate, vt ſi aliquis diceret: voueo non ludere ſub pœna adeundi Hieruſalem. Et videtur quòd non: nam Bulla dicit, non poſſe per eam diſpenſari in religionis voto, aut caſtitatis, nec vltra marinum. In hoc omnes conſentire videntur, quòd cùm non infringitur conditio, illeque in pœnam non incurrit, cùm non luſerit, bene poterit ordinarius, aut Confeſſarius virtute Bullæ,

aut Iubilæi cōcessi Archifraternitati sanctissimi nominis Dei, aut alijs huiusmodi, dispensare, aut cōmutare votū: nam realiter, & in veritate illud non est, nisi non ludendi. Sed præsupposito, quòd infregerit votum emissum de non ludendo, iam obligatus remansit pœnali voto, vt sit religiosus: nam promisit se non lusurum, & si luderet, religionem ingredi teneretur. Votum igitur remanet absolutū absq; conditione ingrediendi religionē, quia iam in pœnā incurrit, & sic videtur votū esse Religionis, & ꝙ sit Papæ reseruatū. Hoc sentiunt viri nimis diserti: ego autē sentio, & sic sentire videntur quamplurimi viri doctissimi huius ætatis, huiusmodi pœnalia vota posse dispensari virtute Bullæ, ac Iubilæi, quod supra iam disseruimus, quamuis sit adimpleta conditio, & ꝙ etiam ordinarius dispensare valeat, atq; cōmutare. Nam quod summus Pontifex sibi reseruat, fuit votum Religionis, aut adeundi Hierusalem, Romam; aut ad sanctū Iacobum, quando volūtaria sunt vota perficiendi opera iam asserta. Sed cùm aliquis, vt abhorreat se religiosum esse, constituit illud sibi in grauissimam pœnam, huiusmodi votum non est reseruatum, nec propriè est religionis, nec adeundi Hierusalem; sed votum est pœnale Religionis, aut Hierosolymæ: & cùm Papa sibi talia vota reseruat, intelligitur, quando vota sunt absolutè opera prædicta perficiendi. Dicitur quoque votū esse promissionem Deo factam, sed ob hanc particulam intelligitur, quòd solùm, qui immediatè promittit

 Deo,

Deo, remaneat per votum obligatus; imò si offert, atque promittit aliquid Mariæ Dei Matri, ac nostræ Dominæ, aut cuilibet Sancto, verum est votum. Sed dicitur in definitione, quòd promissio facta Deo sit, quoniam ad eum omnia sunt referenda, & si ego voueo Sãctis, est tanquam intercessoribus coram Domino. Quemadmodum etiam factũ per Sanctos validum est, atque obligat, modò supra assertę seruentur conditiones. Vltimo dicitur loco, quòd vt sit votum, necesse est, vt promissio fiat Deo, de rebus, quæ magis ei placent, atque gratæ fuerint. *Ex quo sequitur,* quòd qui vouet aliquod patrare peccatum mortiferũ, nõ obligatur, imò grauiter peccat: nam offert Deo, tanquam aliquid gratum, atque acceptum, quod ipse tam odit, & detestatur. *Sequitur etiam,* quòd ille, qui aliquod veniale peccatum vouet facere, non facit votum, neque illud adimplere teneatur. *Tertiò sequitur,* quòd qui offert, aut promittit aliquid indifferens agere, non remanet obligatus, nec valet votum: quemadmodum se ad campum conferre, vel die Sabbati non laborare; hoc intelligitur, cùm remaneat indifferens opus: nam si hoc faceret votum in honorem Matris Dei, ac Dominæ nostrę, obnoxius esset ad votum adimplendum. Si quis etiam voueret non transire per viam illam, quod votum quo ad se indifferens est, neque bonum, neque malũ, sed pro vouente occasio poterit esse peccati, in tali casu obligaret votum, nam res indifferẽs nequaquam est: at si qui illic erat, discederet,

poterit illinc transire, quia res indifferens remaneat. Præterea votum, quod ab aliquo fit de non ludendo cum talibus chartis, est de re indifferenti, ac nullius momenti, quoniam potest ludus esse cum alijs: apud Deum est res indifferens non ludere cum istis, & sic non tenet votum. Similia sunt vota, quæ à mulieribus fiunt de non nendo in Sabbato: nam si alia opera sunt ab eis facienda, impertinés est, non nere. *Quartò sequitur*, quòd si quis vouet non sequi consilia Dei, veluti se non esse castum, non esse religiosum, non remanet obligatus; quíve hoc votum emiserit, peccat ante Deum. *Quintò sequitur*, quòd, cùm baptizatur aliquis, legemqúe recipit Christi, non propriè vouet: nam si aliquid promiserit, ex eis est, quæ ex lege facere tenetur, nec supra se nouum onus imponit obseruandi legem, sed tantum illud, quod lex Dei secum habet. Bene verum est, quòd si quis, qui non fornicari tenetur, aut non furari, idipsum voueret; votum esset verum, illudq; teneret: nam licet ob legem teneatur, magis placet Deo, si onus hoc suscipere vellet, aliamq; obligationem, Deo suam honestatem consecrando, & sic illud hujusmodi votum de rebus est, quę Deo magis placent.

Quonam modo tolli poßit obligatio voti. § 7.

VOtum tolli poterit vno ex quinque modis, per interpretationem, irritationē, dispensationem, commutationem, atque cessationem. *Interpretatione tollitur*, cùm perspicuum esse videtur votum non obligare, vbi vim habet Epicheia, quæ iusta est interpretatio legis, vt

gis, vt si quis vouit ieiunare, & est ægrotus, votum non obligat; neque in similibus casibus. Sed hîc aduertenda est regula, quæ nimis prodest in nonnullis rebus euenientibus. Quando aliquis dubitat, an ipse votum emiserit, quoniam ex vtraque parte videntur rationes inesse, nec verum dignosci potest, huic dicendum erit, se ad huiusmodi votum non obligari. *Primò*, quia cùm dubitatur, ferenda sententia est in fauorem voti, & principalis fauor voti, vt ego sentire videor, est, quòd qui religiosus effici vult ex voto, efficiatur multa determinatione, & veritate, quæ in eo, qui vacillando dubitat, minimè inuenitur. Non indiget Religio nisi animosis, atque determinatis viris. *Secunda ratio est*, cùm in dubijs rebus melior est conditio possidentis, & qui de voto suo dubitat, est in possessione suæ libertatis: igitur danda sententia est in eius fauorem, vt obligatus non remaneat. *Secundus modus est irritatio*, id est, efficere vt votum sit nullum. Hoc non requirit, vt qui irritare votum debeat, sit Prælatus, aut Iudex; sed quòd potestatem, atque dominium habeat super rem promissam, quę nequaquam absque licentia sui domini promitti poterat; & sic maritus irritare votum potest vxoris, herus mancipij, pater filij, Prælatus Religiosorum, quo ad suos subditos. Hic est securior, atque efficacior modus tollendi vota, vt magis quietus sit, qui emiserit ea: & quamuis, qui irritare votum potest, irritum efficit illud, atque annullat nulla aliqua existente ratione, ex sua voluntate, tamen

aliquan-

aliquando peccet irritans votum sine ratione. Quod dictum fuit, nempe posse patres filiorum vota irrita facere, intelligitur, cùm illa sunt realia, id est, quando sunt facta quo ad bona elargienda, priusquam vigesimũquintum annum attingant: nam ante ętatem istam non habet filius potestatem disponendi de bonis suis. At si personale fuerit votum, quẽadmodum si voueret se religiosum esse, aut ieiunare, potest illud pater irritare, cùm ante decimumquartum annum emissum fuerit: sed post ætatem hanc iuuenis ille disponere de seipso potest, & sic ducere vxorem, & religionem vouere, quamuis pater id ægrè ferat. *Tertius modus est dispensatio*, ob quam Prę̨lati requiritur auctoritas, atque iusta, & legitima excusatio; qua deficiente, inualida est dispensatio, quamuis à Summo Pontifice fiat: nam potestas Papę in ædificationem est, non autem in destructionem. Vndè vt voti obligatio dispensetur, inspicienda est iusta, ac rationabilis excusatio: & tunc scietur eam esse iustificatam, quando à disertis, prudentibusque viris pro tali existimabitur, & cùm dignoscitur, quòd voti obseruatio impedimẽtum est maioris boni; vt si quis ieiunare vouisset, qui quotidie prædicat, cui ieiunium est impedimentum, iusta est ratio, vnde potest dispensari. Iusta etiam foret, cùm perciperetur, quòd voti obseruantia corporis sanitati obesset, aut animæ; veluti si quis ieiunare vouisset, & detrimentum eius sanitati afferret ieiunium, iusta quoque excusatio esset, cùm cognosceretur,

tur, voti obseruantiam inutilem esse. *Quartus modus est commutatio*, vtqúe sciatur quonam modo fieri debeat, sequentes regulæ erunt inspiciendæ.

Prima, quando commutatur votum in melius, non restat aliqua obligatio, vt si quis, cũ votum simplex religionis emiserit, solemniter profitetur, tollitur primum votum. Quidam promisit Imaginem Dominæ nostræ, & sacellum ædificat, votum satis adimpleuit, atque copiosè. *Secunda*, quando perspicuum est commutationem voti fuisse factam in æquali re, ac illam tam placere Deo, quàm eadẽ promissio grata esset, satis est, vt votum impleatur: nam Dei magis hoc, quàm illud non interest. Sicut si aliquis Dominæ nostræ promiserit pro suo altari centum aureos, tantum offert, quod valet illis centum, liber est à voto, & hæc commutatio Confessario non indiget, neque Prælato; nam idem qui votum fecit, potest & votum commutare, si non ignorat melius illud esse, & tam bonum, quod offert Deo in sui voti commutationem. *Tertia*, cùm vota commutantur per Iubilæum, Bullam, aut specialem facultatem, commutanda sunt magis piè, cùm mirandum, atque considerandum sit, Summum Pontificem pœnitenti gratiam aliquam tunc concedere; siqúe in melius esset votum commutandum, aut tam bonum, vt absque illa facultate commutaretur, nulla gratia concederetur. Sed cùm ad practicam commutandi per Iubilæum, aut Bullam peruenissemus, difficile atque periculosum est,

est, de qua suscipere non debet onus, qui multum non est versatus in animarum cura: nam quamplurima consideranda sunt, atque conspicienda. Vt si Confessarius vellet commutare votum Hierusalem, oportet eum attendere, quantum impendisset iter faciendo qui vouit, necnon & laborem, quem sustinere potuisset, pericula, & his similia, & sic commutandum est votum istud; si diues est, magnam eleemosynam largiendo, aliquam orphanam dotando, vel efficiendo modula in aliquo monasterio collocetur, vel vt ieiunet per duos annos qualibet sexta feria, vt tantum recitet ex psalmis, aut alijs rebus spiritualibus, vt confiteatur, aut sacram suscipiat communionem multo frequentius, ac sæpius, atque alia peragere satagat, vt Cõfessario videbitur magis expedire. Similiter quidam vouet religionem ingredi sancti Dominici, si votum illud commutandi obtinet facultatem Confessarius ipse, aduertendum est, quòd toto vitæ suæ tempore recitare tenebatur diuinum officium, ad matutinum nocte surgere, obedientiam præstare, septem ieiunare mensibus, nunquam carnem edere, estque votum illud commutandũ in aliquo, quod quasi tam Deo gratum sit, ac votum illud, & sic ei præcipiendum est, vt ieiunet dum viuit omni sexta feria, atque confiteatur, & communicet in singulos quindecim dies, vt quotidie psalmos recitet pœnitentiales, & iuxta suam facultatem eleemosynam largiatur: in hoc, aut in alio simili commutari potest huiusmodi votum, sique

Con-

Confessarius in commutationibus faciendis supra asserta diligentia non vsus fuerit, peccat mortaliter. *Quintus, & vltimus modus tollendi votu est per cessationem*; vt quando vouet aliquis, vsque ad illud tempus, veluti ieiunare omnibus sextis ferijs huius anni: tempore isto peracto cessat votum, nec aliqua remanet obligatio: at votum nequaquam cessaret, si quis hoc modo diceret: Ego voueo intra duos menses ingredi religionem, & si duobus elapsis mensibus votum non compleuit, peccat, ac redditur obnoxius ad illud adimplendum, quamuis duo transiere menses: nam ille absolutè promisit se religiosum esse, sed vt citius adimpleret, duorum mensium tempus præfixit. Estq; notandum, Cōfessarium rectè posse absoluere à fractione, & peccato cuiuscunq; voti, modò non sit reseruatum, sed commutare illud non potest, neq; dispensare, eum absoluendo ab obseruantia illorum in posterum. Et bene perspicitur rem esse distinctam absoluere à peccatis, quæ contra vota fiunt, à tollenda obligatione voti: nam à peccatis, quę contra solēnia vota admittuntur, potest absoluere Confessarius, remanēte, vt prius, voti obligatione.

Declaratio tertij Præcepti. §. 8.

TErtium Præceptum sic ait: *Memento vt diem Sabbati sanctifices*: non facies opera seruilia ea die, neq; elaboraueris. In hoc præcepto consistit præfatio, finis, atq; substantia. In pręfatione præcipitur nobis attentio, atq; consideratio, vt diem Sabbati non obliuiscamur, quę quidem dies quietem indicat spiritus, ac

ab opere cessationem, vt nos agnoscamus quietem spiritus & corporis, quam expectamus, minimè nobis esse concedendam, si prius non laborauerimus. Finis huius præcepti est, vt tali die abstinentes nos à negotijs familiaribus, libentius inseruire Deo possimus, ac eius laudibus inuigilare, deq; illo excogitare qui Creator, Dominus, & Deus noster est: vtq; diebus festis maiori cum commoditate possint conuocari gentes ad seruiendum Domino, vt verba Dei audiant, atque Sacramenta suscipiant. Sed notandum est, hunc finem non præcipi nobis tanquam præceptum: nam generalis est regula, quòd finis præcepti non cadit sub pręcepto: quoniam qui in die festo non intendit seruire Deo ac ipsi vacare, licet mortaliter peccet, attamen præceptum hoc nō transgreditur. Substantia, quę hic præceptum est, vt festis diebus seruile opus nō faciamus. Siq; dubitaret quis, quare solemnizemus aut obseruamus Dominicam diem, non autem Sabbatum, præcipiente Deo in veteri Testamento in hoc præcepto, vt Sabbatum custodiremus, huic respondeo, hanc permutationem Sabbati in Dominicam iusta de causa esse factam: nam Sabbatum veteris Legis figurabat quietem, ac sabbatismum Christi, cùm dies fuisset suæ Resurrectionis, quando cessatio fuit laborum omnium ; & cùm aduenerit veritas, decebat vt vmbra cessaret, & ideo nunc celebramus diem Dominicam, & in veritatē vmbra mutatur, vt etiam in sua Sequentia ait S. Thomas, *vmbram fugat veritas*. Poterit etiã quis dubi-

dubitare, cur, cùm in veteri Lege non iuberetur, nisi dies vnus festus, nos Christiani tot inter annum celebramus? Huic respondetur, quòd in Iudaico populo erant etiam alij dies festi, vt festum Tabernaculi, Pentecostes, &c. imò præter hæc alia nobis est ratio, ad iustificandam nostram consuetudinem: nam cùm maiora nunc Deus nobis beneficia pręstitisset, quoniam nasci dignatus est, mori, atque resurgere pro nobis, æquum est, vt nos in festis, quę agimus, memoriæ complectamur beneficia illa, vt Deo grati simus, vtq; ei gratias ageremus. Præterea quamplurimi Sancti proponuntur nobis in exemplum, nempe vt ad cælum eos sequeremur, quorum solemnia celebramus. Concluditur ergo huius præcepti declaratio, quo opera cuncta seruilia prohibentur, atque mechanica, vt ea die festo ne faciamus. Ad hoc intelligendum aduerti debet, tria esse operum genera: aliqua nuncupantur ingenua ac liberalia, vt studere, legere, prædicare, ac disputare: alia sunt seruilia, nam ea faciunt serui, ac illi, qui victum lucrantur cum labore, vt fodere, arare, suere, &c. alia sunt vtrique communia, vt quemlibet rerum suarum satagere, venari, scribere, &c. In hoc pręcepto solùm vetita sunt opera seruilia, alia opera sunt licita, adeò quòd etiā seruile opus, cùm in commune transit, licitum est. Sed trāseunt, ac in commune permutantur, in duobus casibus: aut ob necessitatem, quādo occurrit, vt exerceat illud ad corporis sanitatem conseruandam, vt sunt opera necessaria ad exhi-

benda remedia pro infirmis, aut aliud huiusmodi. Licita sunt etiam hęc opera diebus festis, ad euitandum aliquod damnum, atque iacturam, quando sunt messes in campo, ob tempestatis periculum: tunc enim cultores rectè possunt laborare; & eo magis, si timentur inimici, ac in alijs similibus, cum quilibet, aut seruus, aut liber tenetur sibi in necessitatibus opem ferre, & proximo, damnum reparando, eique obuiando, quod euenire potuerit. Oportetque aduertere Confessarium, tria esse rerum genera, quę seruilia non sunt, & tamen prohibentur in Canone diebus festis. Nundinæ, id est, mercatus, ciuile iudicium, aut criminale, iuramentum, nisi illud sit ad tuedam pacem, aut alia iusta de causa, ac necessaria, quilibet processus, aut iudicialis tumultus, extra illū, qui pietatis, aut necessitatis causa fieret. Necesse quoque est vt aduertat Confessarius, quòd omnia opera, quę licitè possunt fieri in die festo, quamuis ob pecuniam fiant, non inhonorant festum, vt legere per pecunię lucrū, venari per salarium, & etiam scribere ad denarium adipiscendum, quamuis Caietanus asseuerat scriptorem, qui libros describit, ad lucrandum pro victu denarios, scribere non posse in festo: sicut pingere liberale est opus, non seruile, & vt tempus inaniter quis non conterat, potest pingere in die festo; at si pro victu acquirendo id fecerit, opus erit seruile, atque mechanicum. Quod autem asseritur à Caietano, videtur multum probabile, sed in practica contrarium poni poterit, absque periculo-

riculo, iuxta formam à nobis traditam.

Breuis declaratio, quonam modo tenemur nos Missam audire integram in Festo. §. 9.

QVamuis verum sit, tertium pręceptū præsertim nobis pręcipere, ne seruile opus in die festo faciamus, attamen in se etiam continet pręceptum affirmatiuum, per quod iubetur nobis, vt die festo integram Missam audiamus. Quod præceptum nequaquam infringit, qui incipit Missam audire, quando dicitur epistola: nam quod retro omisit, paruum est, & paruum in moralibus pro nihilo reputatur: idem etiam foret, si Christianus audire omitteret quod sequitur postquam sacerdos communionem, atque purificationem sumpserit: sic est opinio quoque probabilis, aliquē satisfacere præcepto, audiendo dimidium vnius Missæ ab vno sacerdote, alterum verò dimidium ab alio, nec illum peccare, qui hanc sequitur opinionem, cùm illa sit disertorum hominum, licet contrarium tutius esse, ac facilius videatur. Requiritur in audienda Missa attentio, vtque illam audiens non abstrahat voluntariè mentem ab ea, aut loquendo, aut alia meditando. Sed notandum est, quòd ab hac attentione non deficit aliquis, si dum audit Missam recitat Horas, ad quas tenebatur: nam bene potest vtrique satisfacere obligationi, quamuis antiqui Theologi docuerint nō posse vno actu duobus præceptis satisfieri; at verum est, quòd non tantùm duobus, sed pluribus satisfieri poterit. Quemadmodū si quis alicui debet centum aureos, vidensque eum ex-

tremè egere, dat ei illos centum, satisfacit pręcepto iustitiæ, & alteri charitatis. Quapropter dico posse quem recitare Horas cum iniuncta pœnitētia à Confessario, dum auditur Missa. Ratio est, quia si ille ex deuotione poterat recitare, & recitando in attentione nō deficit, & clarum est, quòd cùm sit obnoxius, ab attentione illa non desistat, imò dum recitat, Deoq́ se commendat, augetur illa deuotio, atque attentio: ergo, licet oratio sit de præcepto, non tollit attentionem, qua audienda est Missa. Huic additur, quòd non iubeo præceptum, nisi vt attentio præstetur in audienda Missa, non autem vt illa audiatur, aut quod à sacerdote dicitur, intelligatur: nam si quis ab altari abest, aut est Missa Græca, rectè satisfacit præcepto. Igitur cùm non tollatur attentio, licet ex obligatione aliquid recitetur, totum bene poterit obseruari.

Breuis declaratio præcepti de seruando ieiunio Ecclesiastico, quod ad tertium præceptum redigitur. §. 2.

AD hoc præceptum reducitur præceptum ieiunij: nā quędam est dispositio, vt melius dies festi sanctificentur. Quicquid sciendum est à Cōfessario in hac materia, ad quinque aut sex capita redigitur. *Prima sententia* est ieiunij definitio, atq; obseruantia Ecclesiastica, qua præcipitur vnica tantùm in die comestio, hora competenti, prohibetur q́; comestio carnis, ouorum, ac lactis, & quicquid ex his confici poterit. Ex prima parte excipitur naturale ieiunium, de quo non loquimur, cùm sit

sit temperata comestio: ex secunda, quod est non comedere, colligitur quòd non prohibetur bibere quantum quis voluerit ante & post comestionem: sequitur etiam, non frangi ieiunium ab eo, qui ob necessitatem aliquam aliquid sumpserit, per modum medicinæ: sequitur præterea eum non infringere ieiunium, qui sumit collationem: nam amplius, quàm semel in die, non comedit: & de hoc legitima non adest causa: nam sumit vt potus non possit obesse, quoniam etsi aliquis non dubitaret, imò pro certo haberet, potum non sibi damnum allaturum, sumens collationem, nõ frãgit ieiunium. Legitima ratio est Ecclesiæ consuetudo, quæ huiusmodi collationes admittit, absque peccati scrupulo, & mos antiquus est verus legũ interpres. Vnde sequitur, quòd qui vigilia Natiuitatis Domini sumit ientaculum, nempe tribus, aut quatuor fructibus vescens, vt sunt pira, ficus, oliuę, & his similia, modò sit ibi mos iste, & sciunt Prælati, atque consentiunt, & ipsi quoque idem faciunt, non frangit ieiunium. Sed dubium est, an qui semel ientaculum sumpserit, rogatus postea aliquid iterum sumit, frangat ieiunium? Pater Magister à Victoria felicis memoriæ dicebat, quòd si id suo respectu facit, nulla occasione interueniente, peccat tantùm venialiter, nec præceptum ieiunij videtur infringere: nam re vera non comedit ille magis quàm semel in die: at si ab amico rogatus bolum tantùm accipit, vt bibat, vrbanitatis causa, nullum admittit peccatum. Sententia ista nimis est cõ-

sentanea rationi, atque sequenda. Ita etiam serui, & coqui epulas pręgustantes, quę ad eorum pertinent seruitutem, quamuis sint carnes, non infringunt ieiunium: nam carne minimè vescuntur, nec bis comedunt. *Secundum*, quod circa ieiunium animaduerti debet, est competens hora, qua comedendum est. Antiquitus competens hora edendi ad ieiunium erat serò hora vespertina, sed nunc ordinariè est meridies, anticipato horæ dimidio, plus, aut minus. Quamuis de hoc non est scrupulus habendus: nam videtur mos esse inter Christianos introductus, quod edere sufficit quasi hora ante meridiem: suntque nonnulli Doctores sentientes, seruari ieiunium, si manè comeditur, tribus, aut quatuor anticipatis horis ante meridiem, modò non comedatur magis quàm semel. At nunc dubitatur, an quis comedens pluries in die ieiunij, toties peccet, quoties ille comedit? Et videtur quòd sic: nam semper cùm comedit, cōtra præceptum facit, quod ei præcipitur, vt nō amplius, quàm semel in die ieiunij comedat. Præterea, quoties aliquis vescitur carne, cùm ieiunatur, aut alio die, quo caro est vetita, vt die Veneris aut Sabbati, toties peccat, quoties vescitur ea, cùm hoc illi prohibeatur. Ergo quoties quis comedet die ieiunij, tot peccata commiserit. Nihilominus mihi videtur, non esse plus quàm vnum peccatū, quod consistit secunda vice comedendo: quoniam pręceptum Ecclesiæ solum est vt seruetur ieiunium, nempe, ne quis comedat bis in die: nam

qui bis comedit iam frangit pręceptũ, & ideo aliud postea non admittit peccatum, cùm ieiunium ab Ecclesia præceptum nequaquam seruare amplius possit. Aliud est pręceptum non vescendi carne diebus prohibitis: nam in hoc, præsertim sine ordine ad aliud, pręcipitur ne caro comedatur, veluti iubetur ne aliquid surripiatur, ideoque quoties carne quis vescitur, toties nouum peccatum admittit, sicut qui toties furatur, toties deliquerit. *Tertium*, quod considerari debet in Ecclesiasticis ieiunijs, est vt ne carne quis vescatur, neque ouis &c. Tempore Diui Thomæ vetitum erat, ne oua, lac, & similia comederentur tantùm diebus Quadragesimæ, in alijs autem ieiunijs non prohibebantur. Nunc verò in omnibus ieiunijs iussis ab Ecclesia, opus est præassertam abstinentiam obseruare, per cõsuetudinem in hoc receptam, saltem in Regno vlterioris Hispaniæ, quę vulgo Castilia nũcupatur. Ex quo colligitur, non esse de substantia ieiunij, non comedere oua, neque lac: nam præteritis temporibus, vt supra fuit assertum, ieiunabatur lac, & oua comedendo: quoniam essentia ieiunij, ac eius definitio, sola est carnes non edere, atque vnica in die comestio. Quamobrem soluitur dubium, quod in casu isto solet offerri. Quęritur ordinariè, an si quis, cùm potiatur priuilegio edendi carnem, possit ieiunare, comedens eam, & ad ieiunium teneatur, semel tantùm comedendo? Mea quidem sententia est, vt iste ieiunet: nam coram Domino merebitur, non comedens ni-

si semel: ad ieiunium autem non tenetur: de essentia enim Ecclesiastici Ieiunij est, non edere carnem, vnde ob eum ipsum respectum, per quem quis obtinuit licentiam comedendi carnem, immunis est ab onere ieiunandi. Præter hoc, quoniam huiusmodi licentia comedendi carnem tempore ieiunij datur tantùm infirmo, & qui infirmus est non tenetur ieiunare: ergo licentiam habens vescendi carnem, quamuis plus quàm semel in die non comedat, nequaquam ieiunat: nam dictum est, non comedere carnem, nec oua, de essentia esse ieiunij: licet si tantùm semel comedit, meritum non amittit, tamen obnoxius esse non videtur.

Oritur etiam inter doctos viros hoc aliud dubiũ. Est de iure communi, quòd si dies Natiuitatis Domini venerit die Veneris, possunt omnes Christi fideles edere carnem, nisi qui ex constitutione, aut voto specialiter exclusi fuerint ab eius comestione: dubium est, an possint eam comedere, qui regulam diui Dominici professi sunt? Ratio dubitandi adest, quoniam conceditur priuilegium cunctis fidelibus, nobis autem non prohibetur comedere, sed non comedimus propter nostras cõstitutiones, nequaquam ad culpam obligantes, ergo carnem edentes, non facimus contra cõmune præceptum ieiunij, sed cõtra nostras cõstitutiones tantũ. Ita visum est nonullis viris nimis disertis, vt est Syluester, Pater Frãciscus à Victoria. Sed contrariũ mihi certius videtur; nam dicit priuilegium, vt possit quis

vesci carne illa die Veneris, nisi aliquis sit, cui ex voto, aut regulari constitutione prohibeatur comedere. Nobis igitur hanc habentibus constitutionem, nõ prodest hoc priuilegium, & sic remanet ratio iuris cõmunis in suo antiquo vigore, & de iure cõmuni est, vt nõ comedatur caro die Veneris: religiosus ergo sancti Dominici nõ potest illa vesci, cùm tale nõ habeat priuilegiũ. Dubitatur etiam hoc modo. Sæpe dicitur in Iubilæo, vt ad consequendum illud ieiunent fideles tribus diebus, quęritur, vtrum in istis ieiunijs habentes Bullam possint edere oua, aut lac, quemadmodum in alijs diebus Quadragesimæ? Aliqui dixerunt eos nõ posse comedere: nã cùm in Iubilæo dicitur, quòd tribus diebus ieiunetur, vt illud cõsequi possit, vult vt ieiuniũ sit sicut in iure communi, atq; antiquo pręcipitur, vbi prohibetur ouorũ ac lactis comestio in die ieiunij. Comedens igitur quid ex cibis istis Iubilæum minimè cõsequitur; nam ad illud cõsequendum nequaquam ieiunat. At huiusmodi opinio non habet secum aliquã rationem. *Primò*, cùm nõ sit de essentia ieiunij, nec de iure communi, si lac, aut oua non comeduntur, vt superius efficaciter probatum fuit. *Secundò*, nam qui potitur priuilegio edendi oua aut lac, verè ieiunat, obseruatq; præceptum Ecclesiæ in ieiunijs Quadragesimæ. Ergo talibus istis ieiunijs consequitur Iubilæum: quoniam non præcipit Iubilæum, nisi vt verè tribus diebus ieiunetur. Hæc est Ecclesiæ perpetua consuetudo, quæ non vult vt dies illæ ab alijs diffe-

rant Quadragesimæ; nisi vt qui Bullã habet, comedat oua, & Iubilæum consequatur; qui verò eam non habet, edat pisces, & sic religiosè Ecclesiasticum ieiunium seruet. *Quartò*, aduertendũ est in Ecclesiasticis ieiunijs, quod ieiunium durat ab vna media nocte ad aliam: ideò qui hoc tempore bis comedit, aut carne vescitur, aut alijs cibis vetitis, frangit præceptum ieiunij. *Quintò*, oportet Confessarium non ignorare, obligationem ieiunij tolli ob quatuor causas: aut per impotentiam, aut per necessitatem, seu per pietatem, atq; dispensationem. *Primo modo* comprehenduntur qui vigesimumprimum annum non attigerũt: nam tempus istud ad naturale augmentum determinatur. At aliud foret, si quis, cùm ad prædictam ætatem non peruenisset, vellet ex voto se obligare ad ieiunandum aliquo die: tūc enim decimumquintum annum agens obnoxius est ad ieiunium ratione voti. Sed dubitatur de nonnullis minorem ætatem vigesimiprimi anni habentibus, qui alicuius religionis suscipiunt habitum, veluti Diui Francisci, in qua religiosi ex præcepto ieiunare tenentur certis diebus, an isti teneantur ad ieiunandum priusquam ad vigesimum primum annum peruenerint? Negatiuè respondetur: nam Ecclesiastica lex non obligat, & sic eo minus lex religionis illius obligare videtur, cùm lex naturalis in suo vigore remaneat. Nec senes obnoxij sunt ad legem ieiunij, sicut nec etiam infirmi: nam senectus est infirmitas incurabilis: senes ordinariè nuncupantur sexagenarij,

aut

aut plusquàm ſexageſimum annum agentes. Sed hoc iudicandum eſt arbitrio prudentis viri: nam aliqui quinquaginta annos nati ſeneſcunt, alij verò etſi ſexaginta annos habeant, attamen ſunt in iſta ætate robuſti, multumq́; roboris oſtendunt. Primi non ſunt obligati: ſecundi verò ſic. *Per neceßitatem* immunes ſunt ab obligatione huius præcepti laborantes, qui officium ſuum nequaquã exercere poſſunt, nec victum lucrari ieiunando, vt foſſores, fabri, & huiuſmodi. Aliter dicendũ erit de alijs aliud officium exercentibus, pro quo non ſumitur tantus labor; vt ſunt ſcribæ, notarij, ac aduocati. Sed dubitatur, an diebus, quibus non laborant, teneantur iſti ieiunare, & videtur quòd ſic: nam ceſſat ratio, atq; neceſſitas, ob quam non obligabantur. Reſpondetur quòd in hoc aduerti debet, an qui laborauerit bene valeat die feſto: nam ſi laſſus remanet, & debilis, vt alijs diebus, ſiq; ieiunando vires non ſufficerent ſequenti die, vt ordinariè ſolet accidere, non redderetur obnoxius: at ſi die feſto validus eſt, & robuſtus, adeoq; ieiunium obſeruare poterit, tenetur ieiunare. Ad caput iſtud omnes rediguntur elaborantes, vt iter facientes, etiam animi cauſa, aut ad videndum amicam, qui non tenentur ieiunare. Tales iſti delinquent contra aliud præceptum, quo eis præcipitur, vt honeſtatem ſequantur; ſed non contra illud ieiunij. Ratio eſt: nam per præceptum indicitur ieiuniũ his, qui poſſunt ieiunare, qui verò nõ laborant; ergo ieiunare non valentes, ac elaborantes non tenentur

nentur ad ieiunandũ. Idem iudicandum est, si pila aliqui ludunt, adeò quòd nocte nimis lassi ac debiles sint: nam possunt cœnare eadẽ ratione, ob quam ipsi non possunt iam commodè ieiunare, & ludus non est illis prohibitus, ex quo eorum debilitas sequitur, per quã ieiunare non possunt. Secus autem foret, si isti iter facerent, aut luderent, aut ad amicam videndam se conferrent, vt ieiunium non seruarent: nam tunc fraus est, ac dolus prauus contra legem ieiunij. Quod à nobis asseritur, est, vt si quis animi causa aliquò perrexerit, luserit, aut venatus fuerit, postmodum verò nimis debilis efficitur, obnoxius minimè est ad ieiunium. Sunt nonnulli alij casus, in quibus huius præcepti non cadit obligatio. Circa huiusmodi casus legendus est Caietanus in sua Summa, verbo ieiunium. *Tertia ratio*, ob quã tollitur ieiunij obligatio, est pietas, cùm ieiunium aliud præstantius impedit opus, sæpe charitatis, ac misericordiæ. Quemadmodum si vigilaret quis tota nocte super infirmum, atque pro eo laboraret, quod ieiunando haud posset efficere, non tenetur ieiunare: nam tali casu ieiunium impedit maius bonũ. Idem est, si quis in necessitate constitutus abhinc longè abest, siq; ad illum me non contulero, multo afficietur detrimento, obnoxius ad ieiunandum nõ ero ex eadem ratione, cùm ego, nisi cœnauero, iter hoc facere nequaquã possim. At de peregrinationibus multum difficultatis est: prospicio: an qui peregrinatur, ad ieiunium sit obligatus, cùm ex superius as-

ser-

fertis videatur quòd non. De hoc tres regulæ à Gaietano ponuntur. *Prima*, quando persona insignis est, qui peregrinatur, & peregrinando nonnullis maximum deuotionis præbet exemplum: tunc enim, si ieiunare nequit, nō tenetur ad ieiunium obseruādum, per rationem nuper allatam; cùm exemplum, quod ab illo in peregrinatione præbetur, magis proficiat, quàm particulare ieiuniū. *Secunda*, cùm quis peregrinando maius spirituale sentit emolumentum, pedibus faciens iter, quàm ieiunando, linquere potest ieiunium. *Tertia*, quando tempus ac societas instat, vt ad iter se peregrinus accingat, pergere potest tempore ieiunij, & non ieiunare. Extra istos casus, quādo non adest necessitas, peccat qui diebus ieiunij peregrinatur: sed venialiter solùm delinquet, cùm non seruetur ordo: nam, vt superius dictum est, licet animi causa aliquis pedibus iter faciat, aut aliud agat, ob quod ieiunare non valeat, minimè obligatur; sed tantum erit veniale peccatum, eo maius quàm in casu nostro. *Quartus casus*, quo liber est quis à ieiunio, est dispēsatio: & in hoc *prima* sit regula. Quando habet quis iustè, aut iniustè dispēsationem non ieiunandi, nō tenetur: quamuis peccaret, huiusmodi dispensationem sine occasione petendo: at si eam obtinuerit, valida erit. Ratio est: nam cùm humana sit lex ista, potest eam Summus Pontifex, aut alius tollere, vt infra dicetur. *Secunda*. Qui vescendi carne licentiam habet, liber est à ieiunio: primò, cùm de essentia sit ieiunij non edere carnem, & quoniam

niam in die ieiunij carnem edere infirmis tātùm conceditur, & hi extra ordinem ieiunandi sunt: ergo extra obligationem quoq; sunt, qui licentiam habent edendi carnem. *Tertia*, Qui potitur venia comedendi oua, potitur etiam edendi lac, atq; butyrū, & ex lacte quicquid erit confectum. quoniam qui edere oua potuerit, edere poterit cum rebus his, quibuscum coqui solent. Ex quo probabiliter conijciebat doctissimus Pater à Victoria, quod coqui ea poterant pinguedine porci: sed in contrarium cōsuetudo videtur, & sic obseruatur. Semper autem ieiuniorum dispensatio ad Papam tantùm attinet; sed per vnum, aut duos, potest Prior, aut curatus dispensare. Ratio est: nam si subditus aliquis dispensatione indiget hodie non ieiunandi, quonam modo Romam ire poterit? nam dum iret, necessitas ista finiretur. Sequitur etiam, quod cùm subditus fide dignus ad Prælatum se contulerit, statim necessitate cognita, concedenda est ei dispensatio: non autem dicendum erit, quod id super eius conscientiam sit relinquendum, cùm adeo certum esse videatur, quod paterna auctoritate tunc poterit dispensare, non autem mittere eum cum scrupulo, atq; mœrore.

Breuis declaratio de modo, deque tempore, quo obligatur homo se Deo commendare. §. 11.

Contra hoc tertium præceptum peccant etiam, qui Deo se non commendant, aut id non recitant, ad quod tenentur. De primis, videlicet de Deo non se commendantibus, *Prima regula* est. Qui se Deo non commendare

propo-

proponit, propositum illud est peccatū mortale: nam proponit facere contra præceptum Dei. *Secunda*. Qui nullo vnquam tempore se Deo commendat, peccat mortaliter, cùm sit hoc affirmatiuum præceptum, ergo obligat aliquando: ob quod videtur eum facere contra præceptum, qui nūquam se Deo commendat. *Tertia*. Commendans ita se Deo, ac si non commendaret, manet in peccato: nam hoc est, ac si nihil obseruaret. *Quarta*. Qui videns se in maxima aliqua necessitate constitutū, aut desperationis, aut infidelitatis, Deo nō se commendat, ad eum confugiēdo, peccat, cùm tam graue dignoscat periculum, nec pro illo remedium exposcit ab eo, qui exhibere illud potest. *Quinta*. Qui per multum temporis spatiū Deo se non commendat, ostendit se gratiam Spiritus sancti non habere: nam Spiritus sanctus vocari Deum ab eo facit, in quo Deus ipse moratur, gemitibus inenarrabilibus, vt Paulus Apostolus ait. Igitur si gemitus istos non habes, signum est, non habitare Spiritum sanctum in corde tuo. Circa eos, qui diuina Officia recitare tenentur, sciri debet, quòd quicquid in hac materia est, redigi potest ad huiusmodi propositionem. Præcipit Ecclesia, vt ab omnibus sacro Ordine insignitis diuina officia recitentur, insuper & ab eis, qui Ecclesiasticum beneficium obtinuerunt, & ab omnibus vtriusque sexus, qui religionem professi fuerint, cùm sint deputati ad chorum: qui omnes attentè recitare tenentur septem Canonicas Horas iuxta tempus, & ordi-

ordinem sui ordinarij, & quicquid sancta, atque laudabili consuetudine fuerit introductum inter pias ac sanctas personas, Deumq́ue timentes, tanquam id, quod obligare videatur. A rebus istis breuiter iam assertis sequitur, quòd qui ex his nuncupatis recitare omiserit septem prædictas Horas, aut ex his aliquam, mortiferè delinquet: si verò Psalmum aliquem, aut Hymnum, aut Inuitatorium, cùm parua sit materia, non erit peccatum mortale. Sequitur etiam, peccare mortaliter eum, qui Officium mortuorum non recitat, aut illud Beatissimæ Virginis Deiparæ: nam etsi Ecclesiastica lex non sit, quæ præcipiat, vt dicta Officia recitentur, adest tamen mos inuiolabilis, qui tam obligat, ac si ipsa lex foret. At bene verum est, quodammodo ab isto onere liberos esse, qui recitant Breuiarium Romanum nouiter editum, quemadmodum in Breui eiusdem Breuiarij continetur. Circa id, quòd professi omnes Religionum deputati ad chorum sint obnoxij ad recitandas Canonicas Horas, animaduerti debet obligatio ista non cõstare per legem, nec præceptum: nec sufficienter colligitur cùm sint professi ad chorum deputati: nam nec Religio Diui Ioannis, neque Societatis, nec suæ regulæ ad hoc obligant professos, quamuis sint ex choro, imò eos admonent non obligari ad Officium diuinum recitandum, donec sacrum susceperint Ordinem. Causa igitur cùm non reperiatur, ex qua huiusmodi obligatio proficiscitur, antiquum

quum morem esse sentio aliarum Religionum, ob quem tam religiosi, quàm religiosæ post professionem obligantur ad diuinum Officium recitandum. Diximus in propositione iam afferta, eos, qui tenentur diuinum Officium recitare, obnoxios esse ad recitandum attentè: vtque intelligatur, quænam sit attentio ista, sequentes regulæ erunt inspiciendæ.

Prima. Qui recitare cum proposito non intendit, dicens diuinum Officium, non satisfacit obligationi, ad quam tenetur: nam Ecclesiæ præceptum vult, vt attentè recitentur.

Secunda. Qui cum proposito aliud excogitat, aut loquitur, non satisfacit.

Tertia. Qui aliquando attentè se non collegerit, etiam peccat.

Quarta. Faciens aliquid incompatibile recitando non satisfacit, velut si quis, dum recitat, studeret, aut scriberet: si autē opus, quod fit, non afferret impedimentum, vt si aliquis induens se recitaret, rectè satisfacere videretur. Nam vera attentio est, à principio intentionem habere satisfaciendi, Deoqúe se commendandi absque distractione. Et licet postmodum semel diuertat, aut bis, nihil refert, modò iterum ad colligendam suam intentionem reuertatur. At vt melius vera agnoscatur attentio, notandum est, illam triplicem inueniri. *Prima* circa verba, & hæc est grammaticalis. *Secunda* est sensus, adhibens studium declarationi Psalmorum, & hæc est curiositatis. *Tertia* est considerare, qualiter sto co-

ram Domino, cum eo loquens, atque ab il-
lo gratiam expostulans, istaqúe est principa-
lis attentio. Circa illud, quod dicitur, vt di-
uinum recitetur officium eo modo, quo po-
nitur ab ordinario, ac tempore, cùm præcipi-
tur ab Ecclesia, debet aduerti, quòd substan-
tia Ecclesiastici præcepti consistit, vt quoti-
die septem Horæ Canonicæ recitentur debi-
ta cum attentione. Reliquum autem pertinés
ad modum, ac tempus recitandi, necessarium
est, atque minus principale. Ideo si vespere
quis Matutinum recitauerit, aut nocte dixerit
Primam, aut Horas anteponit, non peccat
mortaliter, sed solùm venialiter, cùm ordi-
natim non recitentur: sed quoniam substan-
tiale non est, ideo non est mortale peccatum.
Eadem ex ratione, si quis recitat de Sancto,
cùm ab ordinario præcipiatur vt fiat de Fe-
ria, si id absque necessitate fecerit, erit pecca-
tum veniale; si autem ex necessitate, non pec-
cat, velut si prædicare oporteret, aut legere.
Ex eadem ipsa doctrina colligitur, quòd si re-
ligiosus Diui Dominici recitaret per ordinem
Breuiarij Romani, aut Sancti Francisci, aut
ex contrario, solum est veniale peccatum,
dummodò Breuiarium Romanum non sit
trium Lectionum: illud etenim iam repro-
batum fuit. Quando vnus ex istis, qui, vt te-
nebatur, minimè recitauerit, accesserit ad cõ-
fessionem, primùm debet prudens Confessa-
rius eum admonere de peccato, ab eo com-
misso, eumq; adhortari, vt fideliter, ac verè
deinceps Officium diuinum recitet. Debet
postea

postea inspicere Confessarius, an ille, cuius confessionem audiuit, persona sit, quæ teneretur Officium diuinum recitare ob causam alicuius Ecclesiastici beneficij: nam in tali casu debet illi præcipere, vt restituat quod cepit ipsius beneficij: quæ quidem restitutio prudenter erit facienda, vt ex sequentibus documentis colligere poterit Confessarius. *Primò*, an ille Ecclesiasticum beneficium obtinuerit, quod tantùm illum obligat ad recitandum, non autem ad aliud officium peragendum, vt si habet præstamedas, id est, distributiones quotidianas, satagere debet vt beneficiatus ipse promittat restituere quicquid valet beneficium illud: nam iniustè percipit, & absque aliquo titulo. Dixi vt totum restituat, aut quasi totum: quia Confessarius non debet cum eo se gerere tanto cum rigore, vt si quis furatus esset, sed quasi cum aliquo seruo alicuius insignis viri, qui cum pauco tempore malè illi seruierit, totam non retinet sibi mercedem. At si qui non recitauit beneficium habet obligans eum ad alia officia principalia, ob quæ principaliter percipit fructus, vt si curatus est, audiens confessiones, administrans Sacramenta, regens Ecclesiam, aut si est Capellanus, obligatus ad dicendas Missas, expedit, vt Confessarius, existentibus huiusmodi necessitatibus, in hunc procedat modum. Si pro capellania habet clericus trecentos aureos in singulos annos, & per annum integrũ recitare officium omiserit, agat Confessarius, vt centum aureos restituat pro tertia parte,

ducentos verò retineat sibi pro Missis, quæ ab eo dictæ sunt, cùm hoc principale sit eius officium, ad quod tenetur: sicq; toto anno rectè recitauerit, paucis verò diebus recitare omiserit, vt octo, aut decẽ, nihil restituat; cùm illius domini seruus sit, qui bonus est, pius, & clemens, qui etsi desinat paucis diebus seruire, vt debet, non ideo vult vt salarium ab eo restituatur. Siquẽ Curatus erit, diuersa officia habens in Ecclesia, cùm ea bene ministrauerit, tantumve recitando defecerit, tunc tres partes sunt faciendæ, aut quatuor perceptionis ipsius beneficij, ex quibus tres sibi retineat pro ministerijs principalibus, quibus seruiuit, aliam verò restituat, si per annum recitare omisit: si verò per anni dimidium, restituat medietatem ipsius quartæ partis, & sic proportionaliter; si autem per dies paucos, nihil restituere teneatur. Neque contra hoc facit motus proprius Pij V. sanctæ memoriæ, quo præcipitur, Beneficiatum, qui Horas non recitat, debere restituere fabricæ ipsius beneficij quotidie medietatem pro matutino, aliamq; medietatem pro alijs Horis: nam præceptum hoc pœnale esse intendo, cùm à iudice iussum erit, aut quando beneficium Ecclesiasticum aliud nõ habet onus, quàm recitandi. In actibus enim Pij V. felicis recordationis alia habetur declaratio, quæ pro illius parte intelligatur, quæ correspondet in beneficio oneri recitandi. At in hoc offertur magni momenti dubium, quodq; scire multum interest Canonicorum habentium prouentus,

vt aſſiſtant, atque auctorizent diuinum officium, qui Horas in choro cathedralibus in Eccleſijs & collegiatis non recitant, ſed in domibus ſuis, ſæpe quæritur, an obligentur reſtituere quicquid percipiunt, ſiq́ue validæ ſunt huiuſmodi diſtributiones? Nonnulli dixerunt eos teneri ad totum reſtituendum, videturq́ Pium V. bonæ memoriæ in quodã motu proprio definiſſe, illos non obedire, dum Officium recitant domi, ſi loquuntur in choro abſque attentione recitandi officium, atq́ ſeruiendi vt debent. Nimis quippe intereſt, vt ſeruitium Eccleſijs præbeatur, quod ſit obligatio aſſiſtendi, ac ſeruiendi diuinis officijs. Sed nimius rigor mihi videtur iſte, quodve non teneantur totum reſtituere: nam principale officium, per quod diſtributiones percipiuntur, atque alij fructus, eſt vt auctorizẽt eorum præſentia chorum, ac alia diuina officia: quod ita facere videntur, quamuis tanquam mali Eccleſiæ miniſtri loquantur in choro. Et perſpicuum eſt, quòd cùm Canonici, aut clerici proceſſionaliter incedentes, aut cùm ad funera mortuorũ euntes inuicẽ alloquuntur, non ideo amittunt diſtributiones, quæ pro aſſertis operibus ſoluuntur à fidelibus, idemq́ abſq́ diſcrimine aliquo dicẽdum eſt de Canonicis in choro aſſiſtẽtibus. Motum proprium Pij V. ſanctæ memoriæ intendo in hoc non eſſe contrarium. Delinquitur etiam contra hoc præceptum, cùm non ſoluuntur decimæ, ac primitiæ, aut aliæ diſtributiones, quæ miniſtris Eccleſiæ debentur. Quo ad hoc

seruādus est regionis mos, vbi quilibet vitam degit. Ita quoque contra hoc præceptum facient, qui Ecclesiæ violant immunitatem, atque summi Pontificis, nempe semen, aut sanguinem in Ecclesia effundentes, atque extrahentes ab Ecclesia eos, qui ad illam confugerunt contra priuilegium, atque immunitatem, quam sancta habet Ecclesia. Ille etiam contra hoc fecerit, qui Ecclesiasticis tributa imposuerit: quoniam in omnibus casibus istis res sacræ afficiuntur iniuria, cùm, vt decet, nequaquam sanctificentur.

Peccata, quæ committuntur contra hoc præceptum. §. 12.

SI dies festos non seruauit, faciendo in diebus illis, aut permittendo vt fierent opera seruilia, est mortale: secus verò, si quod fit, modicum est, aut parui momenti. Si Missam audire omiserit diebus istis, legitima causa nō existente. Si audiens Missam, aut diuina officia, vel in locis sacris existens, aut in choro, non steterit illa, qua decet, reuerentia, atque deuotione, aut si respiciendo stat, loquendo, aut murmurando, vt minimè debet, mortaliter delinquit. Si curam non adhibuit, vt sui subditi, serui, ac filij audirent Missam, mortiferum est. Si diem festum ludendo insumpserit, ac in vanis rebus.

Si in concionibus audiēdis negligens, atque remisso animo fuit: si aliqua excommunicatione irretitus, diuinis interfuit officijs, aut aliquod susceperit Sacramentum, est mortale. Si diuinū Officium non recitauerit, cùm ad

id

id teneretur, eſt mortale: ſi illud recitauerit abſque attentionis propoſito, aut ſeipſum ſic occupando, quòd minimè diuino Officio intendere valuit, nempe loquendo in choro, aut in Miſſa audienda, vt ſuperius in ſecunda regula dictum fuit, eſt mortale. Si non ieiunauit, cùm tenebatur, aut vetitos comedit cibos, eſt mortale. Si non ſoluit decimas, aut primitias, aut oblationes iuxta obligationem, ac ſuæ patriæ conſuetudinem, eſt mortale. Si violauit Eccleſiam, aut cæmiterium ſanguine, aut ſemine: ſi ab Eccleſia extraxerit aliquos ad eam confugientes, contra priuilegium atq; immunitatem ipſius, eſt mortale. Si perſonis Eccleſiaſticis noua atq; iniuſta impoſuerit pedagia, mortiferum peccatum admittit.

Declaratio quarti Præcepti. §. 13.

QVartum præceptum eſt, vt patri, aut matri honor exhibeatur. In hoc præcepto docetur, quonam modo filij ſe gerere debeant erga patres, ſerui erga dominos, vxor erga maritum, ſubditi erga Prælatos, qui beneficia ſuſcipiunt erga eos à quibus illa ſuſceperint. Per hoc igitur præceptum imperat Deus, vt ſit nobis bona voluntas, vtq́ue parentes noſtros veneremur, quia nos genuerunt, vnde in hãc peruenimus vitam, atque nos edocuerũt: vult quoque Deus noſter, nos venerari, atque reuereri ſuperiores noſtros, tam ſpirituales quàm temporales, atque eos, qui nobis bona præſtiterunt, quive ſatagunt magna cum vigilantia nos protegere, nobiſq; benefacere. Et non ſolùm intelligendum eſt per hoc præ-

ceptum, ne simus erga eos inhumani, sed vt subueniamus eis, atque opitulemur eorum necessitatibus.

Peccata, quæ contra hoc præceptum admittuntur. §. 14.

Filius potest peccare contra patrem omissione, & commissione. Commissione, patrem suum occidendo, quod grauissimum est peccatum, maledicendo, contumelia afficiendo, molestè ferendo se eius esse filiũ, ac eum habere patrem, eius mortem appetendo, vt illius perfrui valeat bonis. Omissione poterit peccare, eum non honorando, nec venerãdo, non solùm quo ad exteriora, caput detegendo, eumq́ reuerendo, sed ei opem non ferendo, cùm opus fuerit, neque ei obediẽtiam exhibendo in his, quæ illi poterit imperare. Dicitur hoc: nam sunt nonnulla, in quibus non tenetur filius obedire patri, veluti si pater ei præciperet, vt religionem ingrederetur, tali casu poterit filius ei non obedire: siq́ præciperet vt vxorem duceret, ipse verò vellet se religiosum esse, parere ei nequaquam tenetur, quoniam in casibus istis liber est filius, atque, vt aiunt Theologi, sui iuris est: attamen si filius vxorẽ ducere vellet, posset pater filio imperare, vt potius istã, q̃ illam duceret, respectu sui status, atque honoris; siqúe illi nõ pareret, mortiferum peccatum admitteret. Præterea, peccatũ est mortale, cùm filius testamentũ patris nequaquam exequitur: quod peccatum ordinariè admittũt Equites, ac magnates nostræ Hispaniæ, qui statim possessionẽ capiunt tan-

tanquam primogeniti, Deumqúe minimè timentes, dicunt omnia esse bona primogenitorum, & sic haud exequuntur testamenta patris, aui, ataui, ac pro iusto Dei iudicio filius illius minimè exequitur testamentum ab eo postea conditum. Ita generaliter nobilium primogeniti, ac omnes filij testamentum patris non exequentes. Diximus peccare mortaliter filium non subuenientem patri necessitatem patienti; nunc verò addimus patres, vt eorum necessitatibus remedia valeãt exhibere, posse præcipere filijs ne religionem ingrediantur, donec eis succurrerint, opem ferentes. Aliud est, si pater indiget postquam filius religionem ingressus est; tunc etenim gerens habitum, succurrere poterit patri indigenti obtenta venia à suo superiore, habitum non deponendo; sed licentia non habita, nequaquam ei opitulari poterit, sicq; derelinquendus est indigens pater: nam filius iam seculò mortuus est, cũ ei minimè sit libertas. At bene verum est, quòd dum patres extremè indigẽt, poterunt filij satagere aliquo modo, vt eis subueniatur, aut agere, vt de bonis monasterij succurratur, quando aliter eis non poterit subueniri: nam existente necessitate extrema, omnia sunt communia, sed nunquam est habitus relinquendus. Peccat etiam pater contra præceptum hoc erga filium, cùm eũ tanquam Christianum non educaret, Christianam doctrinam non eum edocendo, imò si res prauas atque profanas instrueret, ac verba vana, atque inutilia. Cuncta hæc peccata

sunt grauia, quæ à patribus admittuntur, in quo multum rigoris tenere debet Confessarius. Hinc est, quòd peccant serui in suos dominos, & domini in seruos: siq; domini de rebus necessarijs non eis prouiderent, peccant mortaliter: siq; non satagunt, vt in infirmitatibus Sacramenta suscipiant, neque curam adhibent, ne sint concubinarij, aut ne aliter peccent, valentes exhibere remedia. Inter socrus, generos, ac nurus hęc peccata versantur, si iurgia, atque contentiones inter eos sunt, animi passiones, aut mala verba, vel si mortem inuicem appetunt, cùm alter alterius hæreditatem prætendat. Inter maritum & vxorem ista oriuntur peccata, si maritus verbis aut operibus malè vxorem tractauerit, aut eius rebus necessarijs non prouiderit, aut nimios cum ea sumptus fecerit: si vxor malè tractat virum suum, eius voluntatem non adimplendo, aut occasionem ei præbet non habendi patientiam, aut si Deum blasphemauerit, vel Sanctos: siq; absque sufficienti causa videtur sollicita esse, ne quis eo perfruatur. Peccatur etiam, cùm subditi maioribus non famulantur, aut eorum legibus, aut pręceptis magni ponderis; siq; hæc corde contempserint, murmurauerint, aut de eis conquesti fuerint. Si temerè res suas iudicauerint, malo fine dicentes eas fieri pro interesse, vel ad animi passionem, aut propter alios respectus humanos: si verbis aut actibus contempserint aliquos dignitate præditos, aut senes, siq; deriserint eos. Idē dicendum erit de eo, qui beneficium suscepit

ab

ab aliquo, poterit iste peccare contra eum, aut beneficium non agnoſcendo, aut malum pro bono reddendo. Quamobrem ſi Deus toties alicui peccatum dimiſerit, ille verò de remiſſo peccato nequaquam ſe emendauit, opus eſt, vt in confeſſione illud explicet, dicens, quod illud ſæpè ignouerit ei Deus: nam Dei beneficia non agnoſcere, eiq́ ſe ingratum oſtendere, circunſtantia eſt aggrauans peccatum.

Declaratio quinti Præcepti. §. 15.

QVintum præceptum eſt: *Non occides*. Non intendat Chriſtianus hoc præcepto prohiberi, vt quodcũque viuum non occidatur, aut quodlibet animal: nam clarũ eſt hoc non eſſe peccatum. Nec etiam prohibetur, ne quilibet occidatur homo, cùm euidens, atq; perſpicuum ſit, iudicem non peccare, imò benefacere, quando prauos, ac malos homines, ferendo ſententiam, occiderit. Prohibetur tantum hoc præcepto, ne homines indebitè, ac iniuſtè occidantur, quod Latinè Homicidium nuncupatur. Itaque præcipitur nobis præcepto iſto, ne aliquod corporale malum inferamus, ne fratris noſtri ſanguinem effundamus, ne eum interficiamus, aut contra eum appetamus vindictam, aut procuremus. At notandum eſt duplex eſſe genus mortis, alterum ſpriritu ale, alterum verò corporale. Spirituale eſt, à proximo auferre gratiam, faciens eum peccare mortaliter: corporale eſt, illum corporaliter interficere. Nonnulli, ex quibus eſt Caietanus, aſſerere voluerunt, quòd ſpiritualem auferens vitam, maius admittit peccatum,

catum, quâm hominem corporaliter occidere, præcipuè verò cùm id intenderet quis iuxta principalem intentionem tollendi spiritualem vitam: nam fratrem suum constituit inimicum Dei, ac Deum offendit. Huius ratio est, quia gratia, quæ spiritualis est vita, trahens secum amicitiam Dei, magis valet quàm vita corporis: tollens igitur vitam spiritualem, magis delinquit quàm ille, qui corpus occiderit. At huiusmodi opinio, vt equidem sentio, non est vera: nam etsi verum sit, spiritualem vitam magis valere, quàm corporalem, nihilominus pro dissimili modo, quo corporalis tollitur, maius peccatum est tollere corporalem: nam qui corporaliter interfecerit, damnum attulit irreparabile, adeo quòd non valet amplius vitam restituere; sed vita spiritualis, quæ ob peccatum mortale aufertur, recuperabilis est, cùm ad Deum, qui eam abstulit, reuertetur, vt agit ille, quem pœnitet. Si mors profectò corporalis instaurari posset, vt volumus, nequaquam tam magnum malum foret. Nimis quoque aliud est discrimen notabile: quoniam amittens gratiã, amittit cùm ipse velit, atque consentiat: at ille, qui corporaliter occiditur, nõ vult, neq; assentitur. Vno quidem casu maius peccatum foret, vt euenit in Hispania. Casus est iste: Quidam habebat magnam cum sacerdote inimicitiam, quem expectauit vt diceret Missam: dum igitur ille Communionem erat sumpturus, præ manibus tenens sanctissimum Eucharistię Sacramentum, per brachium captus fuit ab eo, nu-
dum

dum pugionem altera manu tenente, atque dicente, quòd nisi Christum Iesum negaret in illo Sacramento contentum, statim eum interficeret; quod cùm fecisset miser ille sacerdos, Christum abnegando, illicò necatus ab eo fuit, vt non solùm corporis vitam perderet, sed etiam animæ. Hoc itaque maius peccatum esset: nam moraliter loquendo, damnum infertur animę, quod instaurari nunquam poterit.

Peccata, quæ committuntur contra hoc præceptum. § 16.

CIrca mortem spiritualem potest quis peccare, persuadendo alteri ad peccandum, aut inducendo, consulendo, aut opitulando ad peccatum peragendum. In hoc est considerandum peccatum, quod persuadetur, vel per quod præstatur fauor : nam si mortale est, mortaliter delinquet; si autem fuerit veniale, delinquet venialiter. Est etiam peccatum contra præceptum istud, si occasio præbetur peccandi, quod est peccatum scandali. Scandalum est, opus efficere, quod malum esse videtur, atque apparentiam habet mali, ex qua præbetur alteri occasio peccandi, aut idipsum faciendi. Quod peccatum inuenitur pręcipuè inter Prælatos, atque superiores, respectu suorum subditorum, ac inferiorum. Duplici modo hoc peccatum admittitur, aut ex proposito, vt alter peccet: & hoc modo peccatum est mortale, nisi intentio esset, vt venialiter peccaret: nam tunc non esset nisi veniale peccatum. Committitur quoque peccatum hoc accesso-

accessoriè, neque intentione, vt alius peccaret, veluti si quis aliquid ageret, quod speciem habet mali, vt carnem edere die Veneris, quãuis quodam modo indigeret, de quo persona aliqua vilis, & rudis scandalum sumeret: tali casu opus est vt admoneatur illa, se obtenta venia, ac necessitate existente comedere: si verò nihilominus ex debilitate, aut ob ignorantiam à scandalo non cessaret, quod sumpsit, debet id agere, quod Paulus ait, 1. Corinth. 8. *Non manducauero carnem in æuum, ne scandalizetur frater meus*. Dominus autẽ dixit in Euangelio: *Videte ne contemnatis vnum de pusillis istis*. Ideo peccatum erit mortale, non præmeditari scãdalum, quod à pusillis istis, ac infirmis sumi potest. Committitur hoc peccatum scandali alio modo, quando verè peccatum admittitur, vt publicum adulterium, quo malum alteri præbetur exemplum, quamuis adulterium non prætendatur. Hoc peccatum fit grauius, cùm sit publicum. Ita etiam contra hoc præceptum peccat, qui videns fratrem suum mortali peccato irretitum, non eum monet, & corripit, cùm videat eum mori, nec ille ab ipsa morte resurgit. Hoc præceptum admonitionis, atque correctionis fraternæ importantissimum est, sed nimis omissum à Christianis religiosis, atque concionatoribus: nam cùm mundus tot malis, ac peccatis repleatur, non est qui ea libenter corrigere audeat, nisi cum timore, atque vecordia. Omnes placere populo iam intendunt, prædicantes illis ea, quæ auribus grata sunt, nec verum dicere audent,

dent,

dent, eorum vitia reprehendentes, & sic graue peccatum admittunt, ac in pœnam incurrunt, quam Deus per Ezechielem minatur: *Si non dixeris impio impietatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram*: cùm magis temporale lucrum excogitent, quàm animas adipisci. Tã-taqúe est huius præcepti ac obligationis obliuio, quòd crebrò Deus bonis flagella infligit, castigans eos, ac si mali, atque praui homines essent, quia non correxerunt, atque monuerunt proximos de peccatis, ac delictis, quę admittebant: ita Augustinus de ciuitate Dei c. 9. asseuerat. Forma, quæ in correctione fraterna est obseruanda, est in Euangelio Matth. 18. *Primò*, debemus corripere, atque admonere proximum inter nos, & ipsum secretè, atque illum de peccato cum charitate corripere, rogareq́ eum debemus pro amore Christi, vt suam emendare vitam velit, ac Deo se reconciliare. *Secundò*, si per huiusmodi secretam monitionem nequaquam se emendare voluerit, tenemur eum monere de periculo, in quo versatur, coram vno, ac duobus testibus, qui sint viri probi, atque secreti, ac condolere, & compati sciant de necessitate, quam ille patitur, admonens eum, quòd nisi huiusmodi admonitione non se emendauerit, certiorem de hoc fecerit Prælatum, aut iudicem, vt ouem suam regat, & pascat. Si quidem hac adhibita diligentia videbitur emendatio, silendũ erit, si verò non, tenentur hoc dicere Ecclesiæ Prę-lato non tanquam iudici, sed tanquam patri, nuntians ei quicquid in ordine fraternæ correctionis adhibitum fuerit, qui tunc pa-

ternis visceribus opportuna exhibuerit remedia, vt magis expedire visum fuerit. Hîc cessauerit processus fraternæ correctionis, nec vltra progrediendum erit. Quatuor sunt considerandę sententiæ, vt hoc præceptum perficiatur, atque seruetur. *Prima* est fraternæ correctionis definitio, quæ est charitatiua quædã secreta monitio, vno, aut duobus testibus adhibitis, vt proximũ à peccato, quo irretitus est, possit eripere. *Secũda* sentẽtia, vnusqsque, aut Christianus sit, aut nõ, ad hoc pręceptũ fraternę correctionis videtur obnoxius, cũ naturalis legis præceptũ sit, quę ad omnes homines extenditur. *Tertia* sententia, vt hoc præceptum constringat ac obliget, quatuor sunt necessaria. *Primum*, vt pro comperto habeamus, fratrem nostrum in aliquod mortale peccatum fuisse prolapsum, aut veniale periculosum, oportet vt nos certiores de hoc facti simus: nam si quis dubitat, an ille peccatum admiserit, nequaquam eum admonere tenetur: nam sine causa affici videretur iniuria. Dixi etiam, quòd de peccato mortali fieri debet correctio, aut de periculoso veniali, cùm aliqua sint peccata, quæ licet venialia sint, nihilominus sunt quædam via, ac ingressus ad peccandum mortaliter: vt si aliquis alium ingredientem videret in domum alicuius suspecti viri, aut suspectæ mulieris, ad loquendum cum eis, ex quo mortale peccatum, aut scandalum poterit exoriri, in tali casu teneor ego de periculo eum admonere, in quo ille versatur: de alijs autem peccatis venialibus,
vt si

vt ſi nimis loquitur, ſi aliqua dixerit menda-ciuncula, admonere nequaquam debeo. *Requiritur etiam*, vt correctionis fraternæ ſit obligatio, vt ego ſperem emendandum fore fratrem meum ex correctione illa: nam ſi emendatio non ſperatur, non teneor, cùm Deus ad inutilia, aut nullius emolumenti me non aſtringat: ſicq; eum peiorem euaſurum non ignorauero, neque obnoxius ero: nam Deus neminem obligat ad agendum id quod detrimentum atque perniciem fratri ſuo ſit allaturum. Hinc aduertendum eſt, viros probos, ac timentes Deum ſolitos eſſe hanc afferre excuſationem, non admonendi fratres ſuos, quippe quia videtur eis non ſperare emendationem illorum, in quo ſe longè decipiunt, iniuria ſuum fratrem afficientes, tantumq́ue malum de illo excogitantes, quòd non ſit emendandus, licet remedia à Deo inſtituta ad eius animam curandam exhibeantur. Eſt profectò remedium efficax, proceſſus fraternæ correctionis: nam proſpiciens Chriſtianus, nequaquam ſe fratrem emendaturum, ſecreta cùm fuerit adhibita monitio, tunc certiorem de hoc Pręlatum faciet, & cùm ſaltem ille ſe exterius emendauerit, non amore virtutis, ſed contumeliæ, atque animaduerſionis formidine. *Tertiò* requiritur, vt pręceptum fraternæ correctionis nos obliget, quòd non ſit alius, qui ilicò valeat admonere: nam ſi alius eſt, non teneor ego, veluti ſi aliqui peccāti fratri intereſſent, cùm non ignorem illos eſſe admonituros, aut admonuiſſe, ſed cùm hoc

defuerit, quamuis ego minoris sim auctoritatis, corripere eum debeo. Quemadmodum si aliquem indigentem videro, sciens alios opem ei statim allaturos, aut attulisse, non teneor ego eleemosynam ei elargiri, secus autem me præceptum obligaret. *Quartò* necesse est, vt corripere, atque monere valeam absque mea iactura, aut vitæ, aut honoris, aut bonorum, vt si scirem, quòd si fratrem meum admoneo, interfectus ero, non teneor: at si frater ille in extrema est spirituali necessitate, velut si hæretici circa fidem eum decepissent: tali casu, quamuis sit non absque propriæ vitæ periculo, teneor ab huiusmodi necessitate illum eripere, vt veritatem agnoscat. Hoc in particulari Prelatos magis obligat, quoniam etsi extremæ non sint necessitates, quas eorum subditi patiuntur, aliquando tenentur eos monere, ac efficere, quamuis cum periculo vitæ, vt peccata deserant. *Quarta* sententia est, quòd obseruari debeat modus ipsius correctionis iuxta tenorem sacri Euangelij, vt superius iam fuit assertum. Pro quo notandum est, quòd si publicum est peccatum, non est necessaria fraterna correctio: nam finis correctionis est, vt mei fratris emendatio fiat minori damno possibili, absque eius cõtumelia: ergo si publicum peccatum fuerit, non indiget fraterna correctione, imò necesse est, vt publica sit ipsa admonitio, atque correctio. Idem est, cùm peccatum in præiudicium erit Reipublicæ, vt peccatum est heresis, contra Ecclesiam Dei, proditionis contra Regem, aut
contra

contra Rempublicam, vel contra inclytum Venetiarum dominatum, Christianissimo regimine moderatum, ac rectum, vel contra his similia: nam si secretò talis hęreticus, aut proditor sciretur, in istis casibus est superiori denunciandus, nulla correctione fraterna pręcedente, vt cum breuitate, ac facilitate ilicò communi bono remedium adhibeatur, quod semper cuiuscunque particulari bono est præferendum. Quamuis Diuus Thomas asseueret, quòd si magnæ auctoritatis vir clarè certequé prospiceret hæreticum se emendaturum eius correctione, atque monitione, teneretur eum prius fraternè corripere, quàm superiori enũtiare. Sed nunquam istud euenit, vnde sanctissimi Inquisitores iusserunt, quòd quilibet sciens aliquem hæreticum, quamuis iuxta suam sententiam dignoscat emendabilem illum fore, si de hoc præmonitus esset, nihilominus statim debeat sanctæ Inquisitionis officio nunciare. Rationes istius pręcepti nimis legitimæ sunt, atque iustificatę, cùm humanæ leges oculos nõ intendant ad particulares casus, sed ad ordinarios tantùm; & quia ordinariè nunquam isti se emendant, licet se emendare fictè loquantur, imò tunc magis secretè eorum exercent dolos, atque facinora, quod longa dignoscitur experientia: hinc est, quod ipsi volunt, vt nullo casu statim enuntiare, atque accusare desinant. Procul dubio, cùm vir disertus ac sapiens hæreticum monuerit, aut proditorem, Rempublicam tradere volentem in manus hostium, debet saltem vereri

semper, an sua monitione ille verè se emendauerit, vel ne, & sic verebitur an ista nocte clam in ciuitatem iniecerit ignem, aut in manus eam tradiderit inimicorum. Ideoqúe, vt tutior sit, rem statim prodere debet, vt opportunum remedium valeat exhiberi. Huic additur, quòd in similibus rebus commune bonum periclitatur, quod particulari est præferendum, ac magis principali potius est succurrendum. Sed non absque magna diligentia aduerti debet, illud dici peccatum esse contra commune bonum, quod directè ad dirimendum est reipublicæ commune bonum, vt in prædictis, aut in alijs similibus casibus. In omnibus alijs seruandus est processus fraternæ correctionis, licet pergraues sint illi. At si peccatum contra tertium fuerit, tunc si admissum fuit illud, aut admittitur, obseruanda forma erit ipsius correctionis: si autem peccatum est faciendum, vt si ego non ignorarem quendam interfecturum inimicum, atque cognosco me remedium adhibere nequaquam posse, dum illum ab huiusmodi patrādo homicidio conabor auertere, tunc Prelato, aut iudici teneor hoc nuntiare, vt ipse tanquam pater prouidere intendat, certiorem faciendo innocentem, vt se ab illo custodiat, aut si innocens ipse hoc agnouerit, ad Prælatum se debet conferre, illiqúe hoc exponere, nec non & dicere poterit, quòd à tali, quicquid gestum est, & quonam modo res se habeat, audierit: tunc prudens Prælatus, non absque discretione, atque pietate, sine alicuius

infamia,

in famia, dũ poterit, tãto malo exhibebit medelam: siqúe sine contumelia illius, qui damnum est illaturus, non poterit remedium adhibere, tunc efficax remedium est operandum: infamia verò, quæ inde sequetur, nocituro est tribuenda, se emendare nolenti. At quando peccatum proprium est, atque damnum, vt si ego non ignoro illum esse concubinarium, inhonestum, aut ebrium, est correctio fraterna super asserto modo facienda. Siqúe cùm ante Prælatum processus producitur, negat reus, atque accusatus, tunc Prælatus tenetur eum monere ad veritatem asserendam, ac tanquam pater debet tendere minas. Si vero, cùm hoc fecerit, noluerit ille confiteri, atque se emendaturum proponere, potest tunc ei pręcipere, vt vera fateatur, quod dicere tenetur: nam in processu fraternæ correctionis iuridicè proceditur: at si toto hoc adhibito negauerit ille, aiunt nonnulli auctores, quòd duobus testibus, ac denuntiatore, qui fraternæ interfuit correctioni, poterit in eum animaduertere tanquam iudex, atque in iudicium seuerę iustitię inde transire, faciens eum in carcerem inijci, atque torqueri. Hoc communiter sic docetur, si quidem rigorosa opinio videretur, neque Euangelio consentanea, dicenti quòd si cùm ad Prælatum peruenerit, non se emendauerit, sit tanquam ethnicus, & publicanus, nec vltra progreditur. Dubitatur, an bonus sit modus iste ad correctionem faciendam, nempe si non ignorauero meum fratrem, quem corripere teneor,
 habere

habere amicum aliquem nescientem peccatum, quo irretitus est frater ille, possim peccatum illud huic dicere, vt secretè de hoc illum admoneat, sciēs, quòd cùm sit eius familiaris, id non negauerit, imò promptiori, ac lubenti animo verum fateretur potius illi, quàm mihi? Negatiuè respondetur, cùm hoc in grauem redundet offensam proximi: præcipuè verò si amicus ille aliqua est præditus auctoritate, apud quē frater meus nullo modo bonum nomen perdere vellet, quod habet: ideo nihil dicendum erit amico, sed penitus obseruandum fraternæ correctionis præceptum. Peccatur etiam contra præceptum hoc, quo ad corporalem mortem, occidendo, mutilando, vulnerando, percutiendo, in carcerem intrudendo, aut quodcunque corporis detrimentum proximo inferendo. Item peccat habens inimicitias, non alloquens fratrem suum, non remittens injuriam, cùm ab eo veniam petit, qui eam intulerit; saltem interius, quamuis exterius iustitiam cōtra eum de illata contumelia possit expetere. At in hoc circa querelam, ac iustitiam petendam coram Iudice, aduertendum est, quòd cùm ex istis ad Confessarium accesserit dicens: ille me tali affecit iniuria, coram Deo iam illam condonaui, nec eum odio prosequor, sed iustitiam quęram, vt impunita peccata non remaneant, tenetur ei dicere Confessarius, quòd licet hæc ritè dixerit ore; nihilominus cor suum rectè discutiat, cùm regula sit ordinaria, semper inesse cordi odium, ac vltionis desiderium,

derium, non rectè ab eo cognitum, per quod iam dignoscitur veram non esse condonationem apud Dominum. Itaque eum admoneat, vt querelam deponat, ac eum alloquendo, Christum imitetur, qui inimicis suis ignouit, pro quibus etiam exorauit: aliosque sequatur Sanctos, qui inimicis suis pepercerunt, & quemadmodum superius dictum fuit, nō erit iste absoluendus, donec ex corde suo omnino odium demiserit.

Declaratio sexti Praecepti. §. 17.

SExtum praeceptum est: *Non mœchaberis.* In hoc praecipit nobis Deus, vt mundi simus interius, & exterius, nempe & corde, & corpore: Nam, vt Paulus Apostolus ait, *Templum Dei nos sumus,* & sic decet, ne illud inhonestis, atque immundis rebus polluere debeamus, sed vt incedamus in omnibus, vt membra Christi agni immaculati. Itaque omnem immunditiam fugere, atq; euitare debemus, ob quam homo immūdus atque fœdatus euaserit, & indignus vt in eo habitare, ac moram facere dignaretur Deus. Debemus etiam omnia desideria euitare, atque inhonestas cogitationes, obscœna ac sordida verba, intuitum impudicum, atq; lasciuum, inhonestos tactus, lectionem librorum inhonestorum, atq; impura colloquia, demumq; omne carnale commercium, nisi illud sit coniugale.

Peccata, quae contra hoc praeceptum committuntur. §. 18.

VT hoc praeceptum intelligatur, notādum est, quòd licet in omnibus peccatis contra

præcepta superius assertis poterit quis peccare, cogitationibus, verbis, atque operibus, cõtra hoc tamen præcipuè delinquere potest quo ad cogitationes, si inhonestas res cogitauit, aut appetiuit: quod intelligitur, si cogitatio, aut desiderium fuit cum voluntaria, & plena deliberatione: nam si minimè assentitus fuit, non solùm peccatum non est, sed meritum, cùm validè restitisset; siq; plena non fuit deliberatio, peccatum est veniale. Si de immunda delectatus est, si amatorias habuit cogitationes, aut in excogitãdis rebus obscœnis lętitiam ceperit, quamuis nimis longè ab effectu fuerit ipsa cogitatio, est mortale. Sic etiam quando in aliqua cogitatione quis immoratur, neque ei resistere intendit, imò paruifacit, ac si non esset malum, de quo genere cogitationum vltra progrediẽdo loquemur. Peccatur etiam verbis, dicendo sordida verba, literas scribendo, aut cifras, cantilenas profanas, ac sordidas, atque huiusmodi mittendo nuntios. Peccatur operibus: *Primò*, qui tangit, osculatur, aut inhonestè respicit; de quo generalis habetur regula. Omnes tactus, ac inhonesta oscula, & libidinosa, sunt peccata mortifera: nisi quando inter coniugẽs fierent, & tunc cùm non timetur futura pollutio extra vas naturale: nam tali casu, mortale peccatum esset: & sic foret etiam inter sponsos. At quãdo consummatũ esset opus, peccari potest contra hoc præceptum sex modis. *Primò*, si quis cum muliere nupta rem haberet, quod vocatur adulterium: & quamuis sit

uis sit verum, quòd ille talis amplexus cum nupta iniustus sit, cùm ea mulier nõ esset sua, sed alterius viri; non tamen iniustitia est, quę restitui debeat, nisi esset, vt postea dixerimus, quando ex adulterio aliud damnum sequeretur: nam sunt nonnullæ iniustitiæ non restituendæ, quemadmodum aliquem cõtra suam voluntatẽ baptizare, & ista, de qua loquimur, nunquam inter homines restitui solet. *Secundò*, cùm quis rem habet cum consanguinea intra quartum consanguinitatis gradum, aut affinitatis per modum matrimonij: inter quartum gradum, & inter secundum, si affinitas contracta fuerit per fornicationem: nam alij duo gradus à Concilio Tridẽtino ablati sunt. Peccatum hoc vocatur incestus. *Tertiò*, si quis rem habet cum muliere sacrata, aut homine sacro, & hoc vocatur sacrilegiũ; notandumq; est personam illam teneri explicare, an votũ solemne vouerit castitatis, quoniam si habitũ susceperit, debet id explicitè dicere: nam votum solemne castitatis, quod ipse emisit, semper distinguitur à simplici voto: at si religionis habitum cùm susceperit sacerdos factus est, aut Diaconus, &c. necesse nequaquã erit id explicare. *Quartò*, si quis cum virgine se cõiunxerit, hoc nuncupatur stuprum, sitq; iniustitia. At quonam modo sit restituendum, breuiter dicemus. *Quintò*, si solutus cum soluta rem habet, vocatur simplex fornicatio; estq; peccatum contra legem naturalem, qui ve contrarium dixerit, est hæreticus, & qui hoc audierit tenetur eum accusare apud Inquisi-

tores. *Sextò*, peccatum est contra naturã, quod triplici fit specie. *Prima* est mollities, nempe voluntaria ex seipsa pollutio. *Secunda*, quando quis cum aliquo peccat contra rationem naturalem, quod absit, videlicet vir cum viro, aut fœmina cum fœmina, aut cum brutis. *Tertia*, cùm inter hominem & mulierem non seruatur debitus ordo naturæ, veluti si mulier staret super virũ, & vir sub muliere: quamuis hoc inter virum & vxorem fiat, quam plurimi tamen asserunt esse mortale: nam generatio impeditur. Quomodocumque sit, debet Confessarius id prohibere, multumq́; reprehendere, nulloq́; modo permittere. *Prima* species, quæ mollities dicitur, peccatum est contra naturam, ac pro tali ab Apostolo Paulo habetur inter alia quàm plura grauia peccata. Circa peccatũ istud aduertendum est, quòd si vigilanti euenerit, aut directè erit voluntaria, quemadmodum si quis ex proposito excogitasset seipsum polluere, estq́; peccatum mortale; aut voluntaria est in sua causa, & tunc peccatum erit, si licita causa non fuerit, veluti res cogitare inhonestas, aut malas habere cõsuetudines, &c. & quoniam ordinariè, cùm quis hoc admittit peccatũ, cogitat personam aliquam, tenetur explicitè dicere Cõfessario, cuiusnam illa sit conditionis, & status, an si nupta est, monialis, vidua, aut virgo, cùm maius, aut minus possit esse peccatum. At tamen quando iusta est occasio, vt si quis audiendi gratia confessiones, aut materijs operã nauandi quę de rebus loquuntur venereis, vt eas sci-

ret,

ret, ac sciendo doceret, pollutionem hanc patitur, peccatũ nequaquam foret. Si verò pollutio euenit dormienti, inspicienda est causa: nam si illa euenerit ex re aliqua, quæ peccatũ est mortale, peccatum erit mortale; si autem acciderit non aliqua existente occasione, non erit peccatum. De hoc habenda est regula generalis, nempe si pollutionis causa peccatum est mortale, ipsa quoque mortale peccatum erit; si autem est veniale, erit tantùm veniale, veluti si ex verbis otiosis, quę absque consideratione loquimur, euenerit &c. Vnde notabile hoc pro spiritualibus sequitur, ac pro his qui cum mulieribus conuersantur, nempe, quòd si isti loquentes cum eis sentiunt quasdam corporis titillationes, id est, motiones, præter eorum voluntates, pro mortali nequaquam censendum est, nec tenentur, modò aliud non eueniat mali, talem relinquere consuetudinem. In examinandis pœnitentibus de hoc peccato debet multum aduertere Confessarius, atque prudenter inuestigare quicquid gestum sit; nam multi peccatum hoc non intelligunt, alij verò ob verecũdiam nolunt illud confiteri, ac in pluribus tam naturale fit vitium istud, quod in habitum conuertitur, sentiuntq; postea dolorem nimium, cùm tollere id voluerint. Ideo Confessarius pro pueris, atque puellis vti debet nonnullis peculiaribus interrogationibus, quibus ab eis extorquere fictè valeat veritatẽ, non detegendo, aut docendo peccatum. Quando verò aliquis accesserit, qui in hac parte deliquit, pote-

rit ei ieiunium persuadere, atque vt Mariæ Matris Dei deuotionem sequatur, atq; se disciplinando castiget, atque minutatim confiteatur, vt rosarium recitet, ac alia adhibeat remedia iuxta cuiuscunque statum, atque naturam. De omnibus istis iam præassertis peccatis sequuntur effectus praui, atque difficiles, vt eis possit exhiberi medela. *Primò*, si ex adulterio sequitur infamia, est illa restituenda. *Secundò*, si ex adulterio illo vxor suscepit filium, quem maritus constituit hæredem, cogitans esse filium suum, cui primogenituram relinquit, in hoc casu nō tenetur mater suum detegere delictum, neque infamare seipsam, duabus de causis vrgentibus. *Prima*, cùm non obligetur remedium adhibere bonorum damno, cum tanto dedecore, atque periculo vitæ suæ. *Secunda* verò, nam & si illa detegeret filio, quonam modo res se habuerit, stultus esset, & insipiens ille, si hoc crederet, nec vllo modo eius verbis fidē adhibere deberet, cùm sit in domo natus patris sui, ac legitimè ab eo fuerit nominatus & institutus hæres. At si filius adeò esset ignarus, quòd crederet aut dubitaret, an ita sit, debet ei persuadere Confessarius, vt minimè credat: quoniam in domo patris est, à quo pro filio habetur, atque tenetur. Si autē crederet, tenetur dicere, eum obnoxium esse ad totam primogenituram restituendam: quia à veris hæredibus & filijs abstulit bona, cùm titulum aliquem non habeat, ob quem illa valeat possidere. Si autē tantùm dubitat de eo, quod dixerat ei mater, nō

tene-

tenetur aliquid restituere, quia melior est cōditio possidentis: mater verò veritatem non ignorans tenetur de bonis cum marito acquisitis, aut peculiaris dotis, alijs damna sarcire pro tertio, aut quinto. Qui autem adulter fuit, obnoxius erit opem ferre filio, dum ex illa eum suscepisse dignoscit. *Tertius effectus*, qui ex peccatis istis proficiscitur, est, quòd si quis clericus haberet filium, non potest ei relinquere bona sua, cùm per leges huius regni inhabilis sit ad hæreditandum, aut qualibet via habendum bona patris sui, cumq; per legatum, aut testamentum habuerit, non potest ea possidere, sed statim redditurus est legitimis hæredibus sui patris. Poterit id rectè facere clericus ille, nempe dare sua bona alicui suo familiari, quem cognoscat auxiliaturum ex illis filio suo, ad aliquid eum non obligādo, sed libenter ea dare debet, vt ex eis quicquid ille voluerit, facere valeat. *Quartò* sequitur, quòd si quis rem habet cum virgine, illamq; deflorauerit, in hoc casu, si non consensit illa, omnes sentire videntur, teneri illum ad restituendū ei honorem, aut ad ducendam eam in vxorē, vel opem ferendam, vt collocari possit in matrimonium, non absque magno honore, vt totum instauretur damnum ab ipso ablatum: si autem illa consensum præbuit, nonnulli asseuerant eum non obligari ad aliquid restituendum: nam volenti, & consentienti nulla fit iniuria. At hoc falsum est, & contrarium probat ipsa cōsuetudo, eo magis cùm iuuenis illa nequaquam domina sit integritatis suæ,

sicut

sicut nec suorum membrorũ: & quemadmodum si brachium eius abscinderet, quamuis illa vellet, teneretur ille ad restitutionem, ita in vtroque casu eadem est obligatio. *Quartò* peccatur contra præceptum istud omissione, vt si maritus, aut vxor sibi inuicem debitum reddere nequaquam vellent.

Declaratio septimi Præcepti. §. 19.

SEptimum præceptum diuinæ legis est: *Non furaberis.* Vbi imperat nobis Dominus, ne in bonis damnũ proximo nostro inferamus, iniustè ea auferendo. Quamobrem sciendum est, furtum, iuxta communem significatione, tunc esse, cùm aliena bona tolluntur inuito domino. At in præcepto isto non tantùm nobis prohibetur, ne sic aliena surripiamus, ac vt huiusmodi genus furti vitemus, sed quodcunque damnum, quod contra proximum in suis bonis inferri poterit: num prohibetur, ne sinamus amitti bona fratris nostri, ne eum in rebus, atque negotijs, quæ insimul agimus, decipiamus, vt in emptione, ac venditione, ne vendantur, aut emantur merces maiori pretio, quo valent. Prohibetur etiã omne genus violentiæ, simoniæ, ac contractus iniusti. Precipitur etiam, vt proximo nostro in eius necessitatibus opitulemur, pecuniã absque vsura ei mutuantes, aut aliquo interesse, vtq; elaboremus pro victu acquirendo, ac vt pacificè, ac omni quietudine panem comedamus, vt otium nequaquam nos ad furandum inducat. Præcipitur quoque, ne mercedem his retineamus, qui nobis seruiũt, nec decimas, aut

tributa

tributa superioribus, tam tēporalibus, quàm spiritualibus, quæ solui debent. Prohibetur demum in hoc præcepto magnum auaritiæ vitiū. Ex hoc præcepto clarè colligitur æquitas, atq; suauitas præceptorū Dei, & quemadmodum, si homines viuerent iuxta regulā diuinæ legis, procul dubio totam degerent vitam summa cum pace, summaq; tranquillitate. Si alter alteri damnum non inferret in bonis, si alter alterius nuptam habere non intenderet, nec honorem lædere, nec vitam eripere, non secus ac præcipit lex diuina, quàm læta, quàm iucunda, quāve amabilis, concors, atque pacifica foret hominum cōuersatio, ex quot, quantisqúe miserijs, dolis, angustijs, atque calamitatibus liberum esset genus humanum? quæ omnia nunc alter contra alterum scrutando iam quærit. Inspiciamus igitur, præceptis suis Deum nostrum, benignumqúe rectorem non aliud intendere, quàm perennem lætitiam nostram, prosperitatem, & pacem, vtqúe in hac vita in pace, in tranquillitate, in amicitia vera, & non ficta viuamus.

Peccata, quæ contra hoc præceptum admittuntur. §. 20.

RECtè, clareq; conspicitur delinquere hominem, cùm aliena bona furatur, quando per vim abstulerit ea, quod destruit rem fratris sui, quando quod ei debet denegauerit, quando seruis mercedem non soluerit, quando merces mensuris falsis vēdiderit, sicq; peccata ista non indigent declaratione, cùm illa perspicua, atq; clara esse videantur. Aliud genus

nus furti subtilius inuenitur, & illud est, quod in negotijs fit, atque cõtractibus, in quibus subtiliter atque dolosè aliena bona furantur. Exercentes autem huiusmodi artes, non vocantur latrones, sed negotiatores, victum lucrari scientes, quorum fraudes, atque malitiæ sunt detegendæ. Inter quos simoniaci contractus primum habent locum: vtque eorũ doli, ac remedia intelligãtur, quæ adhibenda sunt eorum conscientijs, sciendum est, simoniam deliberatam esse quandam volũtatem emendi, ac vendẽdi spiritualia, aut spiritualib' annexa. Oportet vt deliberata sit volũtas: nam si volũtas non est, neque cõsensus, sed tantùm exterius venditur, aut emitur, non erit vera simonia: vti qui adorat idola in exteriori, non est verus idololatra; quique finem negat exterius, non est verus hæreticus, sed fingit se hæreticum esse, aut idololatram, vt non interficiatur. Necesse est quòd emptio, aut venditio sit, vt sit simonia, ob quod intelligitur acceptio, aut susceptio pretij, cuiuscunque rei sit: oportetque vt quod venditur, aut emitur sit spirituale, ac spirituali annexũ, vt hoc vitium committatur. Sed aduertẽdum erit, quòd cùm dicitur, vt sit spirituale, non est intelligendum, vt sit res sine corpore, veluti Angeli sunt, atque animæ, sed spirituale nuncupatur illud, quod à Spiritu sancto gratis tributum est hominibus, ad ædificandam Ecclesiam. Quamobrem non est ignorandum, spiritualia, vt nostro sensu capitur, triplicia esse. Aliqua sunt substantialiter spiritualia, vt gratia Spiritus

ritus sancti, gratiæ à Theologis nuncupatæ gratis datæ, vt donū quo datur sanitas, quove dantur genera linguarum. Alia vocantur spiritualia: nam sunt causa spiritualis gratiæ, vt Sacramenta à Domino instituta Redemptore nostro. In tertia specie sunt spiritualia, quæ sunt effectus rerum spiritualium, veluti sunt opera à spiritualibus donis manantia, vt baptizare, sacrum facere, & ordinare. Vendens cuncta hæc tria rerum spiritualium Simoniacus est: & non tantùm vendere ista est simonia, sed vendens ea, quæ spiritualibus istis annexa fuerint, committit simoniam, nempe illa, quæ seruiunt, atque adiuuant ad spiritualia peragenda, vt Sacristæ officium, ac ianitoris, & huiusmodi. Duplex est simonia: altera iure diuino damnatur, cùm ex se ipsa sit praua, improba, ac detestabilis, vt est vendere gratias Spiritus sancti, ac pro eis pecuniā capere, quod contra omne ius naturale est, atq; diuinū: nam Spiritus sancti gratia nequaquā vendi potest, neque pretio aliquo æstimari. Præterea cùm omnium donorum ac gratiarū sit Deus verus dominus, cuius iussum est, vt dona sua gratis concedantur, cumq; lex naturalis doceat, seruum, atque ministrum accipere non posse pecuniam pro re illa, quā gratis dari præcipit dominus. Et quamuis aliquando ex humana auctoritate aliquid est spirituale, vt calix consecratus, altaris benedictio, ac ornamenta; nihilominus post consecrationem docet lex naturalis, vt ratione consecrationis aliquod nō exigatur pretium,

quemadmodum naturalis lex etiam edocet, ministros Ecclesiæ sustentare, cùm illi in ministerijs spiritualibus ministrandis inseruiant, quamuis sacerdotem esse, ac ministrum consecratum, sit ex Christi institutione, iure positiuo. Altera est simonia, quæ talis dicitur: cùm illa vetita sit tantùm ex humano iure: quoniam ex semetipsa nõ est mala: quæ quidem duplex est.

Prima est vendere officia, quibus annexa sunt spiritualia, vt sunt officia sacristæ, œconomorum, ianitorum, &c. *Altera* est, quæ præsertim à Pio V. sanctæ memoriæ vetita fuit, qui grauiter condemnauit confidentias: nam antiquitus aliquis renuntiabat Canonicatum suum, aut beneficium alicui amico cum confidentia, vt ille postea illud cõferret suo consobrino, aut quòd fructus redderentur ipsi, aut alteri, cui ipse vellet. Hoc totum damnatum iam fuit iustissimis de causis, vt beneficia non hæreditentur, neque cõseruentur tanquam propria patrimonia à malitiosis clericis, viuere volentibus in pompis, atque delitijs, ex Ecclesiasticis beneficijs, qui ve renuntiant eorum beneficiorũ hac confidentia sunt simoniaci, ac in pœnas contra simoniacos latas incurrunt.

Simonia diuiditur in mentalem, atque realem. *Mentalis* est duplex. *Prima*, cùm habuit quis voluntatem vendendi beneficiũ, sed nequaquam fuit sequutus effectus, cùm beneficium collatum non fuerit, neque fuit pecunia numerata: qui licet peccatũ cõmiserit contra

Deum,

Deum, attamen in pœnas contra simoniacos constitutas minimè incurrit, nec ad aliquid restituendum videtur obnoxius, vt qui vult occidere, & non occidit, nō obligatur ad aliud, nisi vt pœnitudinem de peccato concipiat. *Altera* est, quando quis alteri suum dat beneficium, minimè dicendo, vel explicando aliquid exterius; sed est inter eos quædam intelligentia, ex qua conijcitur beneficium non fuisse collatum; ideo obligatur ad restituendum beneficium, ac fructus ex eo perceptos, atque ad alias pœnas, vt infra etiam dicemus. *Realis* simonia triplex est.

Prima, cùm aliquis vendit aliquod spirituale, pecuniam capiens, aut aliquid pecunia æstimabile, veluti qui baptizat, ordinat, aut confert Ecclesiasticū beneficiū ob pecuniam: & tenetur restituere quicquid accepit, estq; excōmunicatus, ac inhabilis redditur ad quodlibet beneficium Ecclesiasticum potiundum, atq; in alias pergraues incidit pœnas, de quibus postea loquemur: præterquam quòd collatio ipsius beneficij fuit inualida, neq; effectū aliquē sortita est, ideòq; ipsius emptor tenetur statim illud in manibus Prælati renuntiare.

Secunda realis est, cùm quis pecuniā soluit pro aliquo beneficio Ecclesiastico, sed quamuis pecuniam soluerit, si beneficium non recepit, nec accipere vult, se deliquisse cognoscens, dicitur simonia imperfecta, quive in eam ceciderit, non incurrit in pœnas contra simoniacos latas.

Tertia est, quando ab aliquo confertur be-

neficium pro pecunia, ſed nondum illa ſoluta fuit: qui huiuſmodi ſimoniam commiſerit, incurrit in pœnas, quas ſimoniæ peccatum meretur: nam huius contractus mercatura, beneficium ſcilicet, eſt iam aſſignata, & tunc videtur eſſe perfecta venditio, quando mercimoniũ conſignatur. Vt cognoſcantur peccata, quæ in hac materia committuntur, conſiderandũ eſt, diuerſa genera rerũ eſſe ſpiritualium. *Aliqua* ſunt pura ſpiritualia, vt dona Spiritus ſancti, atque gratiæ gratis datæ, virtutes, & his ſimilia. *Alia* ſunt non pura ſpiritualia, ſed miſta, ac annexa rebus corporalibus; ſed principale, quod in eo inuenitur, eſt ſpirituale, vt Sacramenta, beneficia, Chriſma. *Alia* ſunt ſpiritualia annexa corporalibus; ſed principale eſt corporale, vt calices, cruces, & ornamenta. Iacto hoc fundamento, ait Caietanus, quòd vendere pura ſpiritualia, aut ea, quæ annexa ſunt corporalibus, ratione ſpiritualitatis, licet minimũ illud ſit, eſt ſimonia: quia iam venditur ſpirituale. *Secundò* dicit, quòd ea, in quibus ſpirituale eſt magis principale, non poſſunt vendi: nam tunc intelligitur, quòd venditur pro ſpirituali. *Tertiò* dicit, quòd illa, in quibus corporale videtur magis ſpirituale, vt ſunt calices, & cruces, bene vendi poterunt, tali conditione, vt nõ magis vẽdantur, ratione ſpiritualitatis. At notandum eſt hic, quòd pecuniam capere pro labore, qui inſeparabiliter annexus eſt ſpiritualibus, eſt ſimonia: veluti ſi quis pecuniam acciperet pro labore ſumpto in dicenda Miſſa,

aut

aut baptizando: verum eſt, quòd pecunia poterit accipi nõ pro pretio ſui laboris, ſed pro ſuſtentatione ſua, cùm iuſtum ſit, quòd adminiſtrans ſpiritualia in vita corporali ſuſtentetur. Circa hoc poterit dubitari, an quis paciſci poſſit, vt tantum pecuniæ ſibi detur pro labore ac itinere, quod facturus eſt ad dicendam Miſſam, vel ad ordinationes faciendas, aut ad prædicandum tota Quadrageſima eo in loco, à quo ipſe ſpatio magno diſtat? Affirmatiuè reſpondetur: nam huiuſmodi labor extraordinarius eſt, nõ autem intrinſecus tali miniſterio. Simonia autem foret, cùm pecunia caperetur pro labore neceſſariè annexo ſpirituali miniſterio. Quamuis in iſtis caſibus tutius, meliusq́; videtur, pecuniam non accipere pro labore ſumpto, ſed ratione ſuſtentandæ vitæ: nam ſuſcipiẽs clericus maiorem laborem, iuſta de cauſa maius quærit & præmium ad ſe ſuſtentandum. Quæritur præterea, an ſancta & iuſta ſit lex, quæ ordinaria in Hiſpania ab Epiſcopis fertur, vt nullus clericus minus capiat quàm nummum vnum argenteum cum dimidio, aut duos pro qualibet Miſſa dicenda? Ad hoc reſpõdetur, quàm plurimos diſertos viros ſentire leges iſtas nõ eſſe bonas: nam Epiſcopus obligare nequaquam debet clericum, vt ſi vellet, non poſſet Miſſam dicere pro amore Dei, cùm ſpirituale ſit hoc, quod vt gratis detur præcipit Deus: & verè etiam in temporalibus lex illa foret iniuſta, vt ſi præciperet Princeps, vt nemo frumentum venderet minus quàm duobus du-

catis pro quolibet modio. Hæc sunt peccata, quæ in vendēdis spiritualibus committi possūnt; pœnæ autem, in quas incurrunt admittentes peccatum hoc, sunt istæ: Excommunicatio, Inhabilitas ad beneficium obtinēdum, & Nullitas collationis beneficij, si per simoniam fuit illud collatum, necessitasq́ totum restituendi, & qui talia beneficia obtinuerūt, non faciant fructus suos, imò obligantur ad beneficia relinquenda cum fructibus malè perceptis: qui verò consuluerunt, opitulati sunt, atque iuuârunt, sunt ex eodem facinore excommunicati: & quicunque, aut in exhibendis, aut suscipiendis Ordinibus, simoniam admiserit, suspensus remanet ab Ordinibus per simoniam susceptis.

De remedijs, quibus debet vti Confessarius, cùm Pœnitens in peccatum Simoniæ prolapsus fuerit. §. 21.

HVcusque disseruimus de peccatis Simoniæ; nunc verò non ignoranda erunt remedia, quæ fuerint pœnitentibus exhibenda ad Confessarium accedentibus cum tãto peccato, tantoq́ facinore: propterea dico, quòd si prorsus mentalis fuit simonia à pœnitente commissa, ac soli interiori desiderio beneficium vendendi, sed venditio sequuta non fuit, tali casu debet Confessarius nimis exaggerare peccatum, non secus ac tenetur, eiq́ magnā imponere pœnitentiam; sed eum in pœnas contra simoniacos latas non incurrisse dicat, neque ad aliud restituendum esse obnoxium. At si mentalem commiserit simoniam, cùm bene-

beneficium contulerit, aut acceperit, intentione dandi, aut recipiendi pro illo pecuniam, neutro eorum aliquid explicãte, sed inter eos intelligentia quadam mediante, quòd gratis nequaquam id agebatur; sunt in hoc duæ opiniones, *altera* quòd in pœnam non incidit simoniaci, neque obligatur aliquid restituere, vt in casu superius asserto, quod definitũ esse videtur capitulo finali de Simonia. Opinio ista probabilis est, atque sequenda. *Altera* opinio tutior, ac certior est, nempe illum obnoxium esse ad restituendam pecuniam ratione beneficij acceptam: nam pretiũ illius rei percepit, quam gratis dare tenebatur. Ergo nullo titulo poterit beneficium illud retinere, & procul dubio committens mentalem vsurã, obligatus est restituere illud plus, quod ipse mutuauit; sic etiam qui mentalem simoniam commisit, tenetur ad idem, cùm vtrique præcipiatur, vt absque pretio donent; alteri vt gratis mutuet, alteri verò vt gratis spirituale elargiatur: qui vero huic secundæ adhæserit opinioni, poterit multis respondere modis capitulo finali superius allato. Breuiter est, quòd in illo casu sequitur Pontifex probabilẽ opinionem, sed probabilior cõtraria esse conspicitur. Quando realis est simonia, si cõtractum fecerit simulatum, quia verè interius nequaquam vendere beneficium voluit, sed emptorem decipere, non est simoniacus, nec in simoniaci pœnas incurrit: nam imponuntur pœnæ verè simoniaco, qualis nõ est iste, cùm sibi non fuerit talis illa voluntas, vt qui fictè

idolis sacrificat, aut fit Lutheranus, in pœnas hæreticorum, aut Idololatrarũ minimè incurrit. At si non erit simonia, imò pecuniam pro obtinendo beneficio fuerit elargitus, sed illa nondum soluta fuit, tali casu debet Confessarius ei exaggerare peccatũ, ac persuadere, vt ab illo improbo, ac iniquo contractu desistat, quod perficere ipse voluerit, ac vt pecuniam suam repetat, quam alter ei debet restituere, quoniam antequam à iudice condemnaretur, nequaquam priuatus est illorũ dominio. Si autem contractus ab vtraq; parte verè perfectus est, dando beneficium, ac recipiendo pecuniam, qui huiusmodi contractum fecerunt, in pœnas contra peccatum simoniæ latas incurrunt, & præter hoc recipiens pecuniam ante iudicis condemnationem, debet illã ei restituere, à quo eam accepit, cùm illorum dominio nequaquam priuetur, priusquam cõdemnatus sit, quiq; beneficium accepit, tenetur illud in manu Prælati deponere, non autem restituere illi, à quo suscepit: si verò dixerit, vt reddatur ei beneficium, cùm pecuniam reddere ei vellet, respondere iam poterit eandem non esse rationem, cùm inhabilis sit ille ad beneficium recipiendum, cùm peccatum commiserit simoniæ, ac in manu Prælati illud deposuerit. Ita quoq; iudicandũ erit, cùm alter alteri beneficiũ pro pecunia dederit, non statim eam soluendo, sed illam dilatãdo, dico istorũ vtrunq; incidere in omnes pœnas superius assertas, & qui beneficiũ accepit, tenetur illud renuntiare in manu Prælati.

Remedium, quod isti habent, qui simoniam commiserunt vltimo, ac penultimo modo à nobis iam explicatis, alterum est de duobus. *Primum* de iure communi, quod est remittere pronuntiatas pœnas contra tales, vt remaneant excommunicati, ac inhabiles ad illud, & quodcunque aliud beneficium, atque fructus sui non sunt, qui ex prædicto beneficio percipiuntur. *Secundum* autem remedium est per viam dispensationis, vt simoniacus ille ad Nuntium se conferat summi Pontificis, à quo illius beneficij collationem exposcat in foro conscientiæ, si Nuntius potestatem habet id faciendi, seq; componat cum collectore fructuum malè perceptorum; siq́ue omnino dispensabit, tutus ille erit: si verò Nuntius non habet potestatem, adeat summum Pōtificem, qui si dictam dispensationem ei concesserit, ex eius parte factam penitus relaxationem habebit, remanetq; tutus in conscientia. Interea si viderit Confessarius nequaquam illum immorari ad dispensationem petendam, poterit eum absoluere ab excommunicatione, virtute Bullæ, aut Iubilei, illeq; Missam dicere potest, sed secretè: nam si constaret postmodū in exteriori foro castigandus esset. At si differat dispensationem petere, non est absoluendus, donec obtinuerit eam.

De pensionibus, & permutationibus beneficiorum. §. 22.

CIrca eandem materiam simonię Confessarius ignorare non debet, an pensiones, permutationes, aut confidentiæ beneficiorum li-

citæ sint, & quomodo. Circa pensiones tres regulæ sunt notandæ.

Prima, quòd pensiones cum licentia Papæ sunt licitę.

Secunda, quando fiunt absque præassserta licentia, est simonia: nam consignans, aut recipiens illas disponit, atque tractat de rebus spiritualibus, ac si essent res suę.

Tertia, si in relatione, quæ fit Papæ supra pensionem, occultatur aliquid de rebus tractatis à partibus, aut accipitur antequam fiat dispensatio, est Simonia. Sed de pensionibus istis est dubium inter Doctores, an sint res tẽporales? Ad quod respondetur, ordinariè res esse temporales, cùm vendantur, ac emantur quotidie, vt in practica fieri videtur. Et si queritur, quonam modo pro beneficijs permutantur, cùm sit res temporalis? Huiusmodi quęstio perdifficilis est, & pro nunc satisfacere mihi videtur solutio illa Adriani Summi Pontificis dicentis, quòd hoc non est vt spirituale pro temporali commutetur, sed vt personæ, ac loca mutentur. Itaque summus Pontifex nil aliud facit, nisi quòd ille, qui prius beneficiatus erat, deinceps pensionem in Ecclesia habeat, & qui pensionem habebat, sit beneficiatus. De permutationibus ipsæmet sunt regulæ. At aduertendum est, quòd cùm beneficij fiat permutatio, aut Canonicatus inter duos, si in temporalibus redditibus non videtur æqualitas, licet ęquare cum temporali: si verò ęqualitas fuerit in temporali, non autem in spirituali, nõ licet soluere pecunia,

quod

quod ſuperat de ſpirituali, ſed hoc ſuo exemplo clarius intelligetur. Decanus cuiuſdam Eccleſię, cuius beneficium reddit duo, aut tria millia aureorum, vult permutare cum quodã beneficio, quod tanti non valet, poteſt æquare quod deeſt, nempe vt ſibi tot prouentus dētur, quot ſuus habet Decanatus: ſi verò in prouentibus æqualia ſunt beneficia, non poterit aliquid expeti ratione Decanatus, cùm illius dignitas maior eſſe videatur. Siqúe pro eo, quod ſuperat, aliquid caperetur, eſſet ſimonia, ac obnoxius eſſet ad reſtituendum quod ratione huius tituli acceperit, vt ſi ei diceret: debes mihi trecentos aureos, præter illud quod habui, manifeſta eſt ſimonia. Circa confidentias notandum eſt, quòd de iure communi primùm validę erant, ſed ablatæ, & nō abſque cauſa, fuerunt à Pio Quinto ſanctę memoriæ, cùm pro contractibus ſimoniacis declarentur. Vnde quo ad beneficiorum confidentiam ipſæmet regulæ, ac leges ſunt obſeruandæ, quæ de ſimonia prę aſſertæ fuêre.

De Vſuris, déque contractibus vſurariorum. §. 23.

VT fraudes, quæ in vſuræ contractibus cōmittuntur, poſſint intelligi, notãdum eſt, vſuram eſſe lucrum ratione mutui alicuius rei, magnamq́ iniuſtitiam eſſe conſpicitur: nam mutuans centum, plus non dat quàm centum: ergo mutuans conditione mediante, vt vltra centum illos reſtituantur ei decem, iniuſtitia eſt: nam illos decem, quos præter ſortem principalem acceperit, ſine aliquo titulo accipit; ſiqúe pro vſu pecuniæ, quam ei mu-

ei mutuando dedit, dixerit se illos decem accipere, sciat hunc non esse titulum iustificatum, cùm ille, qui alteri pecuniam mutuat, ipsius pecuniæ præstat dominium, vt eam impendere possit, illaqúe, vt voluerit, vti valeat, & ad hunc finem illius vsum dedit, & sic interesse non potest exposcere, neque lucrum pro vsu illo: nam in his rebus nequaquam dominium ab vsu distinguitur, & sic quemadmodũ iniustitia esset, aliquem vendere pro certo pretio panem, & petere pretium distinctum pro vsu panis edendi, aut vendendi; ita grandis nimis iniustitia est, petere vsuram pro vsu denarij, præter pretium, quod denarius ille meretur, cùm dicant Theologi, quòd petens vsuras, bis pecuniam vendit.

Prima est, cùm quis centum pro centum expostulat.

Secunda, cùm petit alios decem plus, pro vsu pecuniæ.

Ab istis definitionibus colligitur, quòd vt sit vera vsura, duæ conditiones necessariæ requiruntur.

Prima, vt res mutuata sit pecunia, aut pecunia appretiabilis.

Secunda, vt quod accipit, non sit suum ob alium titulum, sed accipiat solùm, cùm ille mutuauerit. His autem duabus cõditionibus perspectis, clari videntur nonnulli casus huius materiæ.

Primus, si mutuat aliquis, vt ille, cui mutuatur, sit eius amicus, non est vsura: nam amicitia non est pecunia æstimabilis.

Secun-

Secundus, ſi quis alicui mutuauerit conditione, vt ei ſoluat quod debet, non eſt vſura, cùm aliquid non lucretur, ſed tantùm ſuum recuperet.

Tertius, ſi aliquis mutuat, vt ſe ærumnis liberet, aut vt malis non infeſtetur, non eſt vſura: nam lucrum non adipiſcitur, neque aliud emolumentum, ſed ſolum ius ſuum poſſidet, ac ſtudet, vt nemo ei iniuriam inferat.

Quartus, ſi quis mutuat, & vt mutuaret, damnum aliquod patitur, aut aliquam facit iacturam, vnde petit, vt damnum illud ſibi reficiatur, quod euenit propter mutuum, non eſt vſura: vt ſi aliquis mutuaret alicui ſuo familiari, eumq; à neceſſitate eriperet, accipit ad vſuram, aut cambium, aut vendit ſua bona minoris pretij quo valebat, ſi petit, vt ſibi quid inſtauretur pro damnis iſtis, non eſt vſura, cùm non accipiat pro mutuo lucrum, ſed tantùm ex damno ſe liberat, quod paſſus eſt propter mutuum, quod vocatur à Theologis damnum emergens.

Quintus caſus eſt, mutuans pecuniam paratam ad negotiandum, ac ad victum lucrandum cuidam familiari, vt neceſſitatibus eius ſubueniat, ſi præter pecuniam petit, vt reſtauretur in eo, quod iuſtè lucrari omittit, non eſt vſura: nam lucrum non expoſtulat, cùm mutuauerit, ſed tantùm quia eius amicus à iuſto lucro eum impediuit.

Sextus, ſi quis alteri mutuat obligatione, ac pacto mediante, vt qui mutuum accepit mutuet ipſi poſtea, cùm opus fuerit, eſt vſura: quia

quia huiusmodi obligatio est pretio appretiabilis.

Septimus, si quis mutuat alteri, conditione vt vadat ad molendinum suum ad molendum, aut ad emendum in sua taberna iusto pretio, est vsura: nam huiusmodi obligatio non molendi in alio molendino, aut non emendi in alia taberna, pretio emitur.

Octauus, si quis alicui domino temporali mutuat conditione, & pacto, vt iudicis administrationem ei concedat, aut quodlibet aliud officium temporale, est vsura: cùm illa talis concessio sit vendibilis, ac pretio æstimabilis.

Nonus, mutuans alicui Principi, aut alicui Reipublicæ tali conditione, vt donec mutuatũ ei non restituat, non soluat ille tributa, est vsura: nã ab illa mutuatione lucrũ adipiscitur, nẽpe immunitatẽ tributi, quę nimis valet.

Decimus, mutuans alteri centum hac conditione, vt ab ipso emat actionem quandam super rem inutilem, aut difficilem ad exigendum, aut hæreditatem aliquam sterilem, aut aliud simile, est vsura: quoniam à mutuatione illa magnum detrimentum percipit emptor, lucrum verò consequitur venditor, cùm tuta, ac secura faciat bona sua, quæ inutilia, ac nullius erant valoris.

Vndecimus, qui alteri mutuat, petens ab eo pignus, conditione ista, vt det ei tres aureos pro centũ, præter illud, quod mutuat, nõ pro mutuo, sed quia circa pignora curam habet, committit vsuram: nam hic verè non mutu-

aret,

aret, ſi per mutuum non aliquid lucraretur, mentem improbam ſuam tegendo, dicens ſe illud pro cuſtodia pignorum accipere.

Duodecimus, ſi quis alteri mare tranſeunti mutuat mille aureos, mediante conditione, vt contractum faciat aſſecurationis cum eodem mutuante, ſoluens tres, aut quatuor pro centum, præter id, quod mutuat per contractum aſſecurationis, eſt vſura: nam licet id fiat ſub velamine contractus aſſecurationis, ipſe proculdubio lucratur cùm mutuauerit. Sed aduertat Confeſſarius, mercatores huius temporis quandam excuſationem afferre, qua putant quòd eorum contractus vſurarij excuſare poſſint, dicuntq́; percipere ſex, aut octo pro centum, præter id, quod mutuant: nam ſi apud eos eſſet pecunia, quam mutuant, lucrarentur cum illa, atque principalem ſortem augerẽt; vnde, vt inſtaurare valeãt lucrũ hoc, quod facere nõ poſſunt, quia mutuàrunt, ſex, aut octo pro centũ expoſcũt, non autem pro illo mutuo. Huiuſmodi non eſt admittenda excuſatio, cùm quia eis remanet alia pecunia, qua lucrari poſſunt; tum etiam, cùm forſitan pecuniam iſtam, quam mutuant, ad merces nequaquam expoſuiſſent: nam ad ſe, aut ad ſuam familiam ſuſtentandam forſan eam impendiſſent. Præterea non ſemper lucrum paratum eſt, atque contractus, vt ipſi putant, eo magis quòd negotiatores iſti nunquam pecuniam mutuarẽt, niſi vt ea lucrarentur, & cùm tam certum lucrum in alio non habeant, mutuant ad intereſſe pecuniam. Verum eſt quòd

ſi mer-

si mercator haberet pecuniam, quam statim in re aliqua exponeret, in qua iuxta expertorum hominum sententiam lucratus esset, & illam alter quæreret, vt sibi mutuaretur, & sic eam amico mutuando minimè in illo mercimonio lucraretur, quod erat empturus, non esset vsura, si hoc peteret interesse, vt antea diximus. At quod nunc nos edocuimus, est, huiusmodi excusationem haud in mercatoribus ordinariè esse admittendam. Diuiditur vsura in mentalem, & in exteriorem. *Mentalis* est duplex: aut cùm verè quis mutuat, & propter mutuum plus recipit, sed nequaquam illud expostulat, nec exterius explicat se velle percipere, cùm ille mutuauerit: aut cùm intendit atque proponit se lucrum percepturũ, sed illud non consequitur. *Vsura exterior* etiam duplici modo committitur, aut clarè, aut distinctè: vt si quis diceret, ego centum tibi mutuauero, vt mihi restituas centum & decem. Alia est, quę palliata à Doctoribus nuncupatur, nempe cùm illa tegitur sub nomine alterius contractus, veluti si aliquis, vt dilata pecunia venderet, in vendendis bonis maius pretium poneret, quàm valerent. In isto casu, ac in alijs huiusmodi, est vsura palliata, vt infra non longè monstrabimus. Circa manifestam vsuram necesse non est tempus conterere, cùm ex semetipsa malitiam suam, ac iniustitiam indicet.

At circa palliatam opus est nimis expertum esse Confessarium, vt eam dignoscere valeat. Ideo ista sit *prima* generalis regula.

Vendens plus dilatando pecuniã, quàm numerando pecuniam, vsuram palliatam admittit, & hoc clarè perspicitur : nam si valet frumentum numerata pecunia octo argenteis ad plus, & mihi dilata pecunia illud vendiderit duodecim, id ipsum foret, ac si tunc soluerem illos octo argẽteos; & quia ipse denuò illos mihi mutuat, duodecim petit. Clarum est, quòd si ego statim octo soluerem, ipse verò iterum mihi eos mutuaretur expetẽs quatuor, vltra illos octo, manifesta esset vsura: ergo sub velamine venditionis idem facit, vt iam docet experientia. Hoc ita esse dignoscitur ex alio modo. Nam ille vendens mihi pecunia dilata vnum frumenti modium, quod octo valet argenteis, non dat nisi illud, quod illis octo valet, & quia id mihi dilatando pecuniam vendit, ideo ex illo duodecim exigit, ergo vsuram admittit.

Secunda est regula generalis, qui ob anticipatam solutionem emit minori pretio quàm valet quod emitur, committit palliatam vsuram: velut si quis nunc emeret ab agricola fructus anni venturi minori pretio: in isto cõtractu latet vsura: nam verè ac realiter idem est, vt si mutuaret pecuniam illam vsque ad primum ver, & propter mutuũ percipit fructus, qui multo maiori valent pretio; hoc sub exemplo intelligendum esse puto. Quidam mercator emit à custode ouium & lanæ vellera, & dat anticipatam solutionem, soluens mense Ianuario decem argenteos, vt postmodum illa vellera dentur mense Maio, cùm ordina-

dinariè valere illa soleant, argenteis quatuordecim, dico palliatam vsuram esse in contractu isto: nam si quis nunc daret decem, vt mense Maio restituerentur ei quatuordecim, euidens, ac manifesta videretur vsura. Ergo si dat mercator mense Ianuario decem pro vno vellere lanæ, quod mense Maio, cùm ouium custos dederit illud, quatuordecim valuerit, vsura est palliata, sub titulo venditionis. Verum est, quòd nonnulli docti viri defendunt contractum istum lanarum, ratio autem nostram opinionem confirmans tam euidens est, atque perspicua, quòd cõtractum huiusmodi non condemnare nequaquã possum, eoque magis, quòd si contractus iste iustus esse videtur in lanis, causa non adest, ob quam videri iustus non debeat in alijs magni valoris mercibus, vt sunt merces lanarum. Committitur etiam simulata vsura in hoc casu. Si quis alteri mille aureos mutuaret, ac pro pignore fructiferum peteret prædium, cuius fructus est percepturus, donec ille restituat, est vsura palliata sub velamine pignoris: tunc enim ratione mutui fructus percipit valentes multa pecunia, sicq; tenebitur restituere fructus illos, deductis impensis factis in colendo prædio. Verum est in vno casu tantùm posse percipi fructus ipsius prędij, quod pro pignore datur; nẽpe cùm pater dat generi suo, verbi gratia duo millia aureorum, & donec soluerit dotem, dat pro pignore quoddam prædium, tunc gener percipere poterit fructus, qui ex prædio ipso perueniunt, donec dos so-

luta non fuerit, & potest totã percipere doté. Ratio, ob quã magis hoc in isto casu conceditur, quàm in alio, est: nam in eodem contractu intelligitur patrem dare genero suo fructus illos, vt suam regat domum, vt suę vxori prouideat, ac omnia matrimonij suscipiat onera. Celatur etiam vsura in isto casu, si quis fundum emeret multo minoris pretio, quo valet, conditione quadam mediante, quę nimis iustificata esse videtur. Videlicet, quòd illum retrouendiderit eodẽmet pretio, cùm ipse voluerit, & quòd infra tempus hoc illum ei locauerit pro honesto pretio. Contractus iste videtur in superficie admodum honestus, sed verè in se vsuram continet: nam venditio illa nequaquam venditio fuit, nec pro tali est habita, cùm adeo infimum fuerit pretium, ob quod idem fuit, ac si quinquaginta aureos ei mutuasset, vt in singulos annos quinque redderet. Aliud esset, si ille emeret fundum pretio iusto: nam tunc vera venditio foret, & quemadmodum posset, empto fundo, locare illum alijs agricolis, ita & illi poterit locare, à quo emit illum. Inuenitur quoque vsura in pacto, atque conuentione de retro emendo, videlicet conditione, quã venditor hinc ad certum tempus iterum emat quod vendidit; veluti si quis à Petro prædium emerit hac conditione, vt hinc ad quatuor annos ipse retro emat, & prædium illud postmodum locet, dicens se in singulos annos certam pecuniam ei daturum; est vsura: nam hoc non est aliud, nisi mutuare id,

quod prædium valet, & percipere pretium, ac interesse pro mutuo, & hoc verum est, quamuis emptio facta sit iusto pretio. Inuenitur etiam vsura palliata in eis, qui vocantur vulgo stocchi, aut bazarri, & fit hoc modo. Alter ab altero petit, vt centum ei mutuaret, qui respondet se tantam non habere pecuniam, sed illi daturum pannum ex auro, aut argento contextum tantidem pretij, ex quo centum acciperet, quibus suis prouidebit necessitatibus. Tunc indigens ille putans se non inuenturum alios denarios, recipit pannum pro centum, quem vendere vult, sed quia alius non adest emptor, vendit octuaginta aureis eidem, à quo illum acceperat. Modus iste est vsura: nam idem est, ac si octuaginta aureos ei dedisset, vt postea centum acciperet, & sic lucratur viginti, & pannus remanet domi. Est etiam vsura palliata, nec nimis occulta, si quis alteri locaret boues per duos, aut tres annos, pacto, & conditione, vt quolibet anno certam pecuniam solueret, postea verò boues incolumes redderet; modus iste vsurarius est: nam verè non dat ipse boues, sed dicit se locare boues, quia dat denarios, vt emeret eos, & liberè petit, vt restituat illos, & præterea quolibet anno tantum tribuat at ratione fictæ locationis. Ad istas palliatas vsuras alius contractus redigitur societatum satis ordinarius, quæ fieri consueuerunt. Quemadmodum si quis daret oues agricolę per tres annos, aut quatuor, vt post huius temporis spatium restituere eas debeat indemnes, vt ip-

ille

ille medietatem fructuum interea esset perceptururus, dicitur vsura: nam cùm se colonus ille obligaret ad reddendas oues indemnes, atq; necessarias impensas pro eis faciendas, eadem res foret, ac si ad dandũ principale se obnoxium redderet; atque ad faciendam tutam pecuniam impensam ouibus, & præter hoc ad dãdum dimidium fructuum pro lucro, quod pecunia est æstimabile. Committunt etiam vsuram mercatores, cum Rege conuenientes, seu paciscentes, cùm mille aureos dant, vt Rex ipse reddat eis postea mille, & ducentos, nec ideo excusatione aliqua digni sunt dicentes, Regem reliquum eis dare gratis, cùm ille dicat, hac de causa ducentos illos dare, quia iam dignoscit, quòd illi nequaquam ei mille mutuarent, si lucrum illud non consequerentur. Sed notandum est, quòd si res, quæ capitur ad vsuram, est prædium, aut quid fructiferum, tenetur restituere non tantum illud, quod cepit, sed etiam fructus perceptos deductis expensis. Si verò pecunia erit, tenetur restituere quod extra principale perceperit, non autem quod lucratus est cum eis, cùm illud industriæ ac diligentiæ suę sit tribuendum, pecuniæ verò minimè, quæ ex semetipsa nequaquam fructifera est. Cùm quis ex vsurarijs istis accesserit ad confessionem, debet satagere Confessarius, vt huiusmodi prauas negotiationes relinquat, vtque malè partum restituat; siquę publicus fuerit vsurarius, non est absoluendus, nisi prius restituat, aut restituendi tutam cautionem coram testi-

bus non præstiterit: cautionis modus in capitulo, Quanquam libro sexto de vsuris describitur; si verò secus fecerit Confessarius, est excommunicatus: quive publicum vsurarium in loco sacro sepeliuerit, cùm quicquid superius assertum est, non fecerit, est etiam excommunicatus. Ille vocatur vsurarius publicus, qui publicè ex mutuo lucrum percipit, aut interesse, aut dicitur ille, qui rem plus vendit dilata, quàm numerata pecunia: hoc idem agere debet Confessarius cum hæredibus vsurarij, si ille diem suum obijt vsuras non restituendo. At hoc in loco dubitatur, an qui censum, aut iurisdictionem emerit vsurarij, possit tuta conscientia illum retinere? Respondetur, opus esse, vt homo solerter attendat, ne ab vsurarij aliquid emat, præcipuè autem illud, quod cum vsuris lucratus est; si verò id emerit, & dubitat, an ex vsuris illud lucratum sit, non tenetur restituere: nam cùm dubitatur, melior est conditio possidentis. Dicitur hoc propter eos, qui censum ab alienigenis emerunt, cum Rege tractantibus, de quibus suspicio oritur, nempe lucratos illos esse Regis rationes huiusmodi per vsurarios contractus: ad sedandam nonnullorum conscientiam resolutio huius materiæ hęc est, quòd qui rationes istas emerit, illas non ignorans modo vsurario lucratas esse, non potest eas retinere, imò tenetur restituere: si verò dubium est, an illæ vsurariæ sint, ad restituendum non videtur obnoxius: quamuis verum sit, quòd si in hoc dubio emit, mortaliter peccauit

tuit emendo, cùm se periculo emendi rem alienam obiecerit, licentia domini non obtenta.

De cambijs, atque dolis, qui in eis committuntur. §. 24.

PEccatum etiam admittitur contra hoc septimum preceptum circa cambia illicita. Vt hoc cambiorum genus intelligatur, notádum est quinque cambiorum genera esse. *Primũ* est cambium reale, cùm quis dat pecuniam suam mercatori, vt illi postea tutam reddere debeat Romæ, aut alibi: in cambijs istis aliquid percipi poterit ratione cambij, quamuis magis valeat, aut plus sit, quod hic recipit, quàm illud quod postea daturus est. Verbi gratia: Do mercatori Medinæ centum aureos, vt postea ille Romę det mihi. Mercator, quamuis centum recipiat, vt illos det mihi Romę, dare potest non magis quàm nonaginta, quia tot sunt Hispaniæ centum, quot Romæ nonaginta, cùm pecuniæ sit penuria; & hoc licet, quoniam ęquale est cambium, veluti si quis daret publico tabellario Hispale ciuitate, vbi copia est frumenti, quatuor frumẽti modios, vt duos Salmanticę daret filio suo, poterit publicus ille tabellarius accipere: nã tanti valent duo modij hic, quanti illic quatuor, & sic res est æquiualens. *Secundum* genus est prauorum cambiorum, quæ fictè ac iniustè fiunt, vt si quis à mercatore petit, vt ei centum mutuet, & ipse mutuat, sed conditione ista, vt eos cambiet pro eo quo valent Lugduni in Gallia, aut alio in Regno, vbi pecunia

caro valet pretio. Cambium istud est illici-
tum, cambiumq́; siccum dicitur, quia merca-
tor non est Lugduni aliquid recepturus, ne-
que illic suas habet negotiationes, sed Me-
dine, & sic sub nomine cambij Lugduni cam-
biat propriè Medinæ, & plus accipit, cùm ita
Lugduni res se habeat, & pro mutuo denari-
os percipit, itaque vera vsura est. Ad hoc re-
diguntur cambia, quæ nunc Medinæ fiunt ab
his Deum nequaquam timentibus, fiuntq́ue
hoc modo, quòd Medinæ, aut Mantuæ in Hi-
spania dant, aut vendunt suam pecuniã, nem-
pe centum, ex quo mutuo capiunt octo, aut
sex preter centum, quod vulgo dicitur octo,
aut sex pro centum, hoc non est cambium,
sed detestabilis, atque opprobriosa vsura.
Tertium cambiorum genus fit per literas, cùm
in Hispania quis petit centum, vt dentur ei
Romæ, dans mercator schedulam, ob quam
Romæ statim numerentur. Cambium hoc
licet, potestq́ue Mercator aliquid capere per
cambium istud, non solum si pecunia pluris
valet Romæ, quàm hîc, sed etiam si tantidem
valeret, cùm det pecuniam suam tutam
Romæ, atque tanquam publicus tabellari-
us percipere poterit aliquid per cambium il-
lud. *Quartum* genus cambiorum est, cùm quis
alteram monetam pro altera cambiat, veluti
aurum pro argento, & sic è contra, nempe ar-
gentum pro auro. Hoc cambium licitum est,
cùm aurum pluris valeat, quàm argentum, &
pluribus in rebus poterit eo quis vti, & sic dãs
aurũ, potest ratione permutationis pretium

accipere moderatum, & per illud poterit etiā fieri minutum cambiū, quod est, cùm aliquis minutam dat pecuniā pro magna, aut è contra. *Quintum* genus cambiorum nimis damnosum est, nimisq; vsitatū, videlicet quādo cambium fit numerata pecunia hoc modo. Quidā agricola vendit mercatori quandam suorum bonorum quantitatem centū aureis, qui mercator dat ei schedam, vt ei ab argentario soluantur, postea verò dicit ei argentarius, si vis literas, dabo tibi schedulam ad mercatorem illum, si autem tibi numeratam pecuniā solui volueris, pro cētum octo mihi dederis pro labore, quem sumpsero. Hoc nimis vsitatum est, atque illicitum est cambium, & per consequens vsura est, cùm agricola ille bona sua vendiderit cētum, & ei plus quàm nonaginta duo non dantur: nec bona est ratio, quam affert numularius, quòd accipitur illud pro suo labore: nam istud soluendum non est ab agricola, sed ab eo, cuius est pecunia, cuiusve ipse pecuniam habet: eo magis, cùm numularius aliquid à mercatore nō capiat, imò mercator magnum ei afferat emolumentū, honorem, ac beneficiū, pecuniam suam illi tribuendo: nam dum mercator ille pecunia non eget, numularius negotiatur cum illa, ac diuitias parit. At quæri solet inter mercatores, quale cambium melius sit, quod sequitur, aut quod fit tantum literis, vel hoc, de quo diximus, id est, apertis literis, nempe quod visa schedula statim soluatur? Respondeo, hoc vltimum cambiū licitū esse, in quo aliquid capitur,

pitur, cùm pecunia detur numerata; melius est aliud, cùm totũ illud soluendum sit, quod ei debetur: at quoniam, vt dictum est, quod fit apertis literis, vt nunc vti solet, est illicitũ. Duo hæc cambia paria sunt: nam in duobus ipsis obligatur numularius ad dandam tantam pecuniam. Confessarius cùm isti ad eius pedes accesserint, faciat vt restituãt illud plus, quod acceperunt, quemadmodum de vsuris fuit assertũ. Præterea mea quidem sententia cum nonnullis ex istis tractandum est non secus, ac publici essent Vsurarij.

De venditionibus, ac emptionibus, deq́; iniustitijs, quæ in eis admittuntur. Cap. 26.

CОntra septimum præceptum grauiter peccari potest circa emptiones, atque venditiones: ac vt istud intelligi valeat, sciendũ est, q ad euitandas fraudes inter emptorem & venditorem, obseruanda huiusmodi erit *regula*, quæ Dei est, vt inter ipsos duos seruetur æqualitas: secus enim committitur iniustitia: tunc verò æqualitas obseruatur, cùm emuntur aut venduntur res iusto pretio. Iustum pretium duplici modo consideratur. Legale nunc capitur illud à iure positum, quod in re indiuisibili cõsistit, & præteriri nihil potest. Ad hoc genus pretij redigitur id, quod taxatur à lege, aut à Rege, aut à Republica, vt si taxa frumenti est vndecim argẽteis pro modio, si quid vltra vndecim accipitur, erit iniustitia, ac inæqualitas, eritq́; peccatum iuxta id, quod res ipsa importat: nam si quid modicum acciperetur, peccatum minimè esset, nisi veniale.

Con-

Confeſſarius verò ſatagat, vt reſtituatur quòd vltra principale acceperit, quamuis eum obligaturus ad pœnã non eſt, donec fuerit condemnatus. Cùm fuerit taxa vndecim argenteis, Rex autem, aut Princeps iuſſerit, quòd vendens pluris, quadruplum ſoluat, tũc qui pluris vendit, obligatur ſtatim reſtituere illud plus, quod ceperit, non autem quadruplum, cùm ſit pœna, donec cõdemnatus eſt. Sed aduertendũ erit taxam non eſſe, quòd non poſſit vendi frumentum minori pretio, ſed quòd maiori quàm vndecim non vendatur illius modius, ideoq; vẽdens dilata pecunia modiũ frumenti pretio per taxam impoſito, aut vt ſtatim ſoluatur, cùm adeſt frumenti copia, atque venditur minori pretio ordinariè, committit iniuſtitiam, ac obligatur ad reſtitutionem: tunc enim iuſtum pretium non eſt illud, quod taxatum fuit, ſed quod in nundinis venditur. Pretium naturale, aut prudentiale nuncupatur illud, quod eſt commune, quodve à viris diſcretis, atque prudentibus ponitur: vnde pretium hoc in indiuiſibili non conſiſtit, ſed latum eſt, poteſtq; rigoroſum eſſe, moderatum, & pium, cunctaq; pretia iſta æqua ſunt atq; iuſta. Vt ſi inter homines diceretur, ſummam alicuius mercaturæ valere octo argenteis, paulo pluris, vel minoris, pretium rigoroſum eſſet nouem, moderatum octo, pium ſeptem: & ad dignoſcendũ quid in huiuſmodi materia licitum eſt, aut illicitũ, hæc regula inſpiciatur. Cùm aliquis vendit rem maiori pretio quàm valet, eſt iniuſtitia, eſtq; venditor

obnoxi-

obnoxius ad restituendum illud plus, quod accepit. Vt bene hæc regula cognoscatur, aduertendum est, quòd etsi res non tanti valeat, si tantum valet cui venditur, rectè vendi poterit pro pretio quo ipsi valet, veluti si hortulanus, siue olitor claudum animal habet atque senectute confectum, nimisque vitiosum, sed extrahit aquam de puteo, ac si sanus, & bonus esset, & quis vult illum emere, poterit rectè dicere, mulus iste nimis est vitiosus, & nihil valet, siꝗ illum ad forum duxero decem aureis minimè vendam, sed mihi valet, ac si de melioribus esset, ideo si emere illum volueris sexdecim aureos soluas, tunc si tanti vendit, nequaquam iniustitia est, cùm ei tanti valeat. Sed animaduerti debet, minimè bonam esse excusationem quandam, quam afferunt venditores, atque emptores, legem in eorum fauorem allegantes, quæ licitum esse dicit, cùm alter decipit alterum, dummodò non sit in dimidio iusti pretij, aut vltra dimidium. Dico igitur istam nō esse bonam excusationem: nam lex illa permittitur ad tollendas lites, & sic per eam non stat quin peccatum sit, cùm in Republica quàm plurima peccata permittantur. Huiusmodi regula à nobis declarata cōprehendit etiam emptorem: itaque emens aliquid minori pretio quàm valet, iniustitiam committit, atque ad restituendum videtur obnoxius. *Secunda* regula, vendens aliquid pro alio, vt si ex melle confecta pro confectis ex sacchero venderet, aut vinū Salmanticū pro alio vino, esset iniustitia, & obligatur restitu-

ere quicquid plus accepit ex eo, quod res valet, quàm vendit. Præcipuè dico, si vendit communi pretio, cùm minor valeat: nam si res quæ venditur tam esset bona, aut tam prodesset emptori, quàm alia, velut si vinũ, quod vendit, cùm sit Salmanticũ, tam esset bonum, quàm aliud in tali casu, dicunt auctores pergraues non esse iniustitiam, neq; iniustam venditionem, nec venditorem obnoxium esse ad restituendum. Sed cõtrarium magis videtur probabile, cùm dolus in contractu fieri videatur, ac emptor nũquam id emere voluit, nec pro eo suorum bonorum præstare dominiũ, vnde contractus inualidus esse cõspicitur. Hęc eadem regula emptorem includit: nam si quis rem multo pretio valẽtem emerit pro re parui valoris, iniustitia est, quemadmodum si rusticus petram habet pretiosam, multa pecunia æstimandam, at tamen cùm ille id ignoret, cogitat vitreum esse fragmentum, si quis eius valorem agnoscens, emerit minori pretio eã, quàm valet, est iniustitia; ideo emptor ille, verũ dicere tenetur, eumq; dolo liberando, postea verò debet cum illo pacisci de iusto pretio. Siquis ab aliquo contra hoc diceretur, nempe licitum esse alicui vineam emere, in qua auream fodinã, aut argenti esse non ignorat, aliquemve thesaurũ, eius domino minimè aliquid nuntiando, ac emere pro pretio illo tantùm, quo valet vinea; sic ergo est in huiusmodi casu. Respondeo, quòd quando hoc ita esset, diuersa est ratio: vinea etenim emitur ratione terreni, petra verò ob propriã

virtu-

virtutem tantùm, quæ in ea est, sicque oportet æquare pretium cum virtute illa, quam habet, secus enim foret iniustitia.

Tertia regula, si quis vendit rem malam pro bona, vt si venderet mulam, aut equum claudum pro sano, tenetur ad restitutionem; secus foret, si cùm eorũ neuter defectus sciret, fortè venditur, aut emitur: tunc etenim bona esset venditio: nam vterq; se periculo iam obiecit. Ipsamet regula comprehendit emptoré, si rem sanã pro infirma emerit. Vt si quis mulam haberet, cogitansq; eam aliquo morbo laborare, qui verè nequaquã laborat, ideo vellet illam vendere, sed minori pretio quo illa valet, si ego non agnoscens morbum aliquem esse, emo illam minus, ac si verè illa morbo inficeretur, iniustitiam committo, teneorque ad restitutionem faciendam.

Quarta regula, si quis venderet falsa mẽsura, vt si ponderat cum dimidio libræ pro vna, est iniustitia, & tenetur restituere quicquid plus accepit: quæ regula etiã includit emptorem. At oritur dubium, quod accidere solet, quidam præsertim nunc, cùm frumenti sit penuria, tot habet modios, & vt maior copia esset ei vendendi, inter frumentum suũ mundum ponit terrenum, vt ordinariè in alio esse solet, & sic ex tribus modijs cum dimidio quatuor fiunt: quæritur an iste tuta conscientia pretium accipere poterit illius dimidij? Videtur quòd sic: nam si frumentũ istud cum terra collectum esset, vt colligi solet, non tenebatur ille terram auferre, sed ita vendere: ergo

ergo non peccabit, ponens illam supra frumentum. Respondeo eandem nõ esse rationẽ: nam in primo casu nequaquã est aliqua fraus, sed frumentũ vendit, & bonũ, & malũ, vt datum à Deo sibi fuit, sed secundo casu vtitur ille dolo, & ideo non valet contractus, & obligatur ad damnum illatum emptori.

Quinta regula habere in emptionibus, aut venditionibus inter eos intelligentiam, aliâs monopolium, est iniustitia: fitq;, cùm tot mercatores cum mercibus simul conueniunt, vt omnes ab eis emant, & sic vendunt non secus, ac ipsi volunt. Quemadmodum omnes sutores Venetijs degentes insimul conueniunt, vt nullus par calceorum minus quàm sex, aut quinque argenteis venderet, vt gens astringeretur eis dare quantum exposcerent. Hoc est monopoliũ, atq; peccatum contra iustitiam, omnesq; isti obnoxij sunt restituere quantum plus acceperunt. Idem dicitur de frumento, atq; alijs rebus. Sed dubitatur, si mercatores Veneti, habentes frumentũ, oleum, ac vinum, & sic insimul conspirantes augerent pretiũ, & venderent quindecim, aut sexdecim argenteis, quidam verò ex aliunde veniens regione, frumẽtum aut aliud portat ad vendẽdum, vtrum si illo pretio vendiderit, tenebitur restituere? Negatiuè respondetur, cùm ille frumentum vendere possit, vt communiter venditur in foro, & ille expers fuit monopolij, quod ignorauit: nam si illud non ignorasset, nequaquam pretio illo vendere poterat: quia particeps extitisset doli, sciendo pretium iniustum

iustum esse, ideo tanti vendere minimè voluisset. Illi ergo, qui monopoliũ instituêre, obnoxij erũt restituere totum illud plus, quod ipsi perceperunt, & etiam illud, quod alij suscepissent: non autem tenentur restituere, qui ex monopolij conspiratione vendiderũt, nescientes esse monopolium. Qui verò id faciũt, non se excusent, dicentes Regem, aut dominos id etiam facere, quia ipsi facere nequaquam hoc possunt, cùm damnum commune sit, ac Reipublicæ detrimentum. Hæc eadem regula emptores comprehendit, quemadmodum si omnes in eadem persisterent sententia, nolentes emere merces, vt sic eis magis proficerent, veluti in terris solet fieri, vbi piscis recens est, venit piscator volens pisces suos vendere, tunc mercatores inter se simul conueniunt, vt nemo illos emat, vt piscator infimũ imponat pretium, sicq; videns pisces corrumpi posse, vendit eos vili pretio, & tunc ab emptoribus illis fit emptio. Hoc iniustum est: nam emptores ad damnũ tenentur, quod piscatori intulerunt. *Sexta*, vendens magis solutione dilata, quàm numerata pecunia, iniustitiam committit: quod colligitur, quando vt dilataret solutionem excedit iustum pretium à lege statutum. Veluti si quis vt dilata solutione daret modium frumenti, venderet illud argenteis duodecim, at si in solutione dilata pretium iustum esset, quamuis sic dilatando magis vẽdat, quàm pecunia numerata, non est peccatum. Quemadmodum nunc rigorosum pretiũ fruméti vndecim sunt num-

mi ar-

mi argẽtei, moderatum decem, pium nouem, si quis vẽdit suum frumentũ numerata pecunia nouem, & quia illud dilata vendit solutione, vndecim, non committit iniustitiã: nam semper suum frumentum iusto vendit pretio iuxta statutam legẽ. Hic aduertendum quoque est, quod solutione dilata magis vendens, quàm numerata pecunia, non peccat in particulari casu: Quemadmodum si aliquis habens frumentum mense Ianuario, vt venderet mense Maio, cùm valere carius solet, dũ ab eo quis emere illud vellet, dicere ei poterit, est mihi frumentum hoc, vt vendã mense Maio, si vis vt tibi vendã, aut solutione dilatata, aut pecunia numerata, pro pretio, quo tunc valebit, vendam, secus autẽ minimè. Hic magis vendit dilatata solutione, quàm numerata pecunia: nam si nunc vẽdidisset, nequaquam tantum accepisset, quantum si dilatando solutionem venderet vsque ad mensem Maium. Eademmet regula emptorem includit.

Septima, quando quis vendit cum pacto de retrouendendo, ac de retroemendo, vt declaratum est, cùm de vsuris differuimus. Quidã vendit oliuetum, & emens illud, emit minus quàm valet, conditione, vt venditor inter tres aut quatuor annos retroemat, & interea locet ei pro tanto. Hoc est iniustitia, primùm cùm rem emat minori pretio, quàm valet; deinde cùm palliata sit vsura, quia obligat eum ad restituendum illud, quod ei dedit pro oliueto, & etiam fructus cuiuscunque anni. At si pro iusto pretio emeretur, postea verò ipse lo-

caret pro tanto, illicitus non esset contractus: & hinc est, quòd cùm retro emere voluerit, opus est vt ei iustum det pretium, vt alter ei dedit. Ex hoc etiã colligitur, quòd cùm emitur cum pacto de retrouendendo, semper iniustitia est. Vt si quis emit vineam iusto, vel iniusto pretio, atque eidem locat, à quo illã emerit, eum obligando, vt infra tot annos retroemat ab eo, est iniustitia. Peccatur quoque in hac materia, quando venduntur prohibita, aut ea, ex quibus, quòd dãna profectura sint, probabiliter conijcitur, vt quando venenum venditur, &c. Si autem res illa, quæ venditur, potest quis vti ad bonũ, & malum, non est peccatum eam vendere; veluti, vendere aleas, taxillos, pigmenta, seu fucus, quibus vti poterit in bonam, & malam partem; si verò quis venderet ea, quæ contra diuinum cultum ordinata forent, vt vendere Idola, peccatum est.

De Censibus. §. 26.

COmprehẽditur etiam in hoc septimo præcepto, scire census licitos, atque illicitos. Census est quædam ratio, quam habet alteri super alterius bona, aut sit pecunia, aut domus, aut prædium, aut propria sua persona. Emere censum est emere rationem supra alterius bona, aut super suam personam. Duplex est Census, Realis, & Personalis. *Realis* est, cùm super bona constituitur, vt super vineã. Personale, quando quis censum imponit super personam. Vt si aliquis diceret, per singulos annos me tantum tibi daturum obligo super personam meam.

Qua-

Quatuor sunt genera Census Realis.

Primus est perpetuus.

Secundus tolli potest, aut dicitur redimibi-(lis.

Tertius Vitalis.

Quartus pro certo tempore. *Perpetuus*, veluti cùm daret quis triginta, aut quadraginta millia aureorum, vt ei dentur pro quolibet anno duo millia in perpetuum super vineas, olineta, prædia, & his similia. Census iste licitus est, cùm pro illo ematur pretio, qui communiter in vsu est. *Census* ad tollendum, aut *redimibilis*, dicitur, quando quis dat quatuordecim millia ducatorum, vt quolibet anno percipere ex illis possit mille, huiusmodi cõditione mediante, quòd quotiescunque pecuniam restituere velit, non soluat amplius redditum census: hoc etiam licet, dum fit quibusdam conditionibus non lõgè infra declarandis. *Vitalis census*, seu in vita, est, cùm alter dat alteri octo, aut decem millia aureorum, vt dentur ipsi postea in singulos annos mille sua vita durante, aut vxoris: itaq; si qui octo millia dedit nummorum aureorum, vt dum ille degerit vitam, quolibet anno mille recipiat, viueret duos annos, bene sibi consuluit, qui censum cepit, cùm sex millia aureorum lucretur; & si ille duodecim viueret annos, quatuor millia perderet. Iste census nimis mitis, placidus atque iustificatus est, cùm vterq; huic sorti se obijciat perdendi, atq; lucrãdi, ac longam, aut breuem vitam degendi. Sed aduerti debet in censibus istis in vita, haud reddendũ esse capitale, quod fuit acceptum, sed vita fun-

cto emptore, alter est liber. *Census pro tēpore* est, vt si quis alteri daret octo millia nummorũ aureorũ, vt quolibet anno mille reciperet, & hoc per octo tãtùm annos, quibus completis, non poterit aliquid ab eo peti. Hic sensus est iustus: nam tantum recipit, quantum dat. Verumtamen, cùm dat aliquis octo millia aureorũ, vt per annos octo percipiat quolibet anno duo millia, vsurarius cēsus est iste, cùm det octo, vt sexdecim percipiat. Secus autē foret, si aliquis plus acciperet, velut si cùm ad octo annos peruentum fuerit, perciperet mille aureos, extra octo millia, ratione obligationis, quã super se susceperit, nõ exigendi suã pecuniam, nisi minutatim, quia obligatio ista vendibilis est, ac valet pecunia. Census redimibilis certis cõditionibus contractus est iustificatus, à nonnullis Pontificibus approbatus, demum verò à Pio V. sanctæ ac felicis memoriæ. Census iste emitur saltem quatuordecim millibus mille, adeò iuxta iura Regni Hispaniæ non potest minus emi. Hoc intelligitur cùm census bonus est, atq; tutus: nam cùm sit malus, atque malè fundatus, benè poterit minus emi: sed cùm emitur vltra quatuor millia, nõ est determinatũ pretiũ, & pretiũ tunc erit illud, quod ordinariè fit, eo modo, quod in taxa frumēti non potest ascendere pretium plus quàm vndecim argenteis pro modio; sed minus vendi poterit, iuxta id, quod in foro valet Hic census aut sit nouiter factus, aut antiquitus emptus, non potest emi minus quàm quatuordecim millib⁹ mille. Itaq; si quis duodecim

decim millibus emerit, tenetur duo millia restituere. Sed quæritur, an cùm census valẽs viginti millibus mille, emitur sexdecim millib⁹, liceat? Videtur quòd non, cùm non seruetur æqualitas. Respondeo, quòd si census non satis firmus est, atq; per difficilis ad exigendũ, vt ordinariè sunt census Regij, licitũ erit: nam illa viginti millia cũ parua securitate vix valent sexdecim millibus. At census iste vt liceat, quædam erunt seruandæ conditiones.

Prima, vt census constituatur supra domos, vineas, aut prædia, aut redditus, aut supra res stabiles, non autem super personam.

Secunda, vt pecunia numeretur coram Notario, ac testibus. Ergo si alicui debentur centum aurei, nõ licet ex istis soluere cẽsum, dum illi non soluuntur, cùm hæc desit cõditio. Sed dubitatur, an cùm aliquis primogenitus debet matri suæ pro dote sex, aut octo millia aureorũ, nec est sibi soluenda pecunia, licebit super sua bona censum soluere, dum ille matri non soluerit? Respõdetur, non licere ratione census, sed ratione interesse, quod matri impenditur, rectè poterit fieri. Qua de re si diceret filius, se pecuniam nõ habere, sed quod alter ei daturus esset de censu quolibet anno, dederit ille, hoc licitum est.

Tertia conditio, quòd si stabile venditur, supra quod constituitur census, non sit obligatio soluendi domino census vigesimam, trigesimam, aut quadragesimam partem pretij.

Quarta cõditio, quòd si bona, super quæ census stabilitus est, adurẽtur, aut ruant, modò nõ

sit culpa domini ipsorũ bonorum, tunc census finiatur, nec obligatio aliqua sit soluendi.

Quinta, quòd si casu fortuito bona quoque amittentur, finiatur etiam census.

Vltima conditio est, quòd nõ obligetur quis intra certum tempus tollere censum, sed vt in potestate eius sit tollẽdi, quãdo libuerit. Conditiones istæ, vltima excepta, non sunt de iure naturali, neque diuino, sed de iure positiuo, ac ita obligant, quòd secus faciens, mortifere delinquit, quodve contractum fuerit, inualidũ, nullumq; consequitur effectum.

De Contractibus societatum, deq; dolis, qui in eis committuntur. §. 27.

CONtractus societatum fit, quando duo aut tres simul cõueniunt, & eorũ quilibet tantum tribuit, quod quibusdã implicant mercimonijs, aut licitis negotiationibus, postea verò inter eos lucra partiuntur. Vt cõtractus iste sit licitus, tres istæ cõditiones sunt obseruãdę. *Prima*, q; negotiatio sit, aut pannorũ, aut piscationum, vel cuiuslibet rei: nam si quis mille aureos daret alteri, qui nequaquam negotiaretur, atq; tali daret conditione, vt ei solueret non secus ac illos in aliqua poneret negotiatione, non dicitur cõtractus, sed vsura, cùm hęc desit cõditio, quia non negotiatur, & verè iste mutuat mille, vt ei mille, & tot alia restituantur. Quod manifesta vsura est. Præterea quòd si negotiatio esse debet, necesse est, vt sit licita: nam si quis daret alteri mille ad faciendã societatẽ, & negotiatio illa est circa ista cambia, quæ nũc fieri solent, non est licitus cõtractus,

Idemq́; est, si ille, cui fuit data pecunia ad negotiandū, aut cum mercimonijs, aut alio negotiationis modo, plus dilata vendit, quàm numerata pecunia: nam illicitus est cōtractus. *Secunda* conditio est, quòd qui adscribitur in societate, constituere debet pecuniam, ad perdendum, atque lucrandum. Vnde vidua, aut quælibet alia cōferens pecuniam suam pacto mediante, vt libera sit ei restituenda, insuper & lucrum, committit vsuram, teneturq́; scripturas rescindere, & denuò eas conficere. Quādo verò quis ratione contractus, emptionis, venditionis, atque assecurationis, plùs percipit de illo, quod in societate contulit, nō peccat. Quemadmodum, si aliquis mille aureos implicasset cum alio in piscibus, & bona videretur emptio, & alter alteri dicit quantumuis pro assecuratione huius mercimonij, & pro huiusmodi assecuratione confert ei centum aureos, sed postea eidē dicit, vt illud emeret, quod assecurauerat ipse, & alter contentus remanet, atq; mille & ducētos aureos cōfert pro sua portione, ad eos solutis centū pro assecuratione, alios centū liberos percipit, & præterea capitale, hoc licitum est. Sed dubitatur an huiusmodi contractus sit licitus inter eosdem socios: nam cum alijs extra societatē omnes sentiunt licitū esse. Respondetur, quòd Magister Sotus, atq; Illustrissimus Caietanus dicunt nō licere: nam vsura esse videtur. Mea autem sententia est, quòd licet cum vtroque, quia hoc ratione contractus societatis non accipitur, sed ratione aliorum duorum contra-

ctuum ibi interuenientium, videlicet assecurationis, ac venditionis. *Tertia* conditio, quòd lucrum totum insimul debeat vniri, ac diuidi iuxta proportionem suam, id est, vt consentaneum sit ei, quod quislibet contulerit. Velut si quis mille confert aureos, vt eos in mercibus implicaret; alter verò suam personam ad Indiam se conferendo, quod mille alijs æstimatur; alius suam ponit industriam, ac diligentiam, æstimatam quingentis: in quo mercimonio quingentos lucrati sunt: qui mille contulit percipere ducentos aureos debet, qui laborem alios ducentos, centum verò alter: nam dimidium minus contulit. Ista mirabilis est regula, atque conspicua Illustrissimi Caietani. Ex hoc claré colligitur quædam intelligentia pro contractibus societatum, cùm confertur pecunia in vaccis, ac ouibus implicanda, in quibus vt licitè fiant, semper in amittendo, atque lucrando, æqualis debet esse conuentio. Idem est de conducentibus equos, mulas, aut boues, quòd licet, cùm non obligatur quis ad restituendum bouem, aut mulam incolumem, atque liberam, & præterea fructum: itaq; si bos moritur sine culpa agricolæ, non tenetur restituere, nec soluere aliquid, secus auté esset vsura. Dubitatur, si cùm agricola egestate impulsus à me petierit, vt boué ei locaré, quem ego cùm nõ haberem, do ei viginti nũmos aureos, quibus bouem emere poterit, dicens ecce bos, isti nẽpe xx. aurei: tributurus ergo mihi eris aliquid ꝑ locatiõe, præter hos xx. aureos liberos, atq; securos,

securos, quæritur, an hoc licitè fieri valeat? Negatiuè respondetur, imò nimis grādis vsura est, cùm non adsit nunc bos, neq; agricola emit, vel si emeret, teneretur eum sanũ restituere. Hoc idem esse sentio, ac si diceretur, mutuo tibi viginti aureos, & ob id tantum eris mihi redditurus, quod conspicua, atque manifesta vsura esse videtur.

De Ludis. §. 28.

MAteria ista ad quatuor pũctos redigitur.

Primò, Quid sit Ludus.

Secundò, Quando sit licitus.

Tertiò, Quando sit illicitus.

Quartò, Quomodo sit restituendum, quod lucratur in Ludo illicito.

Quo ad primum, definitio est ludi: Ludus est quicquid fit, aut dicitur ad honestam animi recreationem. Quo ad secundum, ludus est licitus, cùm luditur de licitis rebus, quando decet, ac de eo modo, quo licet: & tunc est virtus, quæ Eutrapelia nuncupatur, seu vrbanitas, duo extrema in se continens.

Primò, quando quis est scurra, seu mimus, aut nugator, aut homo nimis sibi indulgens.

Secundò, cùm rudis est, nec lætus esse solet, nec animi recreationem aliquam suscipere, quamuis hoc nequaquam afferat detrimentum, cùm nõ sit necessarium ad cœlestem gloriam adipiscendam, imò illi aduersetur. Quo ad tertium, ludus fit illicitus quàm plurimis ex rationibus. *Primò*, ratione obiecti, atque ludi materia, nempe cùm rebus fit obscœnis, ac turpibus, tuncque si res illæ inhonestæ, graues

sunt, atque peccata mortifera, ludi etiam peccatum est mortale: si autem sunt tantùm leues, leue etiam, ac veniale peccatum erit. Ad caput istud redigitur, cùm ludus de re fit, in qua periculum mortis obijcitur, aut alicuius rei, vt iactare saxa, certare pugnis, peccatum est mortale, ob periculum, in quo se aliquis iniecit, quod à Magistratu puniri debet, atque prohiberi. At qui tauros currere facit, cannis ludit, aut in torneamentis, aut venatur apros, & alia huiusmodi exercet, non peccat, quamuis aliquando non absque periculo sic se exercentes inueniantur pro tempore, quo bellum gerendum erit, ideoqúe bonum Reipublicæ priuatę est præferẽdum. Ad caput istud redigitur ludere, atq; in comœdijs sacra miscere profanis, aut rebus amatorijs, aut scurrilibus, aut sacris, & religiosis vestibus pro irrisione vti, quod etiam graue est peccatum.

Secundum caput est ratione finis: ludus igitur tunc illicitus est, respectu huiusmodi finis; cùm aliquis tanta cupiditate ludendi est affectus, quòd dies noctesqúe in ludis insumere solet, atque in corporis voluptate, & ordinariè peccatum est veniale, nisi quando ratione ludi aliquod omittit seruare præceptum, aut malè tractat vxorem, aut filios, vel difficiliter contractum debitum soluit, nec est deneganda absolutio, si propter ludum non restat preceptum aliquod ab eo seruandum.

Tertium caput est ratione ludi. Fit ludus illicitus, cùm quis ludit in locis prohibitis, velut in templo, & est mortale. Quando ludus

fit

fit inhonestis rebus, atque illicitis, vt amatoria repræsentare: sed aleis ludere, atque taxillis, non est, nisi veniale peccatum.

Quartum caput, ratione temporis illicitus est ludus, quando fit tempore vetito, vt in Dominicis, aut festis diebus pręceptis, qui nequaquam instituti fuêre, nisi laudandi Deum. At non nisi veniale peccatum fuerit, cùm ludus erit immodicus: nam quando modicus est, non admittitur peccatum, nisi cùm de rebus obscœnis ludus fuerit, aut turpibus, ac admodum inhonestis: tunc etenim ratione obiecti mortiferum est peccatum.

Quintum caput: Fit illicitus ratione modi, *Primum*, quando in ludo inuenitur dolus, aut aliqua fraus, velut si ego aleas agnosco, aut si tres ludunt, vt vulgo dicitur *a torre in mezzo*.

Secundo, cùm fit inæqualitas, vt vulgo dicitur, *do vantaggio al compagno*, aut quia ego melius ludere scio, vel cùm sit alter stultus, atque ineptus; si autem dixero, *auerte cheio ho vantaggio*, neque tecum ludere volo, nisi pari modo lusero, sed nihilominus ipse non vult, imò pertinax est in ludo, ego ludens non pecco, neque sum obnoxius aliquid restituere, cùm ille procul dubio ob suam ineptiam mihi dare vult illud; quemadmodum si quis vidit Petrum, loquor sub exemplo, foris venientem, & dicit ego vidi Petrum, alter verò dicit illũ non venisse, at qui viderit, affirmando respõdit, se nunc eum vidisse, & nihilominus pertinax ille est, non credendo, & ponit pignus, dicens, quòd Petrus nequaquam venit, poteris

tuta conscientia lucrari pignus illud. *Tertiò*, cùm quis cogitur ad ludendum, illicitus est ludus, & non solùm coactus est ille ludere, quando aliqui nudum pugionem manu tenentes minantur ei mortem nisi luserit, sed etiam cùm verba dicunt, quibus illũ ad ludũ adstrinxerint, dicentes quòd non habet eum hominem probum, si non ludit; vt si illum auarum atque ineptum dixerint: in hoc, atque in omnibus alijs modis huic similibus, semper peccatum mortale est ludere.

Sextum caput, ratione personæ ludentis poterit fieri ludus illicitus, vt si Episcopus luderet, aut religiosus aliquis, aut pro consuetudine luderet, mortaliter peccaret ratione scandali: secus autem foret, si semel: ad honestam enim recreationem id faceret.

Septimum caput, ratione abusus in ludendo fit illicitus, atque peccatur, velut si quis ad lucrandum luderet, cùm ludus inuentus non fuerit nisi ad animum licitè recreandum: ideo abutens illo, peccat venialiter, nisi vteretur ad proximi bona auferenda, aut vxorem malè tractauerit: tunc enim mortiferum est peccatum.

Octauum caput, ratione ludorum, qui à lege prohibentur, fit ludus illicitus: iura regnorum nonnullos ludos prohibuerunt, vt sunt tabulæ, vtq; ne ludere quis posiit, nisi certam quantitatem. Vnde ludens huiusmodi ludis maiorem illa à iure permissa, tantum est veniale peccatum, & forsan neque foret veniale, cùm à contrario vsu abrogentur, & Reges,

ae Episcopi, alijque Principes eas infringant, ac infringi permittant, nisi ludens sit pauper: nam iste, quia pauper est, cùm fuerit captus, cogi solet ad exoluendam pœnam, quod, vt vera fateamur, nil aliud est, quàm à paupere pecuniam emungere.

Caput nonum, ratione personæ, cum qua luditur, sit ludus illicitus, vt ludere cum fœmina maritata, cum religioso, aut puero, nondum à præceptis paternis libero, vel cum aliquo scholastico, cui necessaria à suis prouidentur. At circa hoc notandum est, tanquam generalis regula, nempe solum illum posse ludere, qui dare potest, quare mortaliter peccat qui ludit cum aliquo non habẽte facultatem ludendi. Ponatur casus. Scholasticus quidam Salmanticus manet in domo patris, aut matris, si merito ab eis illi necessaria suppeditantur, rectè poterit ex cẽtum aureis ludere quinque: nam interpretatiua voluntas patris est, vt quantitatem illam impendere filius possit, aut in rebus edendis, aut in alijs, vt ei libuerit, ideo illorum quinque aureorum verus est dominus, & quemadmodum dare illos potuisset, ludere etiam posset. Iste igitur nec perdere, neque lucrari ludendo amplius poterit, quàm ducatos quinq; nisi cùm in ludo & esset, & facto resto, vt vulgo dicitur, quinque aureorum quos habebat alios quinque lucraretur, & iterum postea, vt vulgus ait, poneret restum decem aureorum & decem alios lucratur, licitus est ludus iste, cùm semper verificetur, illum amplius non lucrari, quàm il-

lud, quod perdere potuisset: nam decem ducati iam sui erant. Idem dicitur, quando scholasticus iste cum alijs tribus, & quilibet tenet de resto, vt ita loquar, quinque aureos, facit restũ cum omnibus, & à quolibet lucrando percipit quinque, nempe quindecim, licitus est ludus: nam ipse non lucratur ab aliquo, nisi illud, quod cum alio perdere potest.

Quonam modo restituendum sit quod lucratur in ludo. §. 29.

QVo ad quartum, videlicet quo ordine restitui debeat, septem sunt regulæ: quatuor, quibus dignoscitur, quando debeat fieri restitutio; tres verò, quando non debeat fieri, quæ sequuntur.

Prima, cùm fraus, aut dolus in ludo fuerit, vti dictum est quinto capite, quod ludum fecit illicitum: nam ille iniustitiam committit, cùm non ludat æqualiter, tenetur igitur restituere.

Secunda, cùm disparitas interuenerit, vt ibi etiam fuit assertum.

Tertia, cùm in ludo infertur violentia, sicut ibi etiam dictum est.

Quarta, quando cum aliquo luditur, qui ludere nequaquam potest, sicuti declaratum est nono capite. Sed aduertere debet Confessarius, quòd si religiosus extra monasterium suum egreditur cum licentia sui Prælati, atque obtenta venia impendendi pecuniam, vt ipsi libuerit, rectè ludere poterit, siqúe lucratur, non tenetur lucrum restituere, nec tenetur ille, qui ab eo lucrabitur; at ipse mortiferè delin-

delinquit ob ſcandalum, ſi illud dederit; ad reſtituendum autem minimè tenetur. Sed dubium eſt ſi Prȩlatus illi nequaquam licentiam dedit impendendi, niſi in licitis rebus, an ſi iſte talis ludendo lucratur, tenebitur lucrum reſtituere? Videtur quòd ſic: nam ludere ille non poterat, cùm Prælatus ei licentiam non conceſſerit impendendi pecuniam, niſi in licitis rebus, ſiqué non ignoraſſet illum pecuniam luſurum, nunquàm id conceſſiſſet, ergo tenetur reſtituere. Reſpondetur obnoxium eſſe ad reſtitutionem faciendam ob rationem prius aſſertam, quȩ conſpicua eſſe videtur, & hoc intelligitur, cùm luditur magna quantitas: nam ſi duos argenteos luſerit ad animi ſui recreationem, rectè id facere poterit. Vt dignoſcatur, quando reſtituendi non remanet obligatio tres ſunt regulæ. *Prima*, in omnibus alijs ludis, quamuis à iure prohibitis, dummodò non includatur in eis aliqua ex quatuor regulis, iam à nobis aſſertis, non eſt reſtitutionis obligatio, niſi, qui perdidit, ſuum expoſtulet priuſquam octo decurrant dies: tunc enim tenetur reſtituere, cùm à iure, atque à Republica id præcipiatur: ſi autem eques cum aliquo luſerit ludo vetito, ac centum amiſerit aureos, & prȩ verecundia alter eos non expoſtulat, quȩritur an ſecretè poſſit de eius bonis centum illos auferre? Videtur poſſe: nam lex dicit, vt ei inter octo dies reddantur cùm ille petierit, ergo ius habet in eis, atque tollere ſecretò poterit. Reſpondeo, nullo modo id licitum eſſe: nam lex dicit quòd ille reſtituere tenetur,

netur, cùm fuerit postulata pecunia, sed cùm non postuletur, alterius est, ideo si abstulisset, tenetur restituere: nam alienum abstulit inuito domino. *Secunda* regula, quotiescunque luditur sub pignore, aut solutione dilata, non est obnoxius soluere: quamobrē si quis, cùm luserit, atque super pignus fuerit lucratus, aut dilata solutione aliquid acciperet, obligatur ad restitutionē; secus foret, si quis, cùm perdiderit, diceret, ecce centum argentei, quos lucratus es, quamuis soluere non tenebar, sed vt starem pollicitis, capias illos, quos ego tibi dono, tunc si alter ceperit, non ratione ludi, sed quia eos illi dat, tutus est in conscientia: nam est tanquam vera donatio. *Tertia* regula, cùm quis ludendo facit, vt vulgo dicitur, *che vada il resto*, & verè scit totum illud lucrari, vt si Primeram haberet, vt vulgus loquitur, *di quattro sette*, aut quinquaginta, non obligatur restituere: quoniam eidem se obijcit periculo cum eo alius, quando eundem ludum habuerit: itaque ludus est iustus, ac licitus. Sed notandum est, quòd si quis lucratur ab eo, qui in scholis studet, aut ab alio sub patris potestate constituto, magis quàm lucrari potest, quamuis lucrum scholastico illi restituat, & ipse recipere minimè velit, imò dicit se iniuria affici, dum restituere vellet, nihilominus non remanet tutus in conscientia qui lucratus fuerit: nam scholasticus ille dare non poterat, cùm sua non esset pecunia, sed patris, vnde patri facienda est restitutio. Demum notandum est in hac materia, quòd si quis lucrifecit à
scho-

ſcholaſtico, aut pupillo centum nummos argenteos, quos lucrifacere minimè poterat, & eodem in ludo ludens cum ipſomet in ſcholis ſtudente, eos amiſerit, non tenetur reſtituere: at ſi vbi ille lucrifecerit, ludens cum alio, illos perdidit, procul dubio ad reſtitutionem faciendam erit obnoxius.

Materia de reſtitutione. §. 30.

VBi de contractibus diſſeruerimus, in quibus iniuſtitia eſſe poterit, opus eſt, vt de reſtitutionis materia diſſeramus, quæ admodũ iuſta eſt, ac pernecеſſaria, quæ à Confeſſario non ignoretur, tribus ex rationibus.

Prima, cùm ad illum attineat euertere iniurias, ac iniuſtitias, quę eius tribunali ſolẽt incidere.

Secunda, nam aliena non reſtituens, manet in mortali peccato, nec eſt abſoluendus, ſi reſtituere non intendit.

Tertia, ob illud vulgo dictum, Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatũ: quod intelligitur de eo, reſtituere nequaquam intendente: nam ſi intendit, ſatis eſt, veluti videtur in eo, qui teſtamento relinquit, vt fiat reſtitutio, quæ licet minimè fiat, non ideo teſtator luet æternas pœnas, dum mortale peccatum aliud non admiſerit. Reſtitutionis materia ad octo redigitur capita.

Primum, quiſnam ille ſit, qui ad reſtituendum videatur obnoxius.

Secundum, quid ſit reſtituendum.

Tertium, quantum illud ſit, quod reſtitui debet.

Quartum, cui debeat fieri restitutio.

Quintum, quo in loco restitutio est facienda.

Sextum, quo tempore.

Septimum, quo modo.

Octauum, quis ordo seruandus erit in restitutione.

Primum caput est, quis obnoxius sit ad restituendum. Vt hic intelligatur casus, quinque sunt regulæ inspectandæ, ob quas dignoscetur qui ad restitutionem tenebitur.

Prima: Quæcunque restituendi obligatio ex duobus oritur principijs, atque ex duabus causis.

Primò, quòd detineantur aliena bona inuito domino.

Secundò, quòd illa susceperit, quamuis adhuc non retineat.

Secunda regula: Suscipere alterius bona dupliciter consideratur. *Primùm* rem accipere alienam iusta de causa, quemadmodum illam emere, mutuatam habere, vel quia eam conduxit, &c. *deinde* verò iniustè rem alienam accipere, veluti eam surripere decipiendo, atque furando, &c.

Tertia regula: Quicunque aliena bona detinet inuito domino, peccat mortaliter, ac tenetur illa restituere, cùm iniuriam, ac detrimētum inferat domino, illud detinendo, quod suum non est.

Quarta regula: Quicunque rem alienam iustè susceperit, tenetur eam domino restituere, quando petierit, vt si alicui commodatus fuit liber,

liber, vel apud eum depositus. Vt ista regula intelligatur, aduerti debet, quòd alio modo tenetur quis restituere domino rẽ, à quo mutuata fuit, & altero modo id, quod accommodatum est; alio autem modo, quod depositum fuit quodve locatum: nam pro mutuo recipiuntur ea, quæ vsu consumuntur, vt panis, vinum, pecunia, & cum eis accipitur dominiũ: quapropter recipiens hæc, tenetur restituere suo domino, quamuis sine illius culpa amittantur, cui mutuata fuerunt; veluti si quis cẽtum aureos mihi mutuauit, ac dum me domum conferrem, absque mea culpa, surrepti mihi fuêre abscisso loculo, in quo positi fuerant, teneor ei restituere centum illos, qui eos mihi mutuo dedit: ratio est, quoniam eorum dominium translatum in me fuit, itaque eos amisi, & sic quæ amittuntur, domino amittuntur. At ea, quæ commodantur, illa sunt, quæ minimè vsu consumuntur, nec illorum transfertur dominium in eum, cui accommodantur, vt est liber, equus, &c. Hæc restituenda domino sunt, illo petente, aut impleto præfixo termino, atque tempore, quo restitui debent. Si verò aliquid amittitur sine culpa illius recipientis, non obligatur ad restitutionem, vt si mihi liber fuit accommodatus, quẽ postmodum aliquis surripuisset absque mea culpa, nequaquam obnoxius sum ad illum restituendum. Ratio est, quia in me non fuerat translatum dominium, sed eius erat, qui mihi illum accommodauit, & sic amittitur domino: at si mea culpa ille amissus fuisset,

aut grauis illa sit, aut leuis, seu leuissima, teneor librum illum restituere. Ratio est, cùm mihi commodatus fuerit ad meam vtilitatem, atque ideo decebat, vt diligentiam in eo custodiendo adhibuissem, quam non adhibui, ergo obnoxius sum ad restitutionem. Lata culpa est negligentia quædam, qua homines admodum indiligẽtes vtũtur, vt si supra portam librum relinquerem. Leuis culpa est negligentia illa, quę accidere solet homini aliquantulum diligenti, vt in cubiculo librum relinquere, non clauso ostio. Leuissima verò culpa dicitur indiligentia, aut incuria, quæ homini euenire admodum sedulo, atque solerti solet, vt claudere cubiculum, sed nequaquam seram tangere, & sic apertum remanet cubiculi ostium, cùm esse clausum putabatur. Ex hoc illud inspiciendum est, quod circa deposita poterit contingere. Fuit apud me aurea catena deposita, quam vt custodirem accepi, teneor ego illam restituere; at si eam amisero non mea culpa, non teneor ad restituendum; si autem mea culpa amittitur, & culpa lata est, teneor restituere; si verò leuis, aut leuissima fuit, non teneor. Ratio est, cùm depositum non pro meo commodo, atque vtilitate fuerit, sed domini, nempe eius, qui deposuit, & sic satis est me illam adhibere diligentiam in eo custodiẽdo, quam rebus domesticis meis soleo adhibere. Quod ad mulas pertinet, vel ad equos vecturæ, facile intelligi poterit per ea, quæ diximus de accommodatis. Quòd si equus, aut mula aliquod patitur detri-

detrimentum culpa mea, aut lata, aut leuis sit illa, teneor ego restituere; secus verò si leuissima erit: nam cùm sit contractus aliquis in fauorem ambarum partium, quilibet ad damnum obligatur reficiendum, quod ob malitiam, aut culpam latam, siue leuem euenerit; sed non ad damnum illud, quod ob suam culpam acciderit leuissimam, aut casu fortuito, cùm ego pro vtilitate mea, atque commodo quid acceperim: at si absque mea culpa amitteretur, aut moreretur, ad nihil teneor. Hîc dubitatur, an quando illum decepi, qui mulum aut equum commodauit per quatuor dies ex vno loco ad alterum, ego verò illuc me confero, duos tātùm dies insumēdo, si equus, aut mulus moritur, teneor ego restituere? Videtur quòd sic, quia eum defraudaui. Respondetur, quòd si aliquis nō fuit dolus, nisi quòd eum decepi, non teneor restituere eum. à Salmantica vsque Vigliadul, vt vulgo dicitur, illud iter est, quod duobus diebus mula conficere poterit, illamq; bene tractaui, cùm nihil ei defuerit, siqúe moritur, suo domino moritur, quia nequaquam dolus ad mortem ipsius mulæ directus fuit. At bene esse poterit, quòd si in exteriori foro corā iudice probaretur, ad restitutionē videretur obnoxius, in conscientia verò ad nihil teneretur.

Quinta regula, qui ad restitutionem faciendam obligantur ratione alicuius detrimenti, quod ab eis illatum fuerit, aut alicuius illatæ iniuriæ, decem sunt; nouem autem his includuntur versibus:

Iussio, Consilium, Consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Decimus verò est committens, aut exequens damnum. Declarando igitur per ordinem illos, qui ad restituendum videntur obnoxij, dicam.

Primum esse illum, qui damnum exequitur, aut qui delinquit, aut detrimentum aliquod infert.

Secundus est, qui iubet, vt damnum, aut delictum inferatur, & hic ad detrimentum illatum reficiendum tenebitur duabus cum limitationibus. *Prima*, cùm ex iussione illa sequutus fuit effectus: nã si effectus minimè sequutus est, nõ tenetur restituere. *Secunda*, cùm causa fuerit efficax, vt malum illud inferatur; quia si causa efficax non extiterit, non est obnoxius.

Tertius est ille, qui consulit, vt inferatur damnum, obligatur iste ad restitutionem, si damnum sequutum fuerit, siqúe consilium suum causa extitit efficiens, vt hoc sequeretur.

Quartus est, qui delicto consenserit. Iste tenetur quoque restituere, si eius consensus causa fuit, aut motiuus efficax, vt damnum efficeretur; quemadmodum si lætatur pater, aut assentitur, vt sui filij furentur, clarum est, eum teneri ad restitutionem; at si quis videret aliquem occidere Petrum, & consenserit, atque lætatus est eius morte, non tenetur restituere, quãuis mortiferè deliquerit, cùm consensus ille causa non extiterit mortis Petri.

Quin-

Quintus est, qui detrimentum, ac iniuriam laudat, quam inferre quis alicui voluerit, & cùm ille laude afficiatur, damnum infertur, obnoxius redditur ad restituendum, velut si quis seruus, ira percitus aduersus alium, deliberauit verberibus illum afficere, & alter dixerit, si id feceris, vir probus habeberis, vnde seruus ille ab huiusmodi verbis impulsus infert verbera; ille, qui laudauit, tenetur restituere.

Sextus, in domo sua recipiens delinquentes, eosque occultans, tenetur iste restituere, cùm id efficiat, vt sic illi occulti perpetrent malum illud: at si caupo est, in cuius ædes latrones ingrediuntur, vt ibi occultentur; ipse verò ad hunc finem non suscepit eos, non tenetur restituere quæ illi furentur.

Septimus est, qui particeps fuerit in delicto, conspicuum est hunc obnoxium esse ad restitutionem.

Octauus, qui tacet, videns malum aliquod patrari, nec loquitur vocẽ extollendo, neque eum reprehendit, nec contra illum aliquid dixerit, imò permittit. Hoc intelligitur, cùm quis loqui teneretur, aut officium suum patefacere: nam si iudex videns aliquem furantem domum tacuerit, siqúe ab excubijs videretur, atque à montium custodibus, vel ab eis, qui telonia custodiunt, nec illi loquerentur, obnoxij forent ad restituendum quicquid euenit detrimenti, eo quòd tacuerunt.

Nonus, qui potens damnum impedire, ac ex

officio suo ad id tenetur, & non impedit, obnoxius esse videtur ad restitutionem.

Hinc est, quòd si montiũ custodes, aut telonarij dissimulant, & sinũt furari, aut prohibita pertransire, non manifestando, tenẽtur restituere; qui verò bona trãsfert minimè: at si quis trãsfert bona vetita, corrumpit custodes pecunia, vt tacerent, ambo tenentur ad restitutionem: si autem custodes pecuniam expostulant, promittentes, se non loquuturos, quamuis ille pecuniam largiatur, nõ tenetur restituere; custodes verò sic: si verò nõ tenentur ex officio impedire, peccant non impediendo, at ad restitutionem non tenentur. Hoc tam verum est, quòd magister Sotus ait non teneri eum ad restituendum damnum illatũ, qui pecuniam acciperet, vt taceret, non detegendo; secus autem foret, cùm ex officio ad id obnoxius esse videretur.

Decimus est, non manifestans delictum, aut damnum, quod ipse non ignorat, cùm de eo fuerit in iudicio interrogatus, tanquam testis iuxta legem Dei: omnes isti, ac eorum quilibet tenentur in solidum restituere totum damnum illatum. Itaque si quatuor furati sunt ducatos centum, aut aliquem occiderunt, &c, dum tres minimè satisfaciũt, alter totum tenetur restituere, quamuis ab alijs ad furandum inductus fuerit: at si quis partem suam restituit, sufficit, vt qui resarcire damnum voluerit, restituat illud plus quod deficit, vt ad summam attingere valeat. Quando verò qui totum damnum refecit illatum

prin-

principalis eſt perſona, atque alios ad malum perduxit, dum reſtituerit, non tenentur alij ad aliquid reſtituendum; cùm eos induxerit ille ad patrandum facinus; ſi verò æquales ſunt omnes, & ex ipſis totum damnũ vnus refecit, tenetur quilibet pro ſua parte illud plus reſtituere.

Secundum caput res eſt, quæ reſtituenda erit.

Prima regula, ſi quod fuerit reſtituendum, ſunt alterius bona, pecunia, illata iniuria, vt mors, vulnera, infamia, dedecus, ac alicuius lucri impedimentum.

Secunda regula, damna ſunt reſtituenda pecunia, aut aliqua re iuxta id, quod prudens vir iudicauerit, vt ſi quis brachium alicuius abſciderit, debet ei brachium reſtituere, non aliud brachiũ, cùm minimè dare valeat, ſed quod iuxta iudicium prudentis viri fuerit iudicatum.

Circa hoc dubitatur, ſi quis virginitatem alicuius puellæ abſtulerit, quonã modo eam reſtituere teneatur? Vt hoc poſſit intelligi, notandum eſt quatuor modis aliquem potiri poſſe puella, aut decipiendo, aut vim ei inferendo, vel promittendo ducere illã in vxorem, aut ipſa conſentiente. Si cum ea rem habuit dolo, tenetur eam ducere in vxorẽ: nam moraliter loquendo, aliud ei non eſt, quo honorem valeat reſtituere, niſi ex ipſo matrimonio ſcandala ſequerentur, aut vxor malè tractanda foret: tunc enim dotare illam debet honoratè, vt in matrimonium cum aliquo collocetur, aut debet efficere vt religionẽ ingredi-

grediatur, non secus ac prudens vir iudicauerit. Si per vim habuit, id illud efficere tenetur, vt superius fuit assertũ. Si matrimonium ei promiserit, ducere illam debet in vxorem: at si ab eius patre illam petierit, & pater non vult illam dare, tenetur ei opem ferre, in matrimonio collocando, aut persuadere, vt in religione se induat habitum. Si eam habuit ipsamet consentiẽte, vel cùm multum insumpserit tẽporis cum amatorijs literis eam pertinaciter importunando, ac infestãdo donis, muneribus, ac lænis, tũc tenebitur eam sponsare: nam moraliter huiusmodi vis infertur mulieribus, ideo eum agere oportet, quod supra de eo diximus, qui per vim illam habuit. Si autem eam habuerit, quia ipsa voluit, vel quia eius amore capta fuit, aut quia illa ad amorem istum eum induxerit, tali casu dicit magister Sotus illum non obligari eam sponsare, neque aliquid dare, cùm voléti, ac consentienti nulla inferatur iniuria. Probabilis est hæc opinio: ego autem dico hunc obligari ad spõsandam illam, si pares sunt; si verò dispares, tenetur illam honoratè dotare, aut satagere vt monasterium ingrediatur. Huius ratio *prima* est, quòd si illemet, qui talem habuit puellã, liber remanet, ac absoluitur, nõ restat quietus, imò cum scrupulis. *Secunda*, cùm puella suæ integritatis nequaquã sit domina, & ideo sicut brachium minimè abscindendum exhibere potest, ita etiam exhibere suam virginitatem non poterit: secus foret post factũ, tunc enim illa bene ignoscere ei poterit, qui illam

illam habuit. Sed hic aliud oritur dubium. An ſi quis dominus ſeruã haberet virginem, teneretur damnum hoc reficere, quod inferret? Videtur quòd non: nam ſi pecuniam ei eſſet redditurus, aut aliud, poſſet poſtmodum repetere, cùm ſerua nullius rei domina eſſe poterit: nam ſui domini eſt quicquid illa poſſidet; nihilominus dico obligari eum ad reſtituendam ei integritatem ſuam: quoniã licet ſerua nequaquam pecuniæ ſit domina, vt probat argumentum, attamen libera eſt, quæ nubere poſſit, & præterea domina eſſe conſpicitur integritatis ſuæ, vel ſaltem ſuper eam ius habet: vnde ſi iſte dominus damnum ei intuliſſet, atq; illud reficiendi modum haberet, obligatur id facere; ideoq; dominus iſte tenetur illam manumittere, aut honoratè dotare, aut eam aliquo in ſtatu honeſtè viuendi ponere, iuxta id quod diſerti viri ſentire videntur. Sed quid dicendum, ſi quis rem cum virgine habuit, illaq; poſtea in matrimoniũ alicui data fuerit, atque bene collocata, nunquid iſte, qui eam habuit, teneatur reſtituere quod ab ea abſtulit? Reſpondeo, quòd ſi ex huiuſmodi reſtitutione aliquod ſequeretur ſcandalum, adeò quòd maritus hoc non ignorauerit, tali caſu nihil reſtituẽdum eſt: at ſi congruum eſſe medium videretur, ita quòd detegi id non poterit, tenetur reſtituere, eam alloquendo, ac modum expoſtulando, qui tenendus foret, vt reſtituatur ei quod debetur, ita tamen quòd à marito nihil dignoſci poſſit, & ideo aliquem diſertum virum conſulere de-

bet,

bet, vt eius consilio, illo non errante, ad exitum res perducatur. Cùm assertum quicquid fuerit quod restituendum erit, cùm aliqua afferuntur detrimenta, aut damna, reliquum est, vt dicatur quidnam debeat restitui ratione rerum alienarum, circa quod septem sunt regulæ adnotandæ.

Prima, quando quis alterius rem acceperit, siue bona, siue mala fide, si res integra remanet absque aliquo detrimento, tenetur ad restituendum illam, nisi ob restitutionem aliquod scandalum oriretur, aut magnum dedecus, aut infamia, vel aliquod sequeretur detrimentum: tunc enim satis foret, si æquiualens aliquod restitueret. At si res aliena nõ remanserit integra, vt eam accepit, tantum tenetur restituere, quãti illa valebat, quã susceperat; veluti si quis furatus pallium fuerat, & postea eo vtitur, adeoq; vetus est, tenetur restituere pretium, quo valebat pallium, quando illud furatus est. Ad hanc regulam percipiendam sex aliæ ponuntur.

Secunda, cùm quis bona fide emit rem ab aliquo, qui vir bonus ab eo habebatur, quæ furtiua erat; postea verò rem illam alterius esse non ignorat, tenetur eam domino restituere. Quemadmodum si bona fide quis equũ emisset, nesciens illum esse furtiuum, postmodum verò alterius esse sciuit, obligatur iste suo domino equum restituere, quamuis illũ emerit: sed bene poterit à latrone suum repetere, cùm tanto se obiecerit periculo. Sed dubitatur, quid sit restituendum, si cùm equum emerit,

postea

poſtea vendidit eum, & poſt venditionem nō ignorauit illum alterius eſſe? Reſpōdeo quòd ſi vendidit plus quàm emit, tenetur illi reſtituere illud plus, cùm ipſe rem non habeat alienam, niſi plus illud, ergo ad amplius non tenetur: at ſi eum eodem pretio vendidit, ad nihil videretur obnoxius. Sed dubium eſt, quidnam ſit faciendū, ſi ei dono datus fuit equus, & ipſe dono alteri dedit? Reſpondetur, quòd ſi ille dono dedit, nihil pro eo capiendo, non tenetur aliquid reſtituere, quia nihil habet alienum, ratione cuius teneatur: at ſi alteri vendidit, obnoxius eſt ad reſtituendum pretium illud, quo vēdidit, cùm alterius illud ſit.

Tertia Regula, quando quis mala fide alterius quid acceperit, non ignorās rem eſſe alienam, aut ſuſpicando, vel ſciendo malæ conditionis, & famæ illum eſſe, qui vendidit, tenetur rem illam reſtituere cum omnibus fructibus; vt ſi Bibliopola aliquos emerit libros à quodam Scholaſtico, qui tanquam latro habebatur, aut ſciebat ipſe alterius eſſe libros illos, & nihilominus emit, tenetur eos reſtituere, etiam ſi eos perdidiſſet, aut ſi quis ab eo libros ſurripuiſſet. Ratio eſt, quia iniuſtitiam fecit, illos capiendo, ideo iſte ita ſe geſſit, ac ſi eos furatus eſſet, ſiqúe fructuoſum fuerit, quod emit, vt vineam, equum, &c. obligatur reſtituere omnes vineæ fructus, aut equi, aut vecturas, quæ ex equo fierent.

Quarta Regula, quando quis emit, aut cepit aliquid alienum, ſciens illud alienum eſſe, ſed non intendēs re illa vti, ſed vt poſtea domino reſtitue-

restitueret; si illud, quod cepit, aliquod passus fuerit detrimentum, dum sua est in potestate, sed non lata sua culpa, vt superius dictũ fuit, cùm de depositis tractabamus, non tenetur aliquid restituere; imò dominus obnoxius esse videtur pecuniam ei restituere, quam impendit, illud emens, atque tenens secum. Veluti si vidés ego aliquem vendenté equum, quem sciebã esse Petri, illũ habui aut emẽdo, aut mecum tenendo, intentione illum restituendi Petro, & dum in domo mea eum tenebam, moritur absque mea culpa, non tenetur aliquid Petro restituere, imò Petrus tenetur restituere mihi quod impendi in equo suo recuperando.

Quinta regula, cùm aliquis aut bona, aut mala fide aliena bona cepit, & per aliquod tempus in restitutione faciẽda immoratus est, intereaq́; res aliena deterior fit, dum possideretur ab illo, si moraliter pro cõperto habetur, quòd eodẽ modo, quo deteriorata fuit, dum ab illo possessa erat, deterior quoque facta esset in manu sui domini, quia eam tam bene tractabat, quàm tractare ille potuisset, opinio est nimis probabilis, eum non teneri ad aliquod restituendum, cùm aliquod non intulerit detrimentũ domino rei, vt assertũ iam fuit, quia quomodocunque perire illa debebat, etiam si ab eo possideretur, vt diximus, neque aliena res in manu sua est, ratione cuius ille teneatur: ergo non tenetur aliquid restituere. At si ratione moræ in restituẽdo perdit dominus occasionem vẽdendi, aut vti ea re ille poterat,

terat, obnoxius eſt reſtituere: nam mora, quã fecit, cauſa extitit, vt alter rem ſuam amitteret. Quemadmodum exempli gratia, emerat quis alterius equum, & poſtea ſciuit non eſſe venditoris, nec tam citò reſtituit, vt reſtituere tenebatur; interea verò moritur equus, ſi ille moriturus erat quocunq; modo in domo ſui domini, non tenetur, qui emerat, aliquid reſtituere: at ſi propter moram reſtituẽdi equũ non potuit illum dominus vẽdere, nec eo vti, tenetur pretiũ ſoluere, quo valebat equus. Ob hanc Regulam nonnulli aſſeuerant, & probabiliter, quòd ſi diues aliquis in vineis ſuis habet (loquor ſub exemplo) aliquas virgultorũ faſces, aut quid ſimile, quibus nõ vtitur, imò eas parui facit, dicendum eſt, non teneri eum ad aliquid reſtituendum, qui eas abſtulerit, cùm nullum diues ille detrimẽtum patiatur, eo quòd eis non vtitur.

Sexta regula, quãdo bona fide quis rem alienam acceperit, atque priuſquam tempus præſcriptionis adueniat, in qua à Republica dominus ipſius rei conſtituitur, non ignorauit eam alterius eſſe, tenetur eam ſuo domino reſtituere, ſimul & fructus ex illa perceptos: at ſi res deterior facta fuit, vel eius fructus alicui fuerit elargitus, veluti Monaſterio, aut Xenodochio, nõ tenetur aliquid reſtituere, cùm rem non habeat alienam, ratione cuius teneatur; ſiqúe alienum illud extiterit, ſed ex eo fructus alicui dederit, tenetur ſolum illud reſtituere. At ſi rem alterius eſſe ſciebat poſt tẽpus præſcriptionis, ad nihil tenetur, cùm à

Republi-

Republica præcipiatur, quòd bona fide aliquid poſſidens pro certo temporis ſpatio, elapſo tempore illo, ſit verus dominus ipſius rei, quam poſſidendo tenet, & hæc eſt ipſa præſcriptio.

Septima regula, cùm aliquis mala fide aliquid percipit, ſciens id alienum eſſe, aut cùm ſuſpicaretur latronem eſſe illum, qui eam dedit, aut vendidit, aut malæ conditionis, & famæ, ſiue ante præſcriptum tempus ſit, ſiue poſtea, tenetur illud cum fructibus reſtituere, & quamuis detrimentum aliquod patiatur, aut furtiuè ablatum fuerit, obnoxius eſt omnino ad reſtitutionem faciendam. Ratio eſt, quia illud recipiendo iniuſtitiam commiſit, vnde iſte habendus eſt, ac ſi illud ſurripuiſſet.

De impedientibus alios, ne aliquod bonum conſequantur. §. 31.

CIrca eos, qui reſtituere tenentur, eo quòd impediunt, cùm alter alteri aliquid elargiri voluerit, vnde cauſa eſt ille, ne elargiatur, notandæ ſunt quatuor Regulæ.

Prima. Impedientes per modos licitos, non autem iniuſtos, non teneri ad aliquid reſtituendum. Quemadmodum ſi quis teſtari volens, legat alicui bona ſua, & Petrus diceret, vt alicui Monaſterio legaret ea, aut Xenodochio, cùm opera ſint magis pia, vnde ex iſtis verbis impulſus ille nequaquam elargitus eſt ei, cui elargiri volebat, ſed Xenodochio bona ſua legauit, tali caſu non tenetur Petrus ad aliquam reſtitutionem faciendam, cùm in hoc nemini detrimentum intulerit, niſi illi conſulit,

lit, vt hoc opus magis pium conficeret, quod quidem exequi suum erat.

Secunda Regula. Quando quis impedit, ne aliquid alteri detur, sed per modos iniustos, nempe illum mendaciter insectãdo, cui alter conferre quid volebat, ac testem aliquem cõtra eum suscitando, vel vim inferendo, vt res nequaquam elargiretur ei, tenetur ob hoc illatum impedimentum restituere, quod ab altero erat illi relinquendum. Videlicet tenebitur Petro restituere, si certũ erat, quòd procul dubio aliquis ei exhibere illud volebat, nisi ei alter mendax obtrectare voluisset. At si res pro comperto non habebatur, sed tantùm ille quasi proposuisset id facere, non tenetur totum restituere; sed ex eo, quod restituendum erat, adimere aliquid poterit, quamuis modicum, quia cùm modicum à re aliqua distet, pro nihilo reputatur, quapropter quasi totum restituere tenetur.

Velut si quis in articulo mortis centum ducatos relinquere vellet Ioanni, & Petrus, cùm ibi adesset, diceret, vt Ioanni minimè relinqueret, quia hoc vitio, aut illo irretitus est, nec tam vir bonus habetur, vt sibi persuadet, istudq; mendaciter diceret, tali casu obnoxius est ad restituendum Ioanni ducatos centũ: nam etsi Ioannes ius non habebat, vt centum illi aurei sibi conferantur, attamen habebat ius, vt Petrus per iniustos modos ab eo illos nequaquam auferret. Ex ista regula dignosci poterit, quòd si quis iam moriturus, vt sæpe accidere solet, relinquere bona sua vellet, aut

partem ex illis alicui Xenodochio, vel alteri, gemitibus, ac fletibus impulsus suorum astantium, quasi tædio affectus ab illis, non relinquit eis illa bona, quibus relinquere iam voluerat, videtur isti obnoxij ad restitutionem: nam moraliter loquendo, hæc est vis efficax, vt infirmus ille non relinquat Xenodochio, neque monasterio, quod relinquere iã volebat.

Tertia regula. Quando iniustè aliquis egit, vt villicus, aut sartor, aut quilibet alius iter faceret, atque ob id à labore eos desistere fecit, tenetur eis restituere quicquid illi lucrari omiserunt.

Quarta regula. Cùm quis causa est, vt debitor minimè debitum soluat, tenetur tantum restituere, quantum alter ille soluere tenebatur. Quemadmodum, si quis coniecit Petrum in carcerem pro centum aureis, quos ille debebat; Ioannes verò opem fert, vt è carcere egrediatur, tali casu Ioannes tenetur soluere illos centum.

De his, qui ex officio tenentur res publicas distribuere. §. 32.

Circa id, quod distribuendum ab illis est, qui communia bona distribuunt, vt sunt beneficia, dignitates, cathedræ, quatuor annotandæ sunt Regulæ.

Prima, qui rem iustè distribuit, quam distribuere ille debebat, non tenetur aliquid restituere.

Secunda, qui beneficium contulit, aut præbendam indigno bona fide, relinquẽs dignũ, putans digniori illam se conferre, postmodũ

verò

verò ſe deceptum eſſe dignoſcit, non tenetur reſtituere, cùm alienum minimè habeat, nec iniuſtè aliquid diſtribuerit.

Tertia regula, qui beneficium, aut præbendam indigno contulerit, omittẽs bene merentem, quem ipſe agnoſcebat, obnoxius eſſe videtur ad reſtituendum duas ob cauſas.

Prima, cùm iniuria populum affeciſſet, miniſtrum indoctum ei præbendo, doctum autẽ auferendo, qui merebatur. *Altera* eſt, cùm iniuriam intuliſſet bene merenti: tali caſu tenetur iſte beneficiũ ei reſtituere, aut aliud, quod illi, à quo beneficium abſtulit, tantum valeat, aut quod iuxta iudicium ſapientis reſtituendum fore iudicabitur, vtilitate cõſpecta, quæ obtingere poterat ei ex dignitate, quam alter ab ipſo iam abſtulerat.

Quarta regula, conferens beneficium, aut dignitatem benemerenti, non autem digniori, qui magis merebatur, meo iudicio tenetur reſtituere. Quod clarius eſſe dignoſcitur in his, qui præuio examine beneficia conſequuntur, aut quamlibet aliam præbendam aut dignitatem, cùm à lege, aut ſtatuto præcipitur, vt digniori illa elargiantur: ergo obnoxius eſt ad reſtituendum, quia iniuſtè legem infringit, præterea mortiferè delinquit, quemadmodũ omnes idem ſentire videntur. Ac aduertendũ eſt, quòd ſi Epiſcopus, aut vicarius, cuius eſt conferre beneficia, expoſuerit aliquos, vt examinet, tenentur illi affirmando dicere quiſnam dignus ſit, quive dignior: nam ſecus affirmantes, peccant mortaliter. Si autem dice-

ret Episcopus, vt nequaquam digniorem dicere velit, sed tantùm, an eos dignos inuenerit, nil aliud significare videretur, nisi quòd ipse, vt libet, beneficium vult conferre, non autem vt iubetur à lege, atque in hoc opus est, vt examinatores absque metu respõdere Episcopo, aut alijs audeant: nam quod nunc fieri assolet, magna temporibus nostris miseria est. Inspiciendum igitur, atque seruandum erit magis præceptum Dei, quàm id, quod præcipitur ab Episcopo.

Tertium Caput. §. 33.

TErtium caput est, quo ad illud, quod erit restituendum. Circa hoc tres sunt regulæ adnotandæ.

Prima, æquiualens restituendum est.

Secunda, quando quantitas, quæ capta fuit, aut recipitur, certa fuerit, restitui debet æqualis illa quantitas.

Quemadmodum, si quis gemmam furatus fuerit, restituere illam tenetur: furatus est ducatos centum, tenetur centum illos restituere: si verò gemmã non habet, obnoxius redditur ad restituendum æquiualens.

Tertia regula, cùm non erit certa, ac determinata quantitas, vt in re illa, quę propter damna illata restituitur, restituendũ erit æquale. Sed quoniã in huiusmodi restitutionis materia assignari nequaquã potest indiuisibilis quantitas, vt in altera materia, ideo restituenda quantitas totum illud erit, quod à viro prudente restituendum fore iudicabitur.

Quartum Caput. §. 34.

Quar-

QVartum reſtitutionis caput eſt, cui ſit faciẽda reſtitutio. Vt caput iſtud rectè dignoſcatur, notãdum eſt, reſtitutionem, nempe reſtituendi obligationem naſci à receptione bonorum alienorum, vel quia bona illa iniuſtè ſurrepta fuêre: ſi naſcitur, quia ipſa bona detinentur, quinque regulæ ſunt aduertẽdæ.

Prima, cùm rem alienã quis acceperit, quam reſtituere tenetur, debet ordinatè eam domino reſtituere, niſi quando dominus eſſet furioſus, atque vellet, vt ſe interficeret aut perderet: tunc enim reſtitui minimè debet, niſi cùm opus fuerit. Si verò reſtituere voluerit, danda erit illa tutori. Idem eſt, quando pupillus, aut filius, adhuc ſub poteſtate patris cõſtitutus, aliquid dederit, quod dare nequaquam poterat, non eſt ei reſtituendũ, ſed eius patri, aut tutori. Idem eſt, quando res aliena euerſura eſt Rempublicã, nõ erit reſtituenda: nec cùm reſtitutio rei alienę vertitur in Eccleſiæ detrimentum, neq; Prælato, aut alteri, ad quem attinebit, reſtituenda res erit, dum ab eis malè tractanda fuerit, cùm ille ſit prodigus: ſed ſatis eſt, ſi depoſita erit, donec alter occurrerit, qui eam minimè diſſipauerit. Extra hos caſus, ſemper reſtituendum eſt domino, cùm à iuſtitia præcipiatur, rem alienam reſtituendã eſſe ei, cuius illa eſt: atq; in hoc cõſiſtit æqualitas, vt detinere nequaquam amplius poſſim, quàm debeo detinere, & certũ eſt, quòd niſi rem illam reſtituero, plus me habere oſtendero; alium verò minus.

Secunda regula, quando dominus rei diem

suum obierit, restituẽdum est hæredibus, cùm ipsi iuribus defuncti succedant.

Tertia regula, quando dominus abest, si res bona fide tenebatur, satis est, certiorem illum facere, ac denuntiare vt veniat, aut alium mittat, qui eam valeat recuperare: veluti si possiderem ego bona fide aliquam hæreditatem, postmodũ verò illam alterius esse non ignorauero, qui longè abest, sufficit mihi ei denũtiare, dicens me hæreditatem hanc possidere, putans esse meam, nunc autem cùm tuam esse dignouerim, satagas, vt illa tuo nomine capiatur: nam eam ilicò restituero. Hoc satis est, nec necesse erit aliquid in ea restituenda insumere. Si verò mala fide possidebam, res verò valet magno pretio, teneor eam meis sumptibus mittere vbicunque fuerit ille, non autem sumptibus domini: nam minimè decet vt dominus aliquid impendat recuperando quod suum est, cùm iniustè illam abstulissem: si autem parui momenti foret, atque valoris, satis esset eam pauperibus elargiri, aut satagere, vt tot dicantur Missæ pro eius anima.

Quarta regula, quando certum est debitum, dominus autem non comparet, pauperibus distribuatur, vel aliquod opus pium conficiatur pro illo, aut illis, quorũ bona illa erant. Velut si quis mercator, aut sartor, vel alter huiusmodi, se aliquid surripuisse non ignorauerit, sed dubius est, cui velit illud restituere, tenetur pauperibus elargiri, vel in operibus pijs distribuere, pro eo cuius est. Sed quid dicendum, si mercator ille, aut qui tenetur re-

stitue-

ſtituere, pauper eſt, licebitne, vt ſibimet illud elargiatur? Reſpõdeo, quòd ſi furatus eſt rem, quam debet reſtituere, non licet vt illam ſibi attribuat, cùm improbus ſit, & latro: at ſi alio modo eam habuit, bene poterit illam ſibi attribuere: quamuis ſi Confeſſarius reſtitutionem realiter recuperaret, tũc poterit ille, modò vellet, aut Prælatus latroni eam donare ſi pauper eſſet.

Quinta regula, hæc eſt circa res inuentas: ad quam dignoſcẽdam notandum eſt, ꝙ triplici modo ſunt inuenta conſideranda: nonnulla, quorum dominus nunquam fuit; alia verò, quorũ dominus extitit, ſed minimè viſus eſt; alia, quæ dominum antiquitus habuerũt, ſed nunc nequaquam habent. Quando quis res inuenerit, quas nemo habuit, non tenetur eas reſtituere, veluti ſi inueniret aliquis acinũ aureum, aut fragmen argẽteum, &c. in aliquo flumine, vel ad ripam aliquam, non tenetur illud reſtituere: nam de iure gẽtium res inuentæ, quarũ dominus non extiterit, conceduntur primùm eas inuenientibus, atque ſuſcipientibus, nec leges à Rege conditæ obſtare videntur, quibus prohibetur gemmarum piſcatus, vel fodinarum aurearum vſus: nam huiuſmodi leges tantùm prohibent, ne quis piſcatum exerceat gemmarũ, aut fodinis præaſſertis incumbat, ſed dominium non tollit ab eis, qui gemmam, aut aureum acinum inuenerint. Cùm quis rem inuenerit, quę cuius domini eſt inuenitur, ſed nõ comparet, ſi res ipſa inuenta eſt pecunia, reſtituenda erit pauperi-

bus: quãuis magister Sotus asseueret, ꝙ si quis pecuniã inuenit, ac omnimoda ytitur diligentia ad inueniendũ dominũ, nec inuenitur, poterit secum pecuniã illam retinere, nec tenetur eam restituere ob eandem rationem à nobis allatam, cùm de gemma, atq; aureo acino disseruimus: nempe quòd primùm illã inueniens, ac suscipiens, poterit secũ retinere. Opinio ista nimis est ꝓbabilis, licet tutius sit eam pauperibus elargiri. Quando verò res inuẽtæ fuerint equi, aut equę, quod in Hispania *monstrenco* vulgo nuncupatur, obseruãdę sunt regni cõstitutiones, & est quando animal amittitur, cuius dominus nequaquam inuenitur. Cùm aliquis rem inuenerit, quæ antiquitus à domino possessa fuit, nunc autẽ minimè possidetur, vt est thesaurus, si in sua domo, aut prædio inuenerit, non tenetur aliquid restituere; at si in alio fundo illũ inuenisset, fuitq; contra voluntatem domini loci illius, totus thesaurus erit domini ipsius loci: si autem ille certiorem fecit dominũ loci in eo esse thesaurum, ipse verò dominus paruipẽdit, imò neglexit, totus thesaurus erit illius, qui eum inuenit: si autem ex casu inuenit terram fodiendo, partiendus est æqualiter inter eos. Sed dubitatur, an si aliquis confodiendo thesaurum detegeret, & postea tegeret, atque à domino ipsius loci illum emeret, teneatur aliquid ipsi domino tribuere? Respondetur, Diuum Thomã contrariam tenere sententiam, imò laudatur iste in Euangelio, vbi dicitur: *Regnum cælorum simile est thesauro abscondito in agro, quem cùm inuenerit*

homo

homo abſcondit, & emit agrum illum. Quo verò ad quartum,& quintum, quod Regi competere videtur ? Reſpondeo, quòd qui theſaurum inuenerit,non tenetur ad aliquid,donec ab eo petatur.Quando reſtituendi obligatio ab aliqua re proficiſcitur, quę iniuſtè fuit ablata,tres regulæ ſunt adnotandæ.

Prima,cùm iniuſtè res illa fuit accepta, atque cùm iniuſtè data fuerit, reſtituenda eſt pauperibus.Hoc intelligitur poſt ſententiam iudicis: nam priuſquam à iudice condemnetur,reſtituẽda eſt domino, cuius res ipſa erat; quemadmodum ſi quis beneficium contulerit,vt ob id mille aurei dentur ei,aut iudicem pecunia corrumperet,vt ille ſententiam ferret pro eo, beneficium erit Eccleſiæ reſtituendum,vt ſuperius dictum eſt, cùm de ſimoniæ materia tractabamus : nam beneficium iſtud commune eſt Eccleſię, ideoqúe Eccleſia potuit inhabilem ad beneficium reddere illum, qui antea eo potiebatur:nempe ne illo amplius potiatur ; pecunia verò, quæ ratione beneficij collata fuit,reſtituenda domino erit, antequam condemnetur,cùm hoc ſuum peculiare ſit bonum:& cùm grauis ſit pœna,quando quis bono ſuo priuatur, non poterit ille priuari iſta pecunia,ſed condemnari ex delicto, quod admiſerit : nam dominio nemo priuatur,priuſquam iudex ſententiam ferat. Idem dicendum eſt de illo,qui pecuniam iudici fuerit elargitus,vt ille pro eo fauorabilem ferret ſententiam.

Secunda regula, quando iuſta eſt donatio,

& iniustè recipitur, restituenda res erit proprio domino, aut ei, cui detrimentum fuit allatum: nam ad vsuram mutuanti si quis pecuniam propter vsuram soluerit, non peccauit, cùm minimè prohibitum sit: qui autem mutuauit ad vsuram peccauit, quia prohibitum id est, ideo tenetur domino quicquid perceperit ratione vsuræ, aut iniusti cambij. Diximus insuper, rem esse restituendam illi, qui damnum passus est: nam iniustè ablatum non semper restituendum est domino, sed aliquando damnificato, velut si ego pignus meum in domo Petri detinerem pro certa pecunia, quam ei debebam, & latro illud furatus est, tenetur fur pignus illud restituere non domino, cuius erat, sed Petro, à quo ille surripuit: nam si illud mihi restitueret, iniuria Petrum afficeret, cui debebam ego super illud pignus certam pecuniam; at si mihi restituere vellet, vt postmodum Petrum de damno instaurarem, nẽpe soluendo ei quod debeo, satis foret. Sed quid dicendum, si quis aliquid furatus fuerit, quod alter postea fur ab eo furatus est, cui restituere debet, quod ille surripuit, domino ipsius rei, aut furi, à quo furatus rem illam fuerit? Respondetur, quòd domino debet illam restituere, non autem furi, sed de hoc certiorem debet facere furem, eiq; nuntiare, rem illam furatam non esse suam, neque ipsius, atque se ideo eam restituisse proprio domino, cuius erat, & hoc satis est, quo ad restitutionẽ, ad quam ille tenebatur.

Tertia regula, quando iusta fuit donatio, ac iu-

ac iustè recepta fuerit; sed ratio, ob quam donatio facta est, prohibetur, res non est restituenda. Quemadmodum, si aliquis improbæ fœminæ, ac impudicæ certam pecuniam fuerit elargitus, quamuis causa, ob quam largitus est, nempe fornicatio, vetita sit, & ideo peccatum admittitur: attamen donatio ipsa minimè prohibetur, neque prohiberi videtur acceptio, cùm ob huiusmodi causam & pecunia dari possit, & accipi, ideo non tenetur mulier ista acceptam pecuniam restituere, nisi pupillus, aut filius sub potestate patris pecuniȩ quantitatem ei contulisset, quam minimè potest conferre: tunc enim perdita illa mulier obnoxia est ad restituendam pecuniam nō pupillo, aut ei, qui sub potestate patris est, sed tutori, aut patri. Idem dicendum est de ludentibus, quòd quamuis ludus malus sit, atque prohibitus, nihilominus ex ludo pecuniam capere non prohibetur, ideo nihil tenentur restituere, nisi cùm interuenerit dolus, seu violentia inferatur, vt superius assertum fuit, cùm de ludo agebamus.

Quintum Caput.

QVintum caput est, vbi sit restitutio facienda, quod vt dignoscatur, notandȩ sunt duȩ regulæ.

Prima est, quando illud, quod restituitur, est ratione rei alienæ, si bona fide possidebatur, restituenda est, vbi fuerit ille, velut si quis hȩreditatem possidebat, aut aliud bona fide, putans esse suam, & postea alterius esse non ignorauit, atque longè dominus eius abest, resti-

restitutio illic erit facienda, vbi possidens hæreditatem moratur: nec opus est aliquid impendere mittendo eam, aut restituendo domino, sufficit eum monere, se habere rem illam, quæ sua est, vtq; ei nuntiet, cui voluerit illam esse restituendam, cùm ipse paratus sit restituere, nec præter hoc, aliud agere obnoxius erit.

Secunda regula, quando, quod possidetur, ratione est rei iniustè ablatæ, restitutio illic erit facienda, vbi dominus est ipsius rei restituendæ, velut si quis magni valoris aliquid esset furatus, dominus verò abest, qui furatus est, tenetur illud mittere, vbicunque fuerit ille, absque aliquo domini detrimento suum recuperandi: at si modicum est, quod debetur, iam supra dictum fuit, nempe satis esse, dum pauperibus largiretur.

Sextum Caput.

SExtum caput est, quando restituendum sit, quod restitui debet. Regula est generalis, restitutionem ilicò esse faciendam, modò commodè fieri potest. Quoniam pręceptum Dei est dicentis, ne inuito domino rem alienam quis detineat. Quapropter cùm statim possit commodè restituere, & non restituit, peccat. Tenetur iste animum habere paratum ad restituendum ilicò quod debet, cùm commoditas aderit sibi, quamuis actus exterior statim non sit exequendus, sed iuxta prudentiam. Quemadmodum si media nocte reminiscor me debere Petro viginti nummos aureos, nõ debeo tunc me ad domum Petri conferre, vt

resti-

reſtituam ei quod debeo: ſatis eſt vt vadã meridie, aut veſpere. Idem eſt cùm tempeſtuoſa nox erit, aut ſi ille, cui reſtituendum eſt, eſſet furioſus, & ſic in alijs huiuſmodi caſib'. Hoc pręceptum ſic obligat, quòd ſi quis voluerit confiteri, dicens: Confiteor me non reſtituiſſe quod debeo, & idem fecit in prętcritis confeſſionibus, non eſt abſoluendus, ſed dicendum erit ei à Confeſſario, quod ipſe credit illud habere bonum reſtituendi propoſitum, ſed quamuis hoc credat, tamen reſtituat ille ſtatim quod debet, ſi reſtituendi erit ſibi cõmoditas: nam bonum minimè erit, vt ipſe condemnetur, & ille; ſi verò hoc non egerit Confeſſarius, tenebitur reſtituere quicquid debebat alteri: nam moraliter cauſa eſt, vt alius nõ reſtituat quod debet, cùm officio ſuo non rectè fungatur. In hoc animaduertat Confeſſarius oportere, vt ille ſit prudens, & audax, ſub damnationis pœna. Tres ſunt occaſiones, ob quas ſoluitur quis ab obligatione ſtatim reſtituendi.

Prima, cùm ille, cui debitum eſt ſoluendũ, debitori conceſſerit aliquod tempus, in quo dicit ſe illum non infeſtaturum, aut ſpatium ſit trium menſium, aut trium annorum, &c. at elapſo tempore conſtituto, ſtatim, ſi commodè poterit, tenetur reſtituere quicquid debet.

Secunda, eſt ignorantia inuincibilis, veluti cùm aliquis ignorauerit, an illud, quod detinet, ſit alienum: tali caſu conſpicuum eſſe videtur, quod ipſe ſic ignorans, non tenetur aliquid reſtituere. *Tertia*,

Tertia, est impotentia, nempe quando quis non habet potestatem restituendi: vt dignoscatur, cùm aliquis non potest, nota quinque sententias à Theologis positas.

Prima est, quando quis non habet: nam in tali casu nec Deus, neque Rex, neque Respublica ad restituendum obligat.

Secunda, quando quis restituendo in extrema remanserit necessitate, non tenetur tunc restituere quod debet, cùm necessitas nequaquam legem habeat, atque in extrema necessitate omnia communia esse videtur, illudqúe, quod à creditore poterat auferri, melius foret non ei restituere.

Tertia, cùm aliquis ob restitutionem, quam debet, euasurus est pauper, atque à statu suo casurus, si creditor non indiget re illa, quam ei debeo, non teneor restituere, neque à statu meo cadere: at si creditor nimis indiget, adeoqúe eleemosynam quęrit, teneor restituere quod ei debuero: ego verò, vt mihi eleemosyna elargiatur, deberem exposcere, meliusq; est, vt potius ego petam, quàm ille, cui debitor sum. Quando autem quis nonnulla bona possidet, quæ sua non sunt, sed furando acquisiuit, aut iniustè operando, obnoxius iste erit ad statim restituendum quod debet, quamuis statum, in quo est, perdere debeat, ac (exempli gratia) iterum ad artem reuertatur, si prius artifex erat.

Quarta est, quando, vt debitum quis restituat, nonnulla detrimenta passurus est in proprijs bonis, creditor autem nullum consequi posset

possetemolumentum, ac illi damno remedium poterit vtique adhiberi, si restitutio differtur. In tali casu non tenetur ilicò restituere, sed tempus magis opportunum expectare, velut si quis centum, aut mille aureos deberet, ac vt eos soluat, opus est ei vendere domum, aut aliud stabile, quod mille valet, sed nunc non inueniat qui centum soluat, non tenetur debitum illud soluere tanto cum detrimento suorum bonorum: nam qui quasi non potest, reputatur ac si minimè possit. At si est magnum damnum, cùm grande debitum suum sit, aut quia si nunc soluerem, non potero centum lucrari, tunc teneor statim soluere.

Quinta est, quando restitutio in domini fuerit detrimentum, vt si quis est furiosus, ego autem ensem eius habeo, tunc non teneor illum restituere, dum periculo me obiecero, vt ille, aut me, aut seipsum interficiat.

Septimum Caput.

SEptimum caput est, quonam modo restituendum sit debitum. Ad hoc dignoscendum quatuor debent regulæ adnotari, aut quatuor modi.

Primus, debet debitor petere à creditore, vt sibi ille debitum ignoscat: quę quidem petitio aut per se fiat, aut per Confessarium, siqúe creditor ille ignouerit, à solutione debiti liber erit. Quemadmodum si quis centum alteri deberet, poterit ad eum se conferre Confessarius, cui debentur, ac dicere, scio quendam tibi debere centum, sed quamuis soluere queat, attamen nimis indiget, quod pro comperto habeo,

beo, ideo vt ignoscas expostulat: si ignouerit ille, immunis erit ab onere soluẽdi, dummodò id fraudulẽter, aut dolosè petitum nequaquam fuerit.

Secundo modus, res occulta occultè restituenda erit, manifesta autem manifestè: nam minimè satisfaceret publicus vsurarius, si publicè non restitueret quod ille debet.

Tertius modus, non sunt restituenda quæ inferioris sunt ordinis cum detrimento, aut periculo ordinis superioris. Inferioris ordinis nuncupantur bona temporalia, superioris verò nuncupãtur fama, honor, vita: nam magis valet honor, quàm bona; & magis vita, quàm honor. Quando igitur ob debiti solutionem periturus est honor meus, velut si me furem esse non ignoratur, &c. aut mihi vita adimeretur, tunc restituere minimè debeo, tãto cum periculo honoris, & vitę, nisi temporalia bona tanti essent valoris, ac æstimationis, quòd vitam, atque honorem alicuius excellerent. Quemadmodum si pincerna non ignorat, cùm ipse rem occultauerit, filium regis, qui in hęreditatem regni successit, non esse filium regis, & aufertur Regnum ab eo, cui iure successerat, tenetur veritatem fateri, quamuis adsit amittendæ suę vitæ periculum: nam magis æstimatur Regnum, quàm particularis hominis vita. Hinc colligitur, quòd mulier, quæ cùm adulterium commisisset in dedecus viri, concepit filium, qui hæres primogenituræ successerit, aut in bonis mariti, cùm eius filius nequaquam sit, non tenetur fateri delictum

ctum, imò semper illud occultare, neque aliquid filio dicere teneretur, tum quia non obligatur se diffamare, nec se obijcere periculo vitę, cùm superioris sit ordinis, tum etiam, quòd licet id filio nuntiaret, cùm ille prudens sit, non debet credere: vnde si diceret, nullum proficisceretur emolumentum.

Quartus modus, quando quis mentiendo aliquem infamauerit, modus restituendi est, dicere se mentitum esse; at si iustè, dicendo veritatem, quę occulta erat, infamiam dixerit, non opus est dicere, se protulisse mendacium: nam sic dicendo tunc mentiretur, & mendacium nequaquam dicendum est, etiam si totum mundum lucraretur: sed ordo dicendi erit iste, videlicet, quod de illo dixi, falsum, non verum loquutus sum, vnde quod dixerim, nescio, cùm me ipsum deceperim: nam sunt duo veritatis genera, vnum in practica, aliud verò speculatiuum est genus: & quamuis speculatiuè veritatē loquutus sit, nihilominus practicè mentitus est. Præterea iuxta Scripturam delinquunt omnes malè agentes, & ideo verum loqui poterit dicens, se ipsum decepisse, &c. Sed hic animaduertere debet Confessarius, quòd cùm aliquis ad confessionem accesserit ex istis, qui soluere debent debitum, atque se modum non habere dixerit, Confessarius debet inquirere, an illud, quod debet, furatus sit, aut aliquo casu in eius manu peruenerit. Si furatus est, dicat vt si duo habet pallia, vendat alterum: si cubilia duo, vnum pro se retineat, sicq; stragulum aliquod bonum

sibi foret, vendat illud, & aliud emat, quod tanti non valeat: de reliquo restitutionem faciat, & sic de alijs his similibus. At si dixerit, se habere filios, aut aliam afferret excusationẽ, respondeat, eum omnino teneri ad soluẽdum quod furatus est, cùm se tantis malis implicuisset, æquo animo illa ferat. At quando debitum alicuius rei surreptum non fuerit, sed casu aliquo in alienas manus peruenerit, mitiori modo cum pœnitente poterit se gerere Confessarius, vt supra fuit assertum.

Octauum Caput.

OCtauum caput est, quisnam ordo seruandus sit in restitutione facienda. *Primò* respondetur, quòd si cuncta soluendi debita opportunitas fuerit, cuncta soluantur.

Secundò, si modus soluendi omnia debita non aderit, soluenda prius sunt magis certa, postea verò incerta, quo vsque solui poterit, nisi quando incerta sunt alicuius Ecclesiæ: nã tunc prius sunt illa restituenda. Veluti si quis haberet in domo sua aliquem calicem, aut sacerdotalem aliquam vestem, ac vereretur an surrepta illa fuerit, aut iustè empta, vel ad vsuram data, tali casu calix, aut vestis restitui ante omnia debet Ecclesiæ.

Tertiò, quando certa sunt debita restituenda, primùm erũt ea, quæ in propria specie perseuerant, quàm alia: vt si quis gemmam in deposito habebat, vel torquem, ac vineam prius emerat, cuius pretium nondum soluerat, soluendum est illud antea, & hoc intelligitur quando vineam non emisset dilata pecunia: nam

nam tali casu alius terminus esset. Quando res non erit in propria specie, dico in foro exteriori ordinem restituendi legibus Regni conformari debere, in foro autem conscientiæ, prius debēt antiquiora debita restitui, quę fuit hipothecata, ordinatim à primo incipiēdo, donec non defecerint bona. Quòd ita bonū sit, probatur: nam primus, cui aliquod debebatur, prius habuit actionem super debitoris bona, quàm secundus; & secundus prius habuit, quàm tertius: ergo ab eo huiusmodi ius non est auferendum, sed prius ei debitum solui debet. Modus ab vsurarijs seruandus hic est. Si modus est omnia soluendi debita, tenetur omnia soluere: secus soluenda sunt prius debita licitè contracta, quàm lucra & vsuræ. Quemadmodum si quis mercator debet alteri centum aureos, quos ei mutuauerit, & centum alios debet ratione vsuræ, soluendi antea sunt centum illi mutuati, quàm vsuræ, nisi in duobus casibus.

Primò, quando res in propria specie perseuerant. *Secundò*, cùm quis se impossibilem reddiderit, vt non solueret vsuras, velut si mille suo socero aureos promisisset. In his duobus casibus prius restituenda erunt, quę in sua propria specie sunt, quàm debita licitè cōtracta. Secundo autem casu antea sunt vsuræ soluendæ, quàm ea, quę suo socero promissa fuēre. Sed dubitatur, si quis mercator, antea quā sua decoxisset bona, antiqua debebat debita soluere, ac alia debita soluere tenebatur suo socero, quę tam antiqua non erāt, quàm alia,

qui mercator soluit debita socero, & ob solutionẽ istã nil remanet, vnde alia antiqua debita non potest soluere, quæritur, an id tuta conscientia possit efficere? Respõdetur, quòd si prius quàm bona decoxisset, seu consumpsisset soluit, tutus est in conscientia: nam antequam illa decoqueret, aut non decoquendi in statu esset, soluere ille poterat cui volebat. At si soluit postquam decoxit, non potuit id efficere bona conscientia; tunc etenim primi actionem habebant super sua bona ante socerum, & ideo primis soluenda debita erant, & hoc satis sit quo ad restitutionis materiam.

Declaratio octaui Præcepti. §. 34.

OCtauum Præceptum est: *Non dices falsum testimonium.* Circa præceptum istud notandum erit, quòd non solum contra hoc deliquerit ille, qui falsum testatur contra proximum, verùm etiam delinquit, qui contra seipsum testificabitur, ideoque Christus Redemptor noster, & Dominus, cùm hoc in Euangelio retulit, nihil aliud dixit, nisi: *Ne loquaris falsum testimonium.* Aduertendum est etiam, non tantùm illum peccare, qui falsum dixerit mentiendo, sed etiam qui iniustè dixerit veritatem. Velut cùm quis sciens defectum fratris sui, dixerit illum coram alijs: nam etsi verum fateatur, tamen à peccato non videtur immunis. Aduerti quoque debet, non solùm hoc præcepto prohiberi, ne quis proximi famæ velit detrahere, sed etiam præcipitur nobis, vt eum laudibus commendemus, nec aliquid in eius præiudicium, aut honorẽ, vel famam

scru-

ſcrutemur, imò eius honoré cuſtodire, atque tueri debeamus, nõ ſecus ac noſtrum, eum tuendo, cùm aduenerit occaſio. Demũ hoc præcepto omnia mendaciorum genera, blanditiarum, nugarum, aſſentationum, adulationũ, ac temeraria iudicia prohibentur.

Peccata, quæ contra hoc præceptum admittuntur.

OMnia peccata contra pręceptum hoc tribus in ramis includuntur. *Primo* ſunt peccata, quæ in iudicio fiunt, ex parte Iudicis, Aduocati, Procuratoris, Teſtis, Accuſatoris, & Rei. *Secundo* includi videntur infamiæ, detractiones, murmurationes, deriſiones, nugæ, mendacia, & tandem quodcunque peccatum, quod lingua committi poterit. *Tertio* autem ramo iudicia ſunt temeraria, atque ſuſpectus. Ad primum rediguntur cuncta peccata, quæ in iudicio committuntur, nempe illa, quæ Iudex admiſerit, Aduocatus, Procurator, Accuſator, falſus Teſtis, ac Reus. Contra præceptum iſtud peccat Iudex, cùm iniuſtè ſententiam tulerit, aut quia contrariam partem beneuolentia complectitur, aut quia muneribus corrumpitur, aut delinquit ob ignorantiam, vt ſi quid iudicet ignorat: peccat iſte mortaliter, atque totum damnum reficere tenetur, quod contra illum intulit, ſententiam ferendo, cui erat ius, niſi Iudex ille ſit, qui rebus ſtudet, quarum ſententia ab eo ſit ferenda, atque ſemel iniuſtè ſententiam tulerit, putans factum pro comperto habere, cùm non rectè inſpexerit, quamuis rectè ſtuduerit, non obligatur iſte tali caſu reſtituere, nec pecca-

tum aliquod admisit, cùm error ille inuoluntarius fuerit, vnde illi nequaquam adscribitur. Item Aduocatus, qui in lite iniusta sententiam suam profert, atque eam defendit, ac Procurator procurans iniustas causas, peccant mortaliter, & obnoxij sunt damno reficiendo, quod ex tali causa venturum erit illi, qui habet ius, cùm ab eo illud auferatur. Peccat mortaliter etiam Testis, qui cùm sub iuramento à parte productus sit, vt vera fateatur, veritatem nequaquã dixerit, atque tenetur damnum illatum reficere, cùm verum minimè confessus fuerit. Hic dupliciter peccat, primùm, quia periurium admittit, deinde verò, cùm iniuriam alijs inferat. At non semper peccat, qui in iudicio mentitur, nisi cùm res magni erit momenti; nam secus veniale tantùm peccatum erit, & hoc verum est: nam cùm quis in confessione mendacium dixerit circa peccata venialia, nisi ex veniali peccato materia confessionis efficiatur, mortiferum non est peccatum. Tunc veniale peccatum confessionis materiam efficit, cùm pœnitens illud voluerit confiteri, & non solùm peccat, quando veritatem non dixerit, sed etiam cùm ex his, quæ non ignorat, aliquid tacet, licet verum exprimat: at si ob id condemnatur ille, cui ius erat, tenetur totum restituere damnum inde sequutum: quemadmodum si Petrus coram teste centum nummos Ioanni mutuauerit, & Ioannes coram eodem teste centum illos Petro restituerit, postmodum verò negat ille restitutam sibi

fuisse pecuniam à Ioanne, atque eundem producit testem, qui quidem iurat se vidisse Petrum tantam pecuniam, sed tacet postea fuisse illam redditam, tenetur eam soluere: nā cùm taceret quod sciebat, quamuis quo ad reliquum dixerit verum, alter obnoxius soluendæ pecuniæ extiterit. Peccat etiam Reus contra hoc præceptum, cùm Iudex ob indicia sufficientia, quæ habet, aut quia contra eū semi plenam habet probationem, nempe actorem, ac approbatum testem, aut cùm diffamatus est proximus, petit iuramentum, & negauerit ille veritatem, & præter peccatum admissum tenetur restituere, ac Iudici satisfacere ob illatam iniuriam, cùm nequaquam dixerit veritatem, quam iustè ab eo petijt. At cùm Iudex iuridicè non procederet, imò procedit absque iudicio, sed ob aliquem suspectum, quem de aliquo habet, petit iuramentum, illeque veritatem abnegat, minimè confitendo quod fecerat, quamuis periurium sit, (quod non credo) non tenetur aliquid restituere. Sed dubium est: An si Iudex aliquem caperet, qui deliquisset cum indicijs sufficientibus, &c. à quo cùm iuramentum exposceret, negauit, & hoc idem fecit, cùm torqueretur, qui si confessus esset, iudex condemnasset eum ad amissionem bonorum suorum, aut quia aliud in regnum pecuniam transtulisset, vel quia in hæresim incidisset: sed quia audacter nequaquam confessus est, absolutus fuit.

Quæritur, an iste ad soluendam pœnam tenea-

neatur, ad quam iudex condemnare eum debebat? Videtur quòd sic: nam iste veritatē negauit iniustè, atque à pœna se iniustè liberauit, ergo tenetur restituere. Respondetur, eum non teneri ad pœnam exoluendam, donec à iudice sit condemnatus. Quod tali casu probabile esse conspicitur.

Quidam ob delictum aliquod captus fuit, & propter illud suspendi debuerat, hic carceris custodem occidit, & vim inferendo extra egressus est, & sic aufugit, ac liber euasit; clarum est, eum non teneri se præsentare, vt suspenderetur, cùm præceptum istud tyrannicum esset, atque crudele: sed tenetur solum restituere carceris custodi illatam iniuriam, quod ob argumentum probatur, pœnam verò minimè, donec à Iudice condemnetur. Dubitatur etiam sic. Iudex iustè quendam cepit, à quo iuramentum expostulat, sed licet ille constanter negauerit, nihilominus iudex iubet eum torqueri, qui etiam negat, demū iudex ipse dicit Cōfessario, vt confessionem audiat illius delinquentis, qui verum fatetur Cōfessario, nempe se delictum illud commisisse, quæritur quonam modo in huiusmodi casu debeat se gerere Confessarius? Respondetur, quòd debet eum monere, vt sub mortalis peccati reatu veritatē fateri velit: si autem ille diceret se verum minimè dicturum, non debet eum absoluere, cùm propositum habeat mortiferè peccandi, aduertatq; Confessarius, quòd cū è carcere sit discessurus, hilari animo, atque læto discedat, vt iudex de aliquo mini-

me suspicetur, sicq; ille aliquid dixerit, semper debet ei respondere se officio suo functũ esse, nil aliud addendo: nam iudex aliud scire nequaquam vellet, nisi an verum ille dixerit, secus autẽ confessionis detectio foret, quod fieri nullo modo potest, vt dicetur postea, cùm de confessionis sigillo tractabimus.

Si iudex, quamuis ille confessus non fuerit, nihilominus iubet eum suspendi, Confessarius debet dicere delinquenti, vt suum peccatũ fateatur: & si ille respondeat satis esse, nam iudex eum suspendi faciet, siue verum dixerit, siue non, dicat Confessarius, hoc non sufficere, quoniam iudici non satisfecit de illata iniuria, veritatem non manifestando, cùm nonnulli in animum sibi induxerint Iudicem iniustè sententiam tulisse, vt ille suspendatur, atque cum huiusmodi suspectione remanserint, quod magnum dedecus erit iudicis, atq; si hoc non obstante, pertinax erit non confitendo verum, non est ille absoluendus, cùm intentionem habeat mortiferè peccandi, sicq; damnatur, culpa sua erit, non autem Confessarij.

Secundus ramus, sunt peccata, quæ committuntur verbis extra iudiciũ. Huius rami *primus fructus* contumelia dicitur, cuius definitio hæc est: Contumelia est, quæ verbis infertur proximo, ipso præsente: & est triplex. *Prima* contumelia est, quæ iniurias includit peccati, vt si ego aliquem ebriũ esse dixero, aut furem.

Secunda est, quæ Latinè conuitium nuncupatur, nempe si aliquem contumeliosis verbis

affecero, qui culpa vacaret, vt si ei dicerē, Iudæum esse illum, aut talem, cùm talis nequaquam sit.

Tertia est improperium, nempe quædam beneficiorum præstitorum exprobratio, qua exprobratur collatum beneficiũ, atque ruborem quendam inducit, veluti si alicui dicerē, hoc, aut istud pro te egi, quod dignoscere nescis, ex quo iniuria alter afficitur. Circa contumeliam *primò* notandum est, quòd ordinariè graue, ac mortiferum peccatum admittitur. *Secundò* nota, quòd omnia ista peccata linguæ totam malitiam habent ab intentione, aut materia, si graue peccatum fuerit: nam si quod dictum fuerat, leue est, nõ dicitur mortale, & si graue erat, intentio autem mala non fuit, puta iniuriandi, imò loquutus est non attendendo quod loquebatur, mortiferũ non est. At quando ex proposito loquitur, mortale, ac graue peccatũ admittitur. Idem est, cùm ex crassa ignorãtia dicitur: nam tenebatur aduertere, atque inspicere, quidnam dicebat, & ideo à peccato mortali immunis non fuit. *Tertiò* nota, quòd huiusmodi verbis improperij nemo vti poterit, nisi Prælati, ac patres, cùm de aliquo vitio suos subditos, ac filios reprehendunt: ideoq; diximus, quòd ordinariè peccatum erat, nisi in istis. Sed aduertant Prælati, quòd crebrò illis vti minimè debēt. D.Thomas asseuerat, rarò id fieri debere: Caietanus verò super Thomam ait, quòd tam rarò præassertis verbis vtendum est, ac si nunquã dicerentur: nam etsi qui improperiũ patitur,

titur, humilis videtur exterius, tamen interius premit altum corde dolorem, & ideo Prælati potius damnum inferunt, quàm aliquod emolumentum, cùm huiusmodi iniuriosis verbis vtuntur.

Quartò nota, quòd cùm quis aliquod exprobrat alicui beneficium coram gentibus, detegens defectum aliquem nondum ab alijs cognitum, non solùm mortiferè peccat, sed tenetur honorem ei restituere, quem coram illis abstulerit.

Quintò notandum est, quòd cùm quis tam vilis fuerit, quòd ob verbũ aliquod ei dictũ, quamuis leue, aut puerile sit illud, statim pudore afficitur, ac tanta iniuria affectus esse cõspicitur, quanta alter afficeretur, si ei maximã quis afferret cõtumeliam, peccat mortaliter, qui huiusmodi verbũ protulerit, iuxta Theologorum sententiam, modò illum facile pudere non ignoret, aut si monitus ipse fuit, ne quid diceret, & nihilominus dixit, nisi quando pudor ille ex timore proficisceretur, aut ex ineptitudine: at si vir ille, quẽ pudet, probus est, mortaliter delinquitur.

Remedium, quod huiusmodi iniurijs adhiberi poterit, hoc est. Humiliter veniam ab illis exposcere, quibus contumeliæ illatæ fuêre, ac ad eorũ pedes se proijcere, atque eos osculari, si opus fuerit, nisi Prælatus, aut Episcopus foret ille, qui affecit iniuria, qui hoc nequaquam agere debet, quia satis esset, honorem restituere, pecuniam, aut aliud conferendo, aut modo aliquo eum honorando, quem inho-

inhonorauit, ita ait B. Augustinus in sua regula. *Secundus fructus* secundi huius rami peccata contra proximum dicta continentis, nempe verbis, est detractio, videlicet cùm aufertur fama proximi, eo absente, occultis verbis. Peccatum huiusmodi nimis reprehenditur à Doctoribus in Scripturis, & Diuus Paulus ait: *Quòd si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini:* comedere, & mordere, nil aliud est, quàm proximi famæ detrahere, atque in Ecclesiastico nimis reprehenduntur detrahentes, ac eorum lingua famam, ac bonum nomen fratris sui lædentes. D. Petrus, quemadmodum à Sancto Clemente refertur, quadam sua epistola dicebat, tria esse genera homicidiorum, quæ quidem omnia eadem pœna puniri debebant. *Primum*, quo adimitur vita: *secundum*, quo proximus odio habetur: *tertium*, cùm fama aut bonum nomen aufertur. Sanctus Augustinus quædam carmina scripta tenebat in suo cubiculo, vbi edebat, quibus prohibens domum suam, ac mensam detrahentibus, sic aiebat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Tribus de causis deberet quilibet hoc vitium euitare.

Primùm, cùm in Scripturis adeo illud carpitur.

Secundò, quia ignominiosorum vitium est, ac effœminatorum, de proximo honorificè loqui coram eo, qui laudatur, postmodum verò illius absentis famæ detrahere, & velut

dici

dici assolet, eius corrodere calcanea.

Tertiò, ob nimiam inquietudinem, quam secum fert ille, qui huiusmodi vitio deditus est. Experiētia ipsa demonstrat, quòd qui fratris sui non detrahere famæ, nec de illa turpiter loqui excogitat, quandā secum affert consolationem, quietemqúe mirabilem. Fructus iste secundus triplex est.

Primò, seipsum infamare.

Secundò, detrahere proximo.

Tertiò, detractionibus aures præbere.

Prima igitur species, videlicet quando quis seipsum diffamauerit, vt Caietanus ait, peccatum est mortiferum in re magni momenti; tūnc verò præcipuè, cùm datur iuramentum, aut quis torquetur in iudicio, mortale peccatum esse asseuerat: adeò quòd si tormentorū metu aliquod ipsius delictum quis confiteretur, aut detegeret, cùm sit occultum, tenetur ad restitutionem, aut quod dixerat, reuocare. Ratio Caietani est, cùm iste ipsius famæ, ac bonæ æstimationis, ac nominis sui nequaquā dominus sit. Communis autem opinio verior esse videtur, nempe mortiferè eum non peccare, qui ita seipsum infamat, sed tantùm esse mendacem, siqúe illi dabitur iuramentū, mendax erit, si mentiretur. Huius sententiæ ratio est, quia suæ famæ vnusquisque dominus est, velut suorum bonorum, & quemadmodum mortaliter non peccat amittēdo sua bona, ita & amittendo famam nequaquam peccare videretur. Dicendū est non esse mortale peccatū infamare se ipsum, nisi in tribus

casibus,

casibus, quibus nullatenus debet homo suæ detrahere famæ, ac nomen bonum amittere, quod habet.

Primus casus, est hæresis: quicumque enim tormentorum metu, aut alia de re seipsum infamauerit, dicens se hæreticum esse, cùm re vera non sit, non solùm mortiferè peccat, sed obnoxius est restitutioni, tenenturq́; dictum reuocare. Ratio est, cùm magnum Religioni Christianæ afferatur detrimentum, & contumelia, si aliquis hæreticus esse dicatur, & ideo nemo seipsum debet infamare.

Secundus, peccatum est nefandum; nempe si quis diceret, se nefandum peccatum cõmisisse, cùm minimè commiserit, aut delictum, quod se perpetrasse dixerit, est occultũ. Vnde si detegeretur magnum dedecus foret suæ familiæ, peccaret mortaliter, ac restitutioni videretur obnoxius.

Tertius casus est in Prælatis, qui nullo modo seipsos poterunt infamare, imò tenentur honorem, atque famam ipsorum restituere, cùm ipsi addixerint, ac hypothecauerint famam suam conuentui, atque communitatibus, quarum ipsi caput sunt, ideoq́ue seipsos infamando, magna communitates ipsas afficiunt iniuria, atque mortaliter peccant, ex quo restitutionem facere tenentur.

Secunda species est, infamare absentem proximum occultis verbis, eius defectus occultos manifestando, aut de illis se ostentando. Hoc fieri solet, aut loquendo, aut per literas, aut tacendo, seu gestis, aut nutibus, demũ vero

rò quocunque alio modo, quo auferri fama poterit. Peccatũ hoc maius est, quàm bona aliena surripere: cùm fama, ac bonum nomẽ maioris sit æstimationis, quàm cuncta bona, quæ in toto orbe terrarũ inueniuntur. Igitur grauius admittit peccatũ, qui famæ detrahit. Sed veniale etiam peccatũ esse poterit, si quod de fratre suo loquutus est, leue erat; vt si quis diceret, aliquem non esse aptum ad chorũ, siue bonum Christianũ: at si quis diceret, aliquem esse mendacẽ, peccaret mortaliter: nam quãuis mendacium nõ sit nisi veniale peccatum; attamen mendacem esse, defectus est grauis, & ideo mortale peccatum admitteret, qui hoc diceret. *Secundò*, si maledicere est peccatũ veniale, euenit hoc ex intentionis defectu: nam, vt diximus, peccata linguæ suam habent originem, atque in intentione principium, ex qua illa aut grauia, aut leuia proficiscuntur: quandoque mala adest intentio, mortaliter delinquitur; quãdo verò damnum proximo inferẽdi non adfuit intẽtio, haud fuit mortale: sed nõ ideo excusatione dignus est ille, qui ex crassa ignorãtia aliquid dixerit, ob quod proximus infamatur, sicut si vnus ex istis nimium loquentibus inter quàm plurima verba dixisset aliquid, ob quod alterius abstulit famam, mortiferè peccauit, quamuis ille malam intentionem nõ habuit: nam tenebatur aduertere quod dicebat, & non lædere famam fratris sui. Ad huiusmodi speciem rediguntur peccata, quæ aliquis admiserit dicendo naturales defectus sui fratris absentis, qui pudibũ-

di sunt, vt si diceret aliquē esse Iudæum, Turcam, cùm id nequaquam sciretur, cuius ratio est: nam iste potius vellet, vt diceretur se concubinarium, quàm Iudæum, aut Maurum; atque si quis diceret eum esse concubinarium, cùm occultus sit ille, mortaliter peccaret: igitur mortiferè etiam delinqueret, qui diceret aliquem esse Iudæū, aut Maurum, aut Turcam, &c. Nonnulli contrarium asserunt, cùm prudentes, ac diserti viri id agāt, nec sibi de mortali peccato scrupulum faciūnt. Respondeo magnum esse argumentum: nam id agūnt nō aduertentes. Ad hoc redigitur etiam peccatū, quod aliquis cōmittit, cūm proximi famę detrahit, quam ille prius alibi iustè amiserat, sed postea alio in loco de illo bene audiebatur, ac in bona erat existimatione, velut si in hac ciuitate quis vt fur virgis cæsus esset, vt cùm se in Lusitaniam contulerit, aut ad aliam regionem, ibiq́ honorificè viueret, ac in bona teneretur opinione: alter diceret quòd illo in loco virgis cæsus ille fuit tanquam latro, peccauit iste mortaliter: nam contra charitatem deliquit; sed nō tenetur ei famam restituere, cūm non deliquisset contra iustitiam: si quidē per eūdem casum, per quem ille multatus fuerat, iustā ob causam ablatus ab eo fuit honos. At si si captus ille fuit ob delictū, ob quod merebatur, vt ab illo & fama, & honor auferatur, sed nequaquam ablatus est, imò liber extitit; postmodū verò ad aliā se contulit regionem, vbi honoratur, qui eū infamauerit, non vacabit culpa mortali, ac tenetur restituere famā

ac ho-

ac honorē, quem ipse habet: nam etsi meruerit ille, vt iustè fama sibi adimeretur, tamen adempta non fuit. Peccat quoque mortaliter, qui scripturas legit, aut literas, in quibus res sunt proximo ignominiosæ, præcipuè verò quædā confessionaria, aut memorialia, vbi quis sua peccata conscripserit, qui procul dubio tenetur ea tam occulta retinere, ac si in cōfessione, & sub confessionis sigillo habuisset: nam etsi ipsa cōfessio non sit, nihilominus ad confessionem est quædam præparatio, atque dispositio. Tam grandis est veritas ista, quòd licet quis legat in charta, proximum suum in grauia prolapsum esse delicta, non debet ea patefacere, quamuis ei sub excommunicationis pœna præciperetur. At de hoc copiosius tractabitur in materia de sigillo confessionis. Ad hoc etiam rediguntur, qui libellum ignominiosum conficiunt, quòd aliorum famam lædunt.

Peccant isti mortaliter, ac restituere tenentur, iuxta id quod vir sapiens, atq; prudens iudicauerit, aut iterum alia scripta ponere, quę restituere famam videātur, vel è Regno egredi, subscribentes se dixisse mēdacium, aut vitam amittere: nam, vt dictum est, honor, aut fama, quæ tollitur, huiusmodi esse potest, vt eam restituere teneatur, etiam si vitam perderet, velut si honor, ac fama alicuius Regni, aut Reipublicæ foret.

Peccant quoq; mortaliter, qui religioni patris nostri diui Dominici detrahunt, aut Diuī Frācisci libellis infamatorijs, vel de illis ma-

lè loquũtur, atq; in excommunicationẽ incidunt, cuius absolutio Papæ reseruatur: at nõ excõmunicatur, qui hunc, aut illum fratrem infamauerit, sed tantùm qui Ordinem lædit.

Tertia species est, detrahentes, aut maledicentes audire.

Notandum est, quòd qui aures præbet alicui famam proximi lędenti, atq; ex læsione illa voluptatem ceperit, peccat mortaliter: si verò qui audit malam non habet intẽtionem, non peccat, si ex necessitate audit. At qui ex vanitate quadam audierit, venialiter tantùm peccat, veruntamen si ab auditione ista aliquod notabile damnum euenerit famæ proximi, quod tunc accidere potest, cùm ille causa erit, vt alij audiant, ex quo notabile sequeretur famæ proximi detrimentũ, peccat mortaliter; si autem istius sic audientis intentio bona, ac simplex fuerit, quamuis causam dederit, ob quã alij audierunt, ac proximus notabiliter læsus est, ait Caietanus, fuisse quandã negligentiam, & proinde peccatum non esse mortale: nam si iste damnũ præuidisset, quod inde sequutum est, nequaquam permisisset, imò prohibuisset.

In tribus casibus mortiferè delinquit, qui detrahentem audit.

Primò, cùm ex officio tenetur, & potest, & non prohibet, quemadmodum si quis præsente Prælato alicuius famæ detraheret, neç à Prælato reprehenditur, neque impeditur illius detractio, peccat mortaliter.

Secundò, cùm ob humanos respectus lædentem

tem proximi famam quis audierit, quem minimè reprehendit, nec ab offensione illa impedierit, non vacat iste culpa mortali.

Tertiò, quando quis delectatur audire aliquem lædentem famã proximi, aut cùm commodè posset damnum impedire, quod ex ista detractione sequitur, nequaquam impedierit, mortaliter peccabit: nam tali casu tenetur detractionem impedire, quemadmodum esurienti cibum præbere teneretur, siue grauis iactura sit famæ, siue vitæ, aut aliarum rerum temporalium. Nota quòd qui detrahenti obstiterit, debet esse prudens, vt ab huiusmodi oppugnatione maius nequaquam detrimentum sequatur, vt solet contingere.

Modus, quo vtuntur detrahentes in restituenda fama, est iste.

PRimus, si mentiti fuerint, tenẽtur apertè dicere se dixisse mendacium.

Secundus, si detrahẽtes famæ proximi verum dixerint, sed iniustè, tenentur isti dicere, quòd seipsos deceperunt, nec quid loquuti fuerint, sciunt, quodve nequaquã verũ, sed falsum loquuti sunt, quemadmodum superius fuit assertum in materia de restitutione cap. 7. Audiens maledicentes in vno tantùm casu tenetur famam restituere, nempe cùm auditor ille causa extitit, vt alter sui fratris famam detraheret, ad ipsam detractionem illũ inducẽdo.

Tertius fructus huius rami est murmuratio, quæ est querela quædam de aliqua re, quam alter effecerit. Hoc peccatum nimis est graue, nimiumq; reprehenditur, atque multatur in

Scripturis, vt videtur libro Numeri, vbi legitur Deum castigasse Mariam sororem Moysis, eo q; de fratre suo murmurauerit. D.Thom. 2.2. de huiusmodi peccato nullam fecit mentionem, cuius ratio à Caietano affertur dicente: Nequaquam illum de hoc peccato loquutum esse: nam cùm murmuratio sit res imperfecta, redigitur ad aliquod peccatũ perfectum, quemadmodum si quis murmurãdo honori detraxerit, redigitur hoc ad contumeliam; si de fama quis malè loquutus sit, reducitur ad detractionem aut illatam iniuriam; si cuipiam aliquid præcipitur, & de præcepto illo murmurauerit, redigitur ad impacientiam; sicq; de eo, qui rebus bonis operam nauauerit, murmurabit, redigitur ad peccatũ ingratitudinis. Huius peccati grauitas ab effectu consideranda est, seu ab effectibus, qui ab ea proficiscuntur. Si ex murmuratione sequitur famæ, aut honoris detractio proximi in aliquo, quod nimium referre videretur, mortale peccatum est; si autem leue aliquid fuerit, minimè. Quatuor modis peccatum hoc potest esse veniale, quãuis suapte natura sit mortale.

Primò ob imperfectionis libertatem, nempe, cùm quis famæ detraxit, non aduertens quidnam ille dicebat: at vbi, quicquid dixerat, agnouit, ægrè tulit.

Secundò, cùm leue damnum illatum famæ extiterit, aut leuis iactura.

Tertiò respectu modi, cùm aliquis iocosè, aut ob animi recreationem, aliquid dixerit,

ob

ob quod proximi famæ detraxit.

Quartò intentionis defectu, nempe cùm aliquis minimè intendat sui fratris famam lędere, dixitq́; aliquid, vnde illius famæ detraxit, non peccauit mortaliter, cùm intentio sit illa, quæ aggrauat, aut minuit peccatum linguæ: at si huiusmodi verba essent, ex quibus proximi infamia sequutura erat; & cùm teneretur eum admonere, nequaquam admonuit, aliud non est, ac si ex proposito, ac verè detractionem illam appetisset, & ideo mortiferè deliquit. Hoc vitium ex animæ ariditate proficiscitur: nam cùm prona sit anima ad voluptatem capiendam, ac delectationem, quam dum in spiritualibus, ac in his, quæ Dei sunt, gustare minimè possit, cùm inimica Dei sit, ideo intendit eam quærere in his rebus momentaneis, atque terrenis, cumq́; illam non inuenerit, de his murmurat, à quibus voluptas ista sibi tollitur. Ad hoc D. Pauli verba faciunt, qui scribens ad Philippenses sic ait: *Fratres omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus*, cur nam hoc, aut illud factum est, *vt sitis sine querela veri filij Dei, ac simplices, atque sinceri coram Deo.*

Quartus fructus est susurratorum, inter duos se inuicem diligentes dissidium seminantiũ. Hoc nimis graue peccatum dicitur, atque in genere suo est mortale. Circa hoc notandum est, quòd si duo sunt concubinarij, alius verò dixerit alteri ex duobus defectus alterius, vt vterque inhonestam amicitiã illam derelinquat, nõ peccat; imò laudabile erit, si aliquos eues defectus dixerit, vt sic separentur.

Secundò: Quando quis duorum amicorum amicitiam minuit, per ea, quæ dixerit de altero amico ad alterum: Magister Sotus ait, non esse mortale peccatũ, sed veniale tãtùm: at verum est, mortiferum admitti peccatum, cùm ipsa diminutio est notabilis: nam amicus magis amicum existimat, eiusq; amicitiam, quæ ob causam illius diminuit, quàm volumen aliquod D. Thom. Cùm igitur sit mortale peccatum furari volumẽ illud, maius peccatum foret amicitiã tollere, cùm sit maius damnũ. Tribus ex causis peccatum istud fieri poterit veniale, quod sua met natura mortiferum est, aut ob libertatis imperfectionem, aut cùm leue sit damnũ, aut intentionis defectio, quemadmodum superius declaratum fuit, cùm de tertio fructu loqueremur.

Quintus fructus est mendaciũ. Circa hoc notandum erit, triplex esse mendacium, nempe *ridiculum*, vt si quis ad sui honestam animi recreationem mentitur, nemini damnum inferendo, venialiter peccat. Aliud est mendaciũ *officiosum*, quando neminem iniuria afficiendo mendax est, vt sibi aut alteri prosit, quod etiam est veniale. Aliud est *perniciosum*, cùm quis mentitur in re magni momenti, quam dicere tenebatur, vel ne. *Secundò* adnotandum est, quòd mentiri circa Scripturam, doctrinã, aut falsa miracula, peccatum mortiferũ est: nisi veniale illud fieret, cùm sit de re leui. *Tertiò* animaduerti debet, non semper mortiferè illum delinquere, qui in iudicio mentitur, nisi de re graui mendacium esset, velut nec etiam

am si mentiretur in confessione circa peccatum veniale, mortaliter peccaret; secus verò si de ipso veniali peccato materiam fecisset confessionis: nam tunc mortiferum peccatum admitteretur, atque sacrilegium.

Sextus fructus est derisio, atque contemptus, nempe cùm alter alterum contemnit atq; deridet. Hoc vitium grauius est peccatum, quàm contumelia, atque detractio: nam ob istud nō tantùm hominis honori, aut famæ detrahitur, sed tanta afficitur iniuria, atque dedecore, q̄ pro mimo ac stulto habetur, tantumque maius crimen erit, quantū maior est ille, qui contemnitur, atque deridetur, vt si Prælatus esset, aut Episcopus, &c. Sed quando illusio, aut derisio, seu contemptus est de religione, aut de rebus sacris, ad Dei cultum pertinentibus, peccatum est, & blasphemia. Derisio potest esse peccatum veniale, cùm est de re leui; secus verò est peccatum mortale, & hoc est quod vulgo dicitur, *dar la berta*, videlicet velle alium illudere.

Septimus fructus est alterius ad alterum maledictio. Hoc vitiū est ex suo genere mortiferum, cùm maledictio intrinsecus prauam, ac improbam rem includat, velut si quis diceret: Dæmones te ducant, Deus tibi non opituletur, aut dirum aliquod imprecatur, aut aliud infortunium, quod graue est, atq; improbum, & ideo ex genere suo peccatū est mortale, sicq; cùm aliquid mali cuipiā imprecabitur, intendens, vt malum illud eueniat, peccat mortaliter: nā intēdit, vt proximus graui aliquo affi-

ciatur detrimento. Sed ordinariè est peccatũ veniale, cùm id ordinariè accidere soleat inaduertenter, & absque aliqua intentione. At si quis ex pura indignatione egreditur suos terminos, maledicens filio, vel filiæ, vt ordinariè nonnullis mulieribus euenit, quę maledicentes filio terram mordent, & his similia agunt, procul dubio mortiferè peccant, licet maledicendi intentione careant: nam id est, vt si maledicere intenderent. Quapropter quę mater hoc faceret, indigeret non parua pœnitentia, ac digna foret, vt vehementer reprehenderetur, cùm filium, aut filiam ex visceribus suis ortam maledictis afficiat. Notãdum erit etiã, quòd monendi sunt pœnitentes, ne dæmonem in ore habeant, nisi ad eum illudendũ; nec vt aliqui faciãt, qui adinuicẽ salutationis loco ac dicẽdi, Deus te incolumẽ reddat, Deus tibi opem ferat, dicunt, Dæmõ te ducat, quod vitiũ pręcipuè inuenitur in villicis.

Octauus fructus dicitur adulatio, quæ quidem est, cùm alter alterius facta, aut dicta loquitur, ob quæ ille gloriatur, præsertim verò, quando ob aliquid eum laudat, quod nequaquam reperitur in eo, qui sic laudatur. Hoc vitium est mortale peccatũ, cùm adulationes sunt de re aliqua mala, quæ sit mortifera: est quoque adulatio tunc mortifera, cùm ad huiusmodi attingit terminum, quòd ad altiora ascendit, atque dignitates, quas ille non meretur, præsertim verò cùm ex blãditijs sumpserit voluptatẽ, quib' blãdiloquus ille fecerit eũ gloriari. Quando aũt adulatio est de re vana, ac ex

illa aliud non sequitur, nisi quid modicum vanitatis, non est lethale crimen, sed veniale. Sed notandum est, vitium istud indignum esse, vt in virum cadat honestum, ac probum. Sanctus Augustinus in quodam libro de Confessione ait, se nunquam huiusmodi vitium vincere potuisse, sed quoties de illo quis bene ac honorificè loquebatur, toties ipse lætabatur. Ex quo periculum cõijcitur, quod secum affert adulatio, cùm pauci adeò perfecti sint, qui gaudio non efferantur, quando laudibus afficiuntur.

Nonus fructus dicitur iactantia, aut ostentatio, quæ tunc est, cùm quis seipsum ostentat hoc aut illud fecisse, quod non fecit, vel quia iactat se illius esse filium. Quando ostentatio fit in alterius contemptum, mortiferum est peccatum, quemadmodum Pharisæus ille iactabat se in templo, contemnens publicanum. Vt dignoscatur ergo quando iactantia ista sit mortifera, duo sunt in nobis inspicienda, quę includuntur in ea. Nam si ipsa iactantia seu ostentatio de aliquo erit, quod mortale est, veluti si quis seipsum iactando diceret, se cum illa rem veneream habuisse, cùm minimè habuerit, duplici modo peccat: *primo*, quia se de mortali peccato iactauit: *secundo* autem, cùm illam inhonoret, afficiatq; dedecore, cui honorem iam restituere tenetur. Si ostentatio est in Religionis dedecus, vt si quis frater se ostẽtando asserit illius Comitis se filium esse, aut illius talis consanguineũ, cùm sit mendaciũ, Religionem, seu habitum dedecere videretur,

quamuis minimè id conspiciatur, & ideo mortiferum est peccatum. Peccat quoq; mortaliter, cùm quis se iactando vltimum constituit finem in ipsa iactantia: at si aliud non fuerit, nisi parum aliquid vanitatis, non erit nisi veniale peccatum. Mendacium, dum perniciosum non est, peccatum est veniale; sed cùm aliquis mentiendo se iactat, & mendacium aliquod intulerit detrimentum, mortiferum est, velut Pharisæus ille se ostentando fecit. Mortiferè etiam peccat, qui vt lectura aliqua potiatur, aut Canonicatu, aut alia dignitate, iactat se scripsisse, aut libros composuisse, vel aliquid huiusmodi, quod mendacium est, atque ad restituendũ redditur obnoxius quicquid adeptus fuerit, cùm per iniustos, ac illicitos modos obtinuerit aliena.

Decimus fructus est Hypocrisis, quæ tunc erit, cùm quis se bonum esse simulat, cùm talis non sit, aut se alijs esse meliorem, & non est. Circa hoc vitium quinque documenta erunt notanda.

Primum documentum, qui vt aliquod efficiat malum, fingit se esse bonum, ac bonum se esse demonstrat, peccat mortaliter.

Secundum, qui cùm sit improbus, fingit se esse bonum, vt bonus haberetur, tunc si aliud non erit, nisi parua aliqua vanitas, non erit nisi veniale.

Tertium, cùm se esse bonum aliquis simulauerit, vt aliquam adipiscatur dignitatem, aut nonnulla bona, peccat mortaliter.

Quartum, quando quis in aliquo statu est, in quo

quo tenetur bona præbere exempla, vt si Religiosus esset, aut clericus, sed occultè nimis prauus est, exterius autem bonum præbet exemplum, nec haberi vult vitiosus, non peccat, imò nimis laudabilis virtus est, cùm huiusmodi eius status ad hoc illum obligare videatur.

Quintùm, qui ob hypocrisim aliqua bona, aut aliquid est consequutus, si ea ordinariè, aut per modos licitos adeptus fuerit, vt si illi pro eleemosyna elargita fuêre, quemadmodum pauperibus elargitur, non tenetur illud restituere, quod elargitum iam fuit: nam etsi verum sit, quòd nequaquam aliquid assequutus ille fuisset, dum eius simulatio atq; mendacium dignoscerentur, attamen libera fuit ipsa donatio, ac sine conditione, & ideo extitit valida: quemadmodum si aliquis non ignorasset vxorem suam esse prauam, ac malã, aut eius socerum ei dotem minimè exhibiturum, nequaquam illam in vxorẽ duxisset, nihilominus, cùm duxerit, validum est matrimonium; sic est dicendum de Hypocrita isto. At si pauperem se esse finxerit, vt pecuniæ quantitatem aliquam lucraretur, dicens se ab illustribus parentibus natum esse, qui à Turcis iam captus fuit, ac ideo à Rege, seu ab Episcopo eleemosynam quærendi licentiam obtinuisse, sicq; ex dolo isto maximam coaceruauit pecuniam, tenetur totam illam restituere, quam sic quærendo percepisset.

Vndecimus fructus est, cùm se humillimè præter ordinem quis humiliat, ac more vulpium,

pium, vt aliquid consequi possit, quod expectabat. Hoc est mortale peccatum, atque vitium, quod in sacris Scripturis nimium improbatur. *Caue ab eo, qui se falsè humiliat, ac interius plenus est dolo, & malitia.* Et alibi dicitur: *Cauete ab hominibus voce infirmorum loquentibus, nam cor eorum nequitia plenum est, atque fallacia.*

Sequitur Materia de Secretis. §. 36.

SEcretum vocatur illud, quod nescitur, aut nō est manifestū. Magna virtus est aliquod tenere secretum, & sic tenemur ad hoc, quòd infamare nequaquam debemus fratrem nostrum, nec illius honori detrahere. Obligat nos lex naturalis, vt res proximi secretas teneamus, necnon & amicitia, iustitia, & charitas. obligatio quippe colligitur: nam cùm Eucharistiæ Sacramentum tanti sit valoris, ac æstimationis, præcipit Deus, quòd si nos non ignoramus quempiam communicare volentem aliquo irretitum peccato, non debemus ei Sacramentum denegare, vt illius peccatum non detegatur. Ergo pro qualibet re, quæ minus valet, non est secretum detegendum, cùm ex detectione illa amittitur honor, atque fama.

Secundò animaduerti debet tria esse genera secretorum. Aliqua legis naturalis, ad quæ tantùm lex naturalis obligat, velut si quis aliquem defectum non ignorat, aut quia illum vidit, vel alio aliquo euentu, sicut si sciret Petrum esse concubinariū, lex naturalis obligat eum, ne de hoc ille loquatur. *Aliud* est genus secreti, quod obligare videtur respectu fami-

mili-

miliaritatis: & hoc obligat magis quàm primum, cùm in se quicquid naturalis obligatio habet includatur: preterea includitur lex amicitiæ, nempe cùm amicus suum detegit secretum alteri. *Aliud* secretum maius, ac excellentius vno quoque istorum inuenitur, quod est secretum confessionis, cùm illud obliget ratione legis naturalis, legis amicitię, ac legis diuinæ, de quo copiosè tractamus in materia de sigillo confessionis.

¶ *Tertiò* notandum est, vnumquodque ex secretis istis suum gradum habere.

Primus gradus est secretum confessionis.

Secundus secretum de rebus Reipublicę, atque communitati contingentibus, quemadmodum Rector tenere secretum debet, quod ipso regente administratur. Canonicus quicquid in Capitulo agitur, frater autem quod in consilio geritur, &c.

Tertius gradus est, cùm iniusto modo quis aliquod secretum agnouerit; velut quando l-terius literas aperit, legitq; secreta, quæ in eis continentur.

Quintus gradus est, cùm respectu amicitiæ quis secretum alterius nouerit.

Sextus, quando aliquis se iuramento adstrinxerit non reuelandi secretum ab altero sibi detectum.

Septimus, cùm quis aliquod nouerit secretum, quod vidit, seu audiuit, aut alio quouis modo non ignorauerit.

Quartò, tres sunt regulæ adnotandæ.

Prima, detegens secretum, quod sciuit, aut quia

quia illud vidit, aut quia illud audierit, quod detegere tenebatur ratione iuris naturalis, quamuis sub iuramento adstrictus ille fuerit, peccat mortaliter, atq; totum, quod inde damnum sequitur, restituere tenetur, nisi cùm iustè sub iuramento obstringitur, nempe si indicia sufficientia viderentur adesse, aut infamia, aut semiplena probatio, videlicet accusator, & testis absque aliqua oppositiõe. Quãdo datur iuramentum, atque vnum ex tribus istis præassertis adesset, dicenda est veritas, ac detegendum foret secretum.

Peccat mortaliter, qui secretum detegit, cùm non videntur indicia, aut infamia, vel semiplena probatio. Probatur hoc: quia honori, ac famæ proximi detrahitur, quæ quidem fama magis æstimanda est, quàm bona: ergo si mortiferè peccat qui bona proximi abstulerit, mortiferè quoque peccabit, si eius famæ, aut honori detraxerit.

Secunda regula, quando secretum quis reuelauit, atque illud, quod respectu amicitiæ nouerit, detexerit, lethali culpa non vacat, ob rationem prius assertam, atque propter amicitiam.

Tertia regula, quando aliquis detegit confessionis secretum grauissimè peccat, ac inter duos muros ponendus est: atque priuari debet officio sacerdotis. Sed huiusmodi regulam melius declarauero, cùm de confessionis sigillo tractabitur.

Ad has regulas dignoscendas *animaduertendum prius* erit, mortiferè illum peccare, qui literas

teras ad alterum directas aperuerit, quamuis in eis secreta minimè contineantur: nam objicit se periculo aliquid sciendi secreti, si in illis esset, eoq́; magis si in eis secreta scripta viderentur. Ratio est: nam qui literas scribit, crebrò nonnulla secreta eis commendat, quę nollet vt ab aliquo scirentur nullo vnquam modo pro toto auro, pro totis gemmis, quę in toto mundo reperiuntur, atque cùm literæ resignantur ab eo, à quo nequaquam resignandæ sunt, animi perturbatio, ac odia nascuntur.

Prætereà notandum est, quòd quamuis mortiferè peccet, qui literas resignat, peccat etiam postea, si secretum detegeret, ac obnoxius est restitutioni. Hoc euenit sæpe inter moniales, ac fratres, quamobrem necesse est, vt sic veritatem edoceantur. At quando interpetatiua inter duos amicos voluntas fuerit, quod est, cùm ambo inter se conueniunt, vt alter alterius literas resignare valeat, non est mortale peccatum illas resignare, ac legere, quod in eis scriptum fuerit. *Secundò* notandum est, quòd cùm aliquis posito casu, qui per modum Astrologiæ scit Petrum furatum fuisse equum, aut aliquid Ioanni, detegit furtum huiusmodi, peccat mortaliter: nam etsi teneatur Ioannis bonorum satagere, nihilominus hoc facere eo modo deberet, quo honori ipsius Petri nequaquam detraheret, nempe eum admonendo, vt equum surreptum restituat Ioanni: secus enim ipse domino indicaret, eo magis, cùm falsum sit, dicere quòd per viam Astrologiæ

giæ similia dignoscantur, cùm potius ex conuentione, aut fœdere, quod cum dæmone est, non ignorentur.

Tertiò debet animaduerti, quòd cùm detegit quis sua secreta, atque seipsum infamat, ac inhonorat, suapte natura, non est mortale peccatum, cùm opinio sit multum probabilis vnumquemque dominum esse suæ famæ, & honoris, & ideo qui eam amittere voluerit, diceretur prodigus, velut si aliquis malè impendere sua bona vellet, non peccaret, nisi venialiter: secus autem si ex hoc scandalum oriretur, aut complacentia quædam peccando, aut damnum Reipublicæ inferri videretur: quemadmodum, si quis diceret se hæreticum fuisse, tunc peccaret mortaliter, quandò verò honorem amiserit, aut famam ob aliquem suum pernecessarium, nequaquam peccatum erit, imò virtus, sicut si pro amico alter vitam effundere vellet, quæ magis valet, quàm honor, fama, atque bona.

Quartò animaduertendum est, quòd sciens aliquis Petrum interfecturum esse Ioannem, quem reuera non ignorat occidendum fore, si remedium non adhiberetur, tenetur consulere Petro, eumq; monere, ne id faciat: si verò viderit se nihil proficere, moneat Ioannem, vt caueat se à Petro illum occidere volentem. Cùm iste ad confessionem accesserit, non est absoluendus, nisi id effecerit. Huius ratio est: nam tali casu magis innocentis inspiciendus est honor, quàm nocentis, præsertim cùm ille seipsum inhonoret.

Quintò

Quintò notandum eſt, quòd cùm quis aliquid non ignoret ſecretum, quod in Reipublicę detrimentum ſit euenturum, vt ſi Regem aliqui vellent occidere, ciuitatem ſuccendere, tunc ſtatim Iudici erit manifeſtandum, vt ab eo non tanquam Iudice, ſed tanquam Patre remedium adhibeatur. Aduertendumqúe eſt, in tali caſu non ſeruandum eſſe fraternæ correctionis pręceptũ: nã cùm illud affirmatiuũ ſit, minimè obligare videtur, niſi quãdo cõuenerit, & quodã modo conuenerit. At huiuſmodi caſu nequaquã cõuenit, cùm ſperãdum non ſit, quòd ob fraternam correctionem alter ſe debeat emendare, quoniam dum forſan ille in exequendo præcepto moram fecerit, alter ciuitatem ſuccendet, &c. Præterea cùm Reipublicę potius, quã peculiari ſit conſulendum. Quando quis cum huiuſmodi caſu voluerit confiteri, monendus eſt à Confeſſario, vt Iudicem adeat, eiqúe, vt nuper diximus, caſum aperiat, nec debet ei abſolutionem impendere, donec certior factus ſit, illum id effeciſſe. Idem dicendum eſt de hęreticis, vt in materia de ſigillo confeſſionis habetur.

Sextò notandum eſt, quòd quis ſciens aliquas eſſe ſtriges, neque illas ſe emendare volentes, ilicò debet id patefacere, quamuis ſe iuramento obſtrinxerit non loquendi, cùm in tali caſu non obligare iuramentum videatur. Idem eſt, ſi aliqui erunt, qui pro croco bono aliquid vendunt, quod crocum eſſe videtur, & non eſt. Sic etiam dicitur de Aromata-

rijs, qui nequaquam vendunt aromata, sed pro illis nonnulla vendunt, quæ Reipublicæ maximum afferunt detrimentum. Qui omnes, si, dum admonentur ne huiusmodi dolis vtantur, se minimè emendauerint, ilicò manifestandi sunt.

Septimò erit animaduertendum, quòd cùm delictum, quamuis pergraue, quis commiserit, & communicat illud diserto viro, vt ei remedium adhibeat, cùm iam se deliquisse pœniteat, licet à Iudice per carcones excommunicatio publicetur, vt omnes, qui id scierint reuelarent, ille, cui delinquens suum detexit crimen extra confessionem, non tenetur illud detegere; nam etsi non fuit illa confessio, nec via ad confessionem, attamen via est confessionis remotæ, nempe, vt ei ex illa remedium exhiberetur.

Vltimò adnotandum est, qui secretè alteri dixerit se hæreticum esse, aut Reipublicæ proditorem, quamuis sub iuramento, aut crucis signo alter secretum illud susceperit, tenetur ilicò id denuntiare, cùm minimè sit confessio, nec ad confessionem sit via. In omnibus alijs casibus semper secretum teneri debet occultum, nisi iuridicè de eo quæsitum fuerit, vt assertum est, siqúe secus aliquis effecerit, tenetur omnia damna restituere, quæ illi euenerint, cuius secretum detexit.

De Iudicijs Temerarijs. §. 37.

TErtius Ramus peccata continet, quæ committit homo intra se contra proximum. Vt huiusmodi dignoscatur materia circa Iu-

dicia temeraria, notandum eſt, tria iudiciorũ genera eſſe, quę in Scriptura ſacra improbantur. *Primum* eſt iudicium Hypocriſis, quod eſt, cùm abominabilis fuerit quis, atque peccatis irretitus, ſeuerè iudicat in alijs leuia peccata, ac puerilia, ſeipſum minimè agnoſcens, nec quanta ſint facinora, in quibus ille verſetur, quotve defectus, quibus imbutus eſt. Peccatũ hoc nimis eſt graue, cùm adeò illud Chriſtus improbauerit in ſacroſancto Euangelio contra Scribas, & Phariſæos, non conſiderantes trabem, quæ ante oculos eorum erat, ſed tantùm feſtucam ante aliorum oculos poſitam inſpicientes. Hoc eſſe mortale peccatum probatur primò, cùm ſuum fratrem contemnat: deinde verò, cùm iſti de malo loquantur bene, de bono autem malè. At ſi quis culpas dignoſceret ſuas, & cùm talis ſit conditionis, quod malum videtur ſibi malum, vel quia nihil ei placet, puerilia, atque defectus iudicat nonnullorum, mortiferè non peccaret. *Aliud* iudicium eſt, quod de ſeipſo condemnatiuum nuncupatur, quod fit, quando quis de culpa illa, aut defectu, in quo ipſe eſt, alterum iudicauerit, atque ſeuerè condemnat, non ſecus ac iudex ſententiam ferens, vt fur ſuſpendatur, cùm ille ſit fur, & latro, vel cùm ſit ille concubinarius, alterum concubinarium condemnat, & multat. De hoc loquitur Apoſtolus Paulus, ſcribens ad Romanos, cùm ait: *O homo, in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas.* Eadem enim agit, quę iudicat, cùm in eodem ſit peccato. Ideo temporibus noſtris Iu-

dices, lictores, atque satellites, & his similes, procul dubio ordinarie mortiferè peccant: nam in furem animaduertunt, ipsi verò magis quàm fures furantur: concubinarium castigant, cùm ipsi inhonestiores videantur. Quando autem Iudex in huiusmodi homines piè animaduerteret, vt tantùm officio suo fungeretur, suas culpas, atque errata dignoscens, non peccaret, nisi scandalum adesse videretur. Quemadmodum si iudex ille quempiam punit, vt concubinarium, ipse verò concubinam domi tenet: nam cùm ex hoc scandalum oriatur, peccat ille mortaliter.

Aliud inuenitur iudicium, quod vocatur temerarium, cùm quis ob indicia leuia defectus iudicat proximi. De materia iudiciorum, quæ temere fiunt, antiqui Patres, atque Caietanus in Summa quatuor regulas ponunt.

Prima, quicunque sine sufficientibus indicijs deliberatè de proximo iudicauerit, mortiferè peccat.

Secunda regula, quicunque sufficienti indicio non existente iudicabit aliquid veniale de proximo, venialiter peccat.

Tertia regula, qui absque dubitatione perfecta suspéderit actum, aut dubitabit, aut suspicabitur, aut credet, mortiferè nequaquā peccat, cùm actus isti dicantur in deliberatione imperfecti, & cùm homo à se repellere vix illos possit, non secus sunt ac repentinæ quædam tentationes, & motus: suspendere, dubitare, suspicari, aut credere, vel iudicare de re

illa,

illa, quæ fit, non eſt mortiferum, niſi fiant circa ea, quæ ad fidem ſpectant, velut ſi quis alteri aliquid imprecaretur mali, dicens, malum Paſcha det tibi Deus, Dęmon te ducat, &c, iudicare hoc ex ſe mortale peccatum eſſe, non eſt mortale: nam dicere huiuſmodi verba, ex ſua natura peccatum eſt mortiferum, ſed iudicare de perſona erit mortale: nam quamuis dixerit ille, Deus det tibi malum Paſcha, non ilicò iudicandum erit, peccaſſe illum mortaliter, cùm ex conſuetudine quadam dicere hoc poſſet, atque ex more, aut quia intentio defuit, & ſic mortiferum nequaquam peccatum admiſiſſet; ſed iſtæ regulæ non ſunt verę, niſi vltima; vnde ad materiam iudiciorum temerariorum dignoſcendam tria ſunt adnotanda. *Primò*, quinque modis quempiam interius offendere poſſe proximum; nempe aut actum ſuſpendendo, vel dubitando, aut credendo, vel iudicando. Suſpendere actum dicitur, quando quis, etſi de aliquo bene ſentiat, tamen quia illum aliquid agere vidit, incipit dicere abſq; indicijs ſufficientibus: Quid loquar de illo neſcio, proculdubio, quod ab eo agitur, malum eſt, attamen iudicare nequaquã volo. Tunc actus ſuſpẽditur. *Secundò* notandũ eſt, ſuſpectus huiuſmodi ſine dubio accidere poſſe, aut ex indicijs ſufficientibus, aut leuibus & non ſufficientibus. Aliquando indicia, quæ ad ſuſpicandum ſufficiunt, deficiunt ad iudicandum, ſed quæ ſufficiunt ad iudicandum, ſufficiunt etiam ad ſuſpicandum, ac dubitandum.

Tertiò animaduerti debet, huiusmodi suspitiones, ac dubia contingere posse determinatè, atque cum plena deliberatione, aut non deliberatè.

Quartò adnotandum est, hæc dubia, atq; suspectus accidere posse de re aliqua graui, quãuis non sint de peccato mortali, vt qui suspicaretur aliquem esse Iudicem, aut nunquam fateri veritatem, aut de re leui esse possunt, dicet de mortifero sint peccato, vt iudicare de equite, nempè illum aliquam adamare. Hoc presupposito, sunt istae regulae.

Prima, suspendere actũ, dubitare, suspicari, &c. de fratre meo, non deliberatè, atq; indicijs nõ sufficiẽtibus de turpibus rebus, ac detestabilibus, nõ est nisi veniale peccatũ. Ratio est: nam isti sunt actus imperfecti, & crebrò ex demonum tentationibus proficiscuntur, aut ex humana fragilitate; & vbi plena non adest deliberatio, mortale peccatum haud esse poterit, à quibus nos, vt Sancti aiunt, non absque difficultate poterimus liberare.

Secunda regula, suspendere, aut suspicari, aut iudicare indicijs sufficientibus deliberatè, de proximo in re leui; quamuis de mortifero sit peccato, veniale tantùm est; nam in omnibus peccatis, quando leuis est materia, ratione cuius non multa afficitur iniuria proximus, nũquam sunt, nisi veniale peccatum, quamuis illud, de quo suspicor de proximo, peccatum sit mortale, sicut iudicare de cõcubinario, quòd ille amans sit, hoc mortiferum est; sed quoniam ille gloriatur, imò lętus esse videtur, dum

pro tali reputatur, non pecco, nisi venialiter, licet me aliquando sæpe deciperem, cùm eius honori, aut famæ non detraham; quoniam pro tali ille seipsum existimat, aliosque similes sibi.

Tertia regula, qui cùm aliquem æquũ probumque virum haberet, ac per indicia non sufficientia deliberatè actum suspenderet circa res graues, peccat mortaliter, quãuis res illa grauis nequaquam mortiferum sit peccatum. Quemadmodum si Petrus Ioannem haberet pro vetusto Christiano, & cùm alter non multæ existimationis, atque auctoritatis ei dixisset eum esse Iudæum, suspendit actum, peccauit mortaliter: nam primùm eius auctoritati detrahit, ac bonæ famæ, atque æstimationi, quam de illo faciebat; deinde verò quia eum contemnit, alter autem honori detrahit, ac famæ, quam de illo habebat, & quamuis sit verum, quòd non teneatur ille bonam habere de eo opinionem, attamen si haberet, non debet ob leues causas ab illa discedere. Idem dicendum erit de dubio, atque imaginatione.

Quarta regula, qui de altero bene sentit, quẽ veneratur, atque existimat, & per indicia leuia de illo in re graui suspicabitur, peccat mortaliter, cùm ob rationes in præasserta regula allatas, tum etiam ob hanc, quę perspicua quidem est, atque manifesta: nam mallem ego vt quis iudicaret me periurium commisisse, quàm in vitium Sodomiæ prolapsum esse. Cùm igitur res sic se habeat, quod omnes sentiunt, mortiferè peccare eos, qui alterũ iu-

dicant non per indicia sufficiẽtia, periurasse; ergo maiorem ob causam mortiferè peccant, qui per indicia non sufficientia suspicantur alium esse hereticum, aut sodomitam, cũ hoc vitium altero grauius esse videatur. Ex hoc conijcitur, quòd cùm mortiferum sit peccatum, quando sic aliquis suspicabitur, magis peccauerit ille, qui crediderit, magisqúe qui iudicauerit: nam grauius est iudicium, quàm ipsa suspicio, & hoc satis est me circa octauum præceptum disseruisse.

Noni Præcepti Elucidatio. §. 38.

NOnum præceptum: *Non concupisces uxorem proximi.* In hoc præcepto prohibetur consensus in desiderio, non solùm vxoris alterius, sed cuiuscunque turpis rei, aut cum homine, aut cum muliere, aut contra naturam. Hoc præceptum respondet sexto, quod dicit: *Non mœchaberis.* Duas ob causas prohibet Dominus turpia desideria. *Primùm*, vt nobis perspicuum sit solum Deum potestatem ac auctoritatem habere interiores actus multandi, ac puniendi. *Deinde verò*, cùm in isto luxuriæ vitio non tantùm opere delinquatur, sed etiam desiderio. Huius præcipua ratio in principio decimiquarti capitis elucidata jam fuit.

Peccata, quæ contra hoc Præceptum committuntur.

PErtinent ad præceptum istud omnes nuntij, literæ, cifræ, tactus, necnõ & alia, quæ inter duos amantes interueniũt: quod totum est mortale peccatum, quando turpe, ac inhonestum

nestum in hoc esset desiderium cum consensu coniunctum. Ex hoc colligitur, mortiferè illos delinquere, qui cùm nubere velint, priusquam nubant, aut dispensentur, mutuò secum per literas loquuntur, atque per nuntios, seque inuicem tangũt, atque istis commercijs inter se delectationes habentur carnales: nam etsi bona sit eorum intentio, tamen præsens delectatio illicita est, cùm eadem inter virum & vxorem nõ sit huiusmodi oblectatio, inter quos tantùm licere videretur. Cùm ergo ad Confessionem quis accesserit, interrogandus est, an cogitatione se in cupiditate illa firmauerit, si ꝗ dixerit cogitationes, atq; cupiditates carnis paruifacere, ac peroptare mulieres, cuiuscunq; status sint illæ, quotiescunq; eas aspiceret, hoc sufficere videtur, vt Confessarius vulnus illius agnoscat, ac medelã, quæ opportuna fuerit, ei adhibere non ignoret. Huic dicendum est, quòd ordinariè peccat mortaliter: si autem pœnitẽs est, qui aliquando suam dignoscens cupiditatem, atque peccandi desiderium, non illud paruifecerit, interrogandus peculiariter erit, eique dici poterit, se ordinariè mortiferè non deliquisse.

Elucidatio Decimi præcepti. Cap. 39.

DEcimum Præceptum est: *Non desiderabis rem alienam.* Præceptum hoc Septimo respondere videtur, in quo furtum prohibetur, cùm dicitur: *Non furaberis.* In hoc præcepto rerum alienarum prohibetur cupiditas per modos illicitos. Quamobrem mortiferè peccat, qui augere sua bona peroptat, aut iu-

stè, vel iniustè. At cùm huiusmodi desideriũ est, quo iniustitiæ peccatum non admitteret, neq; mortiferum, mortaliter non peccat, sed venialiter tantùm. Vetatur hoc duabus de causis, quæ in præallerto præcepto allatæ fuêre. Sed dubitatur, an in præcepto isto vetetur terrenarum rerum cupiditas? Nonnulli affirmatiuam tenent sententiam: quia ibi dicitur, *non desiderabis*; sed verum est, quòd minimè desiderium huiusmodi prohibetur, sed desiderium illicitum cum consensu. Dicitur prohiberi desiderium istud, non quia peccatum sit, sed peccatum nuncupatur, cùm illud excitet ad peccãdum, & cùm sit etiam effectus peccati, quod primi Patres nostri contraxerunt, ex quo natura hominũ læsa fuit, ac prona ad terrenarum rerum extitit desiderium. D. August. ait, quòd hoc nobis datur præceptũ non desiderandi, non quia ad illud Deus nos obliget obseruandũ, sed datur ab eo tanquam finis, & scopus, ad quem Christianus oculos mentis intendat, nempe à se repellendo cupiditatem appetẽdi terrestria. Quemadmodum præcipitur nobis etiam, vt Deum toto corde diligamus, adeoqúe in homine alius non sit amor, quàm amor Dei; non quia in hac vita istud valeat obseruari, sed vt quisque satagat quoad poterit illud custodire: Ita, vt D. Augustinus ait, præcipitur, ne terrena cupiamus, non quia possit homo hanc degens vitam illud seruare, sed vt diligenter inspiciat quantum poterit, vt desiderium istud à se repellatur, cùm perfecta Charitas, vt idem Sanctus

asseuerat, minuere sit appetentium, & perfectissima illa esse videatur, si homo nil terrestrium rerum appeteret.

Sequuntur quinque præcepta Ecclesiæ, quæ à Confessario non sunt ignoranda, vt agnoscat quonam modo medelam adhibere illis valeat, qui ei voluerint confiteri. §. 40.

PRimum Ecclesiæ præceptum est: Audire Missam diebus Dominicis, ac alijs festis præceptis. Præceptum hoc declarat tertium præceptum diuinæ legis, in quo præcipit Deus, vt festa sanctificentur: sed cùm minimè dictum sit, quænam sint illa, quæ à nobis seruari præceperit, ideo sacrosancta Ecclesia indicat, atque statuit quæ sint obseruanda. Ad dignoscendum igitur præceptum hoc, aduertendum est quædam generalis regula, quæ erit huiusmodi. Omnis Christianus, cùm discretionis annos attigerit, tenetur sub reatu mortalis peccati dies festos seruare; sed quomodo seruare debeat, & quicquid in eis vetitum sit, iam fuit assertum in tertio Præcepto diuinæ legis, vbi inspici poterit. Dicit regula, quòd quicumq; Christianus, qui ad vsum rationis peruenerit, Missam debet audire: ex quo conijcitur, quòd siue sit ille seruus, siue liber, mulier, aut vir, dummodò Christianus sit, aut vsum habeat rationis, tenetur audire Missam. Dicitur etiam, audiendam esse integram Missam, quæ quidē integritas intelligitur à principio vsque ad finē: sed cùm quis ad eam peruenerit, cùm dicitur *Gloria*, aut priusquā Epistola finiatur, nō peccabit, nisi venialiter, aut

forsan

forsan minimè peccauerit; nam modicũ pro nihilo reputatur. Hoc idem dicitur, si vbi sacerdos communicauerit, discedet, alias orationes omittens audire. At si in Ecclesiam quis ingrederetur, postquam inceptum fuerit Euangelium, aut priusquam sacerdos cõmunicaret, discesserit, procul dubio mortiferè peccaret. Est quoq; Magistri Soti, ac nonnullorũ disertorum hominũ probabilis opinio, nempe quempiam posse obseruare præceptũ hoc, si dimidium Missæ ab vno, dimidiũ verò ab altero audierit, vt si eam audiuisset ab eo loco, cùm sacerdos à populo hostiam adorandam attollit, postmodum autem aliam audit à principio vsque ad præassertum locum. Dicitur quòd Missa audienda est diebus Dominicis, alijsq; festis: quamobrem in alijs diebus, quamuis nimis solemnes sint, vt in die Veneris sancto, ac Sabbati sancti, non est obligatio audiendi Missam, nihilominus optimũ salutiferumqúe consilium foret, vt Christianus quotidie Missam audiat, seqúe Deo commendet, eiq; sua communicet negotia. Nec necesse videtur, vt Missa de Sanctis sit, aut defunctorum: sufficit enim quæcunque, modò audiatur, nec similiter opus est, vt eam audiat in sua Parochia, aut in ista, aut in alia Ecclesia, satis est eam vbicunque audire. Si Episcopus ergo excommunicationem publicauerit, vt quis Missam, aut sacram concionem audiat Dominicis diebus in suis parochijs, nõ ignoret Christianus excommunicationem illã nequaquam obligare, eo minus, si priuilegium habue-

habuerit: nam est mos, atque consuetudo, vt Missa aut prædicatio vbicunque audiatur, & consuetudo non solùm legem delere potest, sed etiam eam interpretari, atque aliam condere poterit. Vnde huiusmodi lex auferri nequaquã potest, nisi à superiore, & ideo si Papa eam non abstulerit, semper illa stat in suo robore, sicq; excõmunicatio lata ab Episcopo est iniusta. Episcopus autem mortiferè peccat, cùm contra legem faciat à consuetudine stabilitam, nec Tridentinũ Cõcilium secus videtur asserere. Præterea dicit regula, nisi legitima causa excuset. A Theologis nõnullæ causæ rationi consentaneæ offeruntur.

Prima rationabilis causa est, si dum ad audiendam *Missam* quis se contulerit, periculo vitæ, honoris, ac bonorum se obijcit: velut si timet, ne pugione feriatur, aut mulier ab aliquo sollicitaretur, dum ad Missam iretur, aut bona malè se habeant quæ in agro sunt, aut alio in loco. Excusatur etiam qui non habet pallium, aut illud oppignerauerit, nec è domo egredi potest iuxta decentiam sui status. Excusatione quoq; dignus est, qui in fouendis ægrotis diligentiam adhibet, nisi commodè & absque illorum detrimento possint Missam audire. Sic etiam excusatur iter faciens, qui bonos habet comites, quos audiendo Missam amitteret, vnde illi maximum eueniret incõmodum; secus enim, quamuis eum oporteret per duas aut tres horas expectare, teneretur audire. Est etiam excusatio rationabilis, cùm maritus vxorẽ ex domo egredi noluerit: nam

tunc illa à culpa immunis esse videtur, si Missam minimè audit. Qui etiam teneret armẽta, nec secum habet nisi pastorẽ vnũ tantùm, sicq; ipse ad Missam adiret, lupus iacturã afferret, non tenetur ad illam: at si duos haberet pastóres, & duę ibi dicerentur Missæ, teneretur alter vnam adire Missam, alter verò aliam. Excusatur quoque vidua, quæ ad Missam non vadit, cùm talis sit suæ regionis cõsuetudo. Idem dicitur de matribus, quæ suas filias vsq; ad quãdam ætatem nolunt ex domo egredi, nec Missas audire, quia huiusmodi consuetudo in suo seruatur oppido. At ipsæ reprehensione sunt dignę, vt tam malas consuetudines non obseruent, & cùm eas ducant ad taurorum venationem, atque ad comœdias audiendas, ducere etiam eas volunt ad Missam, nec sinant, vt dum illæ Missam audiunt, filiæ operibus improbis vacent, vt sæpè vacant, quorum causam matres, ac patres præbere videntur. Sed nequaquam excusetur ille, qui cùm in interdicto sit positum, potitur priuilegio audiendi Missam, & non audit, nisi Missæ aliquo in loco dicerentur, à quo longè ipse abest, & non in ecclesijs ordinarijs: quia in tali casu excusatione dignus foret. Excusatur quoque excõmunicatus, isteq; licet peccauerit, cùm absolutionem minimè petijsset, attamen præsupposito quòd non postulauerit, non tenetur Missam audire. Sunt etiam quàm plurimæ aliæ causæ rationabiles, quæ possent afferri, sed istæ sufficere videntur.

Elucidatio Secundi Præcepti Ecclesiæ. §. 41.

Secun-

SEcundum præceptum Ecclesiæ est: Confiteri semel in anno omnia peccata. Vt huiusmodi discatur præceptū, duæ regulæ sunt notandæ. *Prima*. Quilibet homo rationis vsum habens tenetur sub peccati mortalis reatu semel in anno cuncta sua mortifera peccata suo legitimo sacerdoti confiteri, nisi legitima caussa eum excusaret. Dicitur vnumquemq; hominem rationis vsum habentem obnoxium esse, &c. ob id pueri excluduntur, nondum ad rationis vsum attingentes, ideoq; confiteri nequaquam tenentur. Ille dicitur vsum rationis habere, qui malum à bono dignoscere nō ignoret, sciatq; quidnam sit secretum. At si dubium est, an puer ille adhuc vsum habeat rationis, sub hoc dubio sic est absoluēdus. Si habes vsum rationis, & peccata, ego te absoluo, si autem non habes, non te absoluo. Dicitur etiam semel in anno, nota quòd ad hoc seruandum præceptum non oportet, vt in Quadragesima confiteatur, nec statutus, atque determinatus est dies, satis est cōfiteri quolibet anni tēpore. Dicitur præterea quòd semel in anno tantùm debet esse cōfessio, hoc intelligitur ex Ecclesiæ præcepto: nam ex iure diuino dicemus postea quoties debet esse. Necnon & dicitur quòd omnia peccata mortalia tenentur cōfiteri. Nota neminē teneri ad venialia peccata, sed mortalia solùm cōfitenda. Dicitur etiā suo legitimo Cōfessario. Legitimus Cōfessarius vocatur summus Pōtifex, aut Episcop⁹, aut Parochus, vel qlibet alius, qui priuilegio potiatur audiēdi confessiones, vt sunt Fratres

ordinis mendicantiũ. Dicitur vltimò, nisi legitima adsit causa eũ excusans. Legitima causa nuncupatur, vt si quis inter Turcas, aut Indos foret, vbi Cõfessarius non adesset, aut nauigaret, & in naui sacerdos non inueniretur, aut si ob confessionem pericula amittendi vitam, honorem, aut bona se illi obijcerent: in istis casibus non tenetur hoc seruare præceptum.

Sed circa huius præcepti obseruantiam, *primum dubium* est: An si quis confessus sit, nec ei absolutio fuit impensa, dicatur hoc obseruasse præceptum Ecclesiæ? Respondetur *primùm*, quòd præceptũ nequaquam seruauit, si legitimo Confessario non fuit cõfessus: *secundò*, si confessio facta fuit simulata, nec etiam illud seruauit: *tertiò*, si aliquod mortale peccatũ omiserit voluntariè confiteri, aut ob pudorem, vel quia sic ipse voluit, minimè seruauit: *quartò*, si cuncta sua peccata confessus est, sed nõ intentione illorum occasionẽ euitandi, nec pœnitudinem offendisse Deũ ipse conceperit, nequaquam præceptum seruauit, cùm omnia hæc necessaria sint, vt sit integra validaq; confessio. Sed *maius est dubium*: Si qui grauiter peccauit ad confessionem accesserit, ac omnia sua cõfitetur peccata, sed adeò illis irretitus est, quòd licet dixerit Confessarius, vt eijciat cõcubinam, ludũ relinquat, aut aliud huiusmodi vitium, ipse respondet: Dignosco iam fragilitatem meam, atque peccata, & pœnitet me peccasse, veruntamen peccatum linquere non valeo: tunc poterit ei dicere Cõfes-

sari-

ſarius, ego te non poſſum abſoluere, quęritur an iſte ſeruet præceptum? Reſpondetur quod magiſter Sotus, ac nõnulli admodum viri diſerti dicunt, præceptum hoc ab eo minimè obſeruari.

Primò, cùm in eo præcipiatur cõfeſſio, quod tamen intelligitur, vt ille, qui cõfitetur, etiam abſolutionẽ ſuſcipiat, ergo præceptum illud non ſeruat.

Secũdò, nam ſi quis baptizaretur, nec baptiſmi formam reciperet, nõ eſſet baptizatus, & ideo baptiſmi præceptum minimè ſeruauiſſet: Igitur nec iſte confeſſionis præceptũ ſeruaret, cùm abſolutionis formam nequaquam ſuſcepiſſet.

Tertiò, quia iure diuino præcipitur, vt confiteatur: quod intelligitur, ſi perfectè hoc Sacramentum acciperet, quod iſte nõ recipit, ergo non obſeruat. Alij aſſerunt, quòd tali caſu ſeruetur, cùm præceptum minimè dicat, niſi vt omnia ſua cõfiteatur peccata, quæ iſte confeſſus eſt, igitur præceptũ ſeruauit. Præterea præceptum hoc rigidum eſſe videtur, ergo explicandũ eſt, quemadmodum verba ſonãt, nec amplius debet extendi. Sed nihilominus dico, ſententiam Soti eſſe veriorem, & ideo illa ſequenda erit. Si autem Confeſſarius confeſſionem vſque ad certũ tempus diſtuliſſet, & ipſe poſtmodum iterum ad illam reuertitur, ſeruauit præceptũ, cùm dicatur in Canone, vt Confeſſarius confeſſionem eius ſuſcipiat, ſiq́ue opus erit differat abſolutionem.

Oritur etiam *dubium*, ſi annus præterijt, quo

confiteri quis tenebatur, an ille præter peccatum, quod admittit, cùm minimè sit cõfessus, teneatur hoc præceptum seruare, vel ne? Videtur quòd non: nam si ego tenebar quadam die ieiunare, nec ieiunaui, non teneor alia die ieiunare; sic etiam, cùm aliquod festum nequaquam seruauerim, peccaui mortaliter, sed minimè obligatione detineor, vt aliud festũ obseruem; sic etiam, si vnius diei Horas omiserim recitare, nequaquam præceptum me obligat, vt altera die debeam illas recitare. Respondetur, huius dubij solutionẽ dandã fore, in tertio præcepto, vbi quærendum est: An si quis, cùm communicare ille omiserit hoc anno, teneatur seruare præceptũ cõmunicandi? Veritas est, eũ teneri ad cõfitẽda peccata, quãuis confitendi annus pertransisset. Ita sentire videtur Sotus, atq; Victoria. Si qs verè omnia peccata confessus est, quorũ meminit, & hinc ad duos vel tres dies, tria, aut quatuor peccata reminiscitur, teneturne illa omissa confiteri? Videtur q; sic, cùm præceptũ dicat, vt omnia cõfiteatur peccata, quæ recordatur: ergo tenetur confiteri peccata illa, quorũ reminiscitur. Respondetur, q; si recordatur peccata oblita in eodẽ anno in quo confessus est, tenetur ea prius confiteri, q̃ annus prætereat: nam præceptum obligat eum, vt ille confiteatur semel in anno omnia peccata, quæ recordatur: ergo cùm duorũ, aut trium reminisceretur, tenetur ea confiteri. At si iam præterijt annus, cùm recordatus est peccata prius admissa, quę in cõfessione anni p̃teriti fuerat oblitus, nõ tenetur statim

statim illa confiteri, satis est, vt ea confiteatur, quando confitendi aduenerit opportunitas, vt præceptũ illius anni seruet, in quo ipse est.

Secunda regula. Præceptum Ecclesię non derogare videtur pręcepto, quod est de iure diuino. Vnde etsi ob præceptũ Ecclesię non obligetur homo magis quàm semel in anno cõfiteri, attamẽ iure diuino quibusdam casibus aduenientibus confiteri tenetur, quos quatuor esse non ignorandum est. *Primus* dicitur, cùm quis in periculo mortis constituitur, aut sit infirmitatis causa, aut ob aliam extrinsecã rationem. Quemadmodum si articulus mortis adest, si certamẽ aliquod aggredi voluerit, si longam facere vellet nauigationem, nec in ea sacerdos aderit, tenetur antea confiteri. *Secundus* casus, quando Eucharistiam suscepturus est, tenetur, modò peccato mortifero sit irretitus, prius confiteri. Quod probatur per ea, quæ Diuus Paulus asseuerat: *Probet autẽ seipsum homo*, nempe vt probet se, priusquam ad Eucharistiæ sacrosanctum Sacramentum accedat. Quæ quidem probatio ante sacerdotem est facienda. *Tertius*, cùm votum emiserit confitendi, veluti diebus festis beatiss. Virginis, vel in Pascha: nam iste cõfiteri teneretur hisce diebus, non aliqua lege eum ad id obligante, sed ratione voti, quod emiserat. *Quartus* casus est, quando à Confessario pœnitenti præceptum esset in pœnitentiam, vt confiteretur, vel in remediũ suorum peccatorũ, tenebitur ille confiteri, cùm ab eo iussum fuerit. Hoc in loco adnotandum est, hoc vnũ esse de

potioribus remedijs, quæ peccantibus poterunt adhiberi, quove Confessarius ordinariè vti possit, vt experientia ipsa demonstrat. Aliqui ponunt aliũ casum, in quo obligatur aliquis confiteri, nempe cùm timet, ne peccata obliuisceretur: ego verò ob id non obligari quempiam dico, cùm Ecclesia me nequaquã obliget, vt peccata reminiscar. Animaduertẽdum est etiam, quòd in administrandis, aut suscipiendis alijs Sacramẽtis, excepta Eucharistia, necesse minimè erit confessio, cùm tantùm sufficiat contritio peccatorum.

Declaratio tertij Præcepti. §. 42.

TErtium Præceptum Ecclesiæ est: Communicare semel in anno in Pascha Resurrectionis. Hoc intelligitur, aut ante, vel post octo dies, & nisi vbi fuerit antiqua consuetudo, quòd communicando quolibet die Quadragesimæ sufficiat, ibi satis erit cõmunionẽ suscipere quolibet die Quadragesimæ, & tunc communicans Ecclesiæ præcepto satisfecerit. Circa huius pręcepti obseruantiã animaduertendum est, ꝙ pro parte hoc Sacramentũ suscipiẽtis quatuor, aut quinque requiruntur, & pro parte illud conferentis quinque, aut sex.

Primum, quod requiritur ex parte recipientis est, quòd vt dignè quis recipiat, necesse est, ne aliquo mortali peccato sit irretitus. Quaꝓpter oportet, vt qui ad communicandũ accesserit, probabiliter credat se nõ esse in mortali peccato. Hoc est, quod Apostolus Paulus ait: *Probet autẽ seipsum homo*, &c. videlicet, quòd nemo, qui mortalis peccati sibi conscius est,

quam-

quamuis contritus eſſe videatur, ac verè pœnitens, ad Sacramentum accedat Euchariſtiæ, abſque præuia Sacramentali confeſſione. Sic Triden. Concil. ſeſſ. 13. cap. 7. aſſeuerat, nõ opus eſt, vt ille certus ſit, cùm certitudinem hanc nullus conſequi poſſit, niſi ex priuilegio ſpeciali. Quod dictum eſt, intelligitur, vt dignè Sacramentũ ſuſcipiatur: ſed quamuis in peccato mortali quis illud ſuſceperit, non peccat contra hoc præceptum: ſed mortiferè contra aliud delinquit, quo præcipitur, vt ad tam excellens, & admirabile Sacramentum abſque peccato, quamuis tenue illud ſit, atque cum omni puritate accedamus. Ideoqúe obſeruat præceptum Eccleſiæ, quamuis impurus, cùm in mortali peccato illud ſuſceperit.

Secundum, quod requiritur ex parte ſuſcipientis Sacramentum eſt, vt ieiunus accedat, ita quòd à media nocte, quouſque communicet, nihil comederit, nec per modum medicinæ. Qui ſciens ergo ſe aliquid comediſſe communicat, mortaliter peccat; at ſi neſciebat, non poſſe communicare, quamuis aliquid per modum medicinæ ſumpſiſſet, non peccaret, cùm ignorantia inuincibilis illum excuſare videretur. Non peccat etiam, qui cùm manè aliquid propter ſtomachum ſumpſiſſet, communicat, cùm illud ſumpſiſſe non recordaretur. Quare ſi iſte ad dicendam Miſſam accederet, & dum ſacrum facit, ſe comediſſe reminiſcitur, non ideo ſacrum illud debet omittere, ſed ſacrificium perficere oportebit. Quando autem quis eſſet ægrotus, eiqúe confertur

Sacramentum, quamuis comederit, rectè poterit illud suscipere, cùm in huiusmodi casu nequaquã voluit Ecclesia obligare. At si dum ægrotaret, semel Sacramentum suscepisset, postea verò hinc ad decem dies iterum vellet illud suscipere, opus est eum esse ieiunum, nihilq; sumpsisse, cùm hoc minimè sit ratione Sacramenti: nam illud iam ipse susceperat. Circa hoc ieiunium notandum est, quòd minimè debent homines esse nimis scrupulosi, ideo si quis cùm os lauet, putat se aquæ stillam deglutisse, si pro comperto id non habuerit, communicare poterit.

Tertium, quod requiritur, est tempus. Circa hoc *Primum* est annotandum, quòd communicaturus necesse est vt vsum habeat rationis, aduertatqúe, quòd maior vsus rationis debet in eo esse, qui vult communicare, quàm in illo, qui cõfiteri tantùm voluerit. An quis vsum rationis habeat sufficientem, standum erit iudicio docti Confessarij, qui cùm iudicauerit, quòd poterit ille communicare, tunc communicare tenebitur; at vbi consuetudo erit, vt cõmunicare nemo possit donec duodecimum aut decimumtertiũ annum non attigerit, non peccat, quamuis prius non communicet, nisi Confessarius puerum aliquem adeò solertẽ dignoscat, atq; tali ingenio præditum, vt ad communionem illum adhortaretur, rationis vsum non inspiciendo; cùm omnes rationis vsum habentes huiusmodi præceptum seruare teneantur.

Secundum circa tempus est, communicare in Pa-

in Pascha Resurrectionis, ante, vel post octo dies, vt in principio fuit assertum.

Tertium circa tempus est, quòd potest Confessarius, si oportere dignosceret, differre confessionem, & sic ab Ecclesia admonetur. Sed dubitatur, an si annus præterierit, quo non communicauit, ad hoc præceptum teneatur seruandum? Respondetur, quòd non, cùm præceptum hoc sit affirmatiuum, nec dicitur, nisi vt semel in anno communicet. Mortiferè igitur peccauerit, qui inter annum non communicauit, sed illo præterito, non erit ad hoc obligatio. Idem non est de confessione dicendum: nam confessionis præceptum non solùm affirmatiuum est, sed affert secum præceptum negatiuum, quo dicitur, vt quis semel in anno confiteatur, ac ne inimicus Dei fiat, & hoc non est tanquam finis, sed tanquam terminus muneris illius, quod Deo debetur. Quemadmodum si cuipiam darem ego viginti aureos, cui dicerem, vt mihi eos solueret inter annum, non ideo non teneretur mihi illos soluere, si annus ille præterijsset non soluendo: Ita quoque vult Ecclesia, vt à nobis debitum istud soluatur Deo semel in anno; sed ab huiusmodi obligatione nequaquam videmur immunes, cùm annus præterijsset, imò magis sumus obnoxij. Quæ quidem opinio est Patris Magistri à Victoria, ac Magistri Soti.

Quartum circa tempus est, vt in mortis articulo teneatur quilibet Sacramentum suscipere, sub pœna lethalis culpæ: & hoc est de iure

diuino, quod probatur primùm, tum ex Ecclesiæ consuetudine, in qua semper huiusmodi ordo seruatur; tum etiam ex communi consensu fidelium, qui grauiter se deliquisse sentirent, tali tempore tanti Sacramenti præsidium non suscipere, vt maiori cum subsidio ex hac vita migrarent.

Quintum, quod requiritur ex parte hoc Sacramentum suscipientis, est Reuerentia. Circa illam *primùm* notandum est, Maritum, qui pridie vxorem cognouerit, vel aliam, non debere statim sequenti die Eucharistiæ suscipere Sacramentum, ob reuerentiam, quæ tanto Sacramento debetur; necnon ob deuotionem exiguam, ac modicam dispositionem, quæ tunc videtur adesse ad communicãdum, cùm die præcedenti inter eos sequuti huiusmodi fuerint actus. Idem de illis etiam dicendum erit, quibus dormientibus, aut quouis alio modo accidit pollutio. Hi ob rationes nuper assertas non debẽt statim communicare. Sed sanctorum virorum consilium est, posse quẽpiam suscipere Sacramentum absque scrupulo lethalis culpæ, dum post pollutionem, quę sibi cõtigerat, deuotum se esse dignoscit, nonnullas diffundens lachrymas, aut cùm se disciplinando castigauerit, imò laude hoc dignum erit: nam crebrò pollutio euenit ob dæmonis illusiones, aut ex natura ob materiæ superfluentiam. At qui communionem susceperint, cùm illis pollutio contigisset, quamuis aliquam peculiarem non sentiant deuotionem, aut aliquã dispositionẽ, aut promptitudinem,

dinem, non tamen peccant, nisi venialiter. *Secundò* notandum est, quòd si quis cùm grauiter deliquerit, abhinc multis diebus nequaquam confessus est, non debet statim communicare post confessionem, sed hinc ad octo, aut decem dies: nam magna foret irreuerentia, vt cùm tot immunditias incurrisset, ilicò ad Christi corpus sumendum accederet. *Tertiò* animaduerti debet, minimè permittẽdum esse, vt qui venialia peccata paruipendens, nolens illa, se emendando, relinquere, imò facile ea committit, communionem suscipiat ilicò, vbi fuit confessus: nam quamuis veniale peccatum minimè charitati obsistere videatur, tamen illius feruorem impedit, atq; augmentum, ac indecentia quædam esse conspicitur. *Quartò* notandum est, quòd ad communionem suscipiendam necessaria est Reuerentia corporalis, nempe vt qui Missam audit, ac suscepturus est Sacramentum, genibus flexis, ac demissis in terram oculis suscipiat, nec alta voce multas preces effundat, aut aliud faciat, quod mulierculæ faciunt, sed tacitè Deum corde alloquendo, modestè se gerat, atque ad hoc attendere debent Confessarij.

Sextum, quod requiritur, est deuotio. De hac loquitur Caietanus in sua Summa, quòd ad deuotè ac dignè communicãdum deuotio requiritur actualis, nempe vt actualiter quis meditetur, se accedere ad edendam carnem Christi, atque se in illum transformandum, ac ad vescendum de eius patientia, humilitate, cæterisq; eximijs eius virtutibus, dicens

mortiferè illum peccare, qui hęc nequaquam meditabitur. Sed hoc falsum est. Ego autem sentio sufficere virtualem deuotionem, nempe vt quis ante, aut cùm orauerit, aut in Horas meditetur se corpus Christi suscepturum, quodve de eo, atque suis virtutibus ederit; si verò hæc minimè meditaretur, sed ita se gereret communicando, ac audiendo Missam, non secus ac se gesserit sutor in suendis calceis, ad aliud non intendens, quàm vt suo fungatur officio, procul dubio mortiferè non peccauerit.

Quinque, aut sex sunt requirenda ex parte Sacramentum istud conferentis.

Primò mortiferè peccat conferens hoc Sacramentum, cùm non sit Parochus, vel cùm esset, tamen si ille, cui Sacramentum contulerit, non est de eius parochia. Similiter peccat, si qui administrat Sacramentum, religiosus fuerit, à lethali culpa non erit immunis, atque excommunicatur: at si aliquo potitur priuilegio, aut ab Episcopo, vel curato licentiam obtinuit, non peccaret.

Secundò mortaliter delinquit, conferens Sacramentum publicis delinquentibus, veluti vsurarijs, aut concubinarijs publicis, cùm publicè de suis peccatis non satisfecerint. Sed hîc affertur dubium, si quis ex istis ad communicandum accederet, & cùm genua flexerit diceret ei sacerdos, vt illinc discedat, cùm ei communionem dare non possit, illeq; tunc schedulam ostenderet, qua dicitur se fuisse confessum, quęritur an isti danda sit communio?

nio? Respondetur quòd non: at ei dicendum est, quòd cùm sit ille publicus peccator, nec constet se Deo publicè satisfecisse, communionem ab eo suscipiat, qui eius confessionem audierit.

Tertiò mortiferum peccatum admiserit, qui in vtraque specie Sacramentum conferret, id est, sub specie panis & potus, sicut sacerdos suscipit illud, nisi eo in loco fuerit, vbi est sic faciendi consuetudo. Et hoc probatur, cùm contra ritum Ecclesię fiat, in qua nunquam huiusmodi extitit consuetudo.

Quartò mortaliter ille delinquit, qui pueris nondum rationis vsum habentibus Sacramentum contulerit, aut ex natiuitate amentibus.

Quintò nequaquam lethali culpa vacauerit, qui Sacramentum phreneticis ministrabit, quod illi essent iniuria affecturi, aut si illud daret vomentibus, aut languidis stomacho, à quibus timendum est, ne euomatur Sacramentum. Cùm igitur ad communicādum infirmum portatur, sacerdos vti debet quàm maxima diligentia, atque scrutandū ab eo est, an infirmus vomere soleat, aut alio detineatur impedimento.

Vltimò mortaliter peccat, qui Sacramentum præbere omiserit his, quibus illud prębere tenetur, aut cùm aliquis moritur eius culpa sine Sacramēto. Circa materiam istam tria nascuntur dubia. *Primum* est, an liceat communicare quotidie. Ad hoc duo asseuero.

Primò, constituere regulam ordinariam, vt omnes

omnes communicent in singulos octo dies mala foret ista constitutio, atque doctrina, cùm omnes nequaquam eandem habeant deuotionem, ac dispositionem: præterea Diuus Augustinus, Diuus Thomas, necnon & S. Bonauentura hoc improbare videntur.

Secundò dicendum est, Secularem, quamuis ille sanctus sit, nequaquam debere communicare quotidie, sed tantùm semel in singulas hebdomadas, nisi tanquam illa virgo sancta Catharina foret, vt ait S. Bonauentura: aduertatq; Confessarius, quòd aliquando cõmunionem differre optima est experientia, vt dignoscatur, an sit communio conferenda octauo, aut decimo quoque die: nam si dixerit, vt quis à communione abstineat per tres menses, illeq; humiliter responderit se obediturum, absque dubio signum est, vt venia illi concedatur sæpius communicandi: at si responderit huiusmodi priuationem Sacramẽti suam auferre consolationem, & deflet, atque deplorat, indicium est, eum non mereri communionem, nisi cùm in Pascha alij communicauerint: nam cùm ille sic appetat communicare, nolens suo parere Confessario, nil aliud foret, nisi spiritualis luxuria, qua dæmon vtitur, vt ex illa postmodum maiora inconuenientia sequantur. *Secundum* dubium est, an liceat bis in die communicare? Negatiuè respondetur, imò errat qui secus fecerit. Huius ratio est: nam Ecclesia nunquam id faciendum consensit, nec sacerdotes Deo dicati tantam habuêre licentiam: ergo nec illi, qui

Sacer-

Sacerdotes non sunt. *Tertium* dubium est, an sit licitum sacerdoti de longè venienti, nec inuenienti Missam, nec illam dicere valenti, cùm non sit hora missandi, aperire tabernaculum, ac sumere hostiam consecratam, & communicare? Respondetur nequaquam licere, argumentumq́ue, vt dignoscatur hoc fieri minimè posse, hoc est, quia antiqui Patres nostri nunquam id effecerunt, nec vnquam id fieri consenserunt.

Declaratio quarti Præcepti. §. 43.

QVartum Præceptum est: Ieiunare, quando præcipitur ab Ecclesia. De hoc pręcepto iam dictum fuit in tertio pręcepto diuinæ legis, vbi conspici dubia poterunt, quæ offeruntur.

Declaratio quinti Præcepti.

QVintum Præceptum est: Soluere decimas, ac primitias. Circa præceptum istud notandum est, quòd in hoc seruari debet consuetudo, nempe, quòd si soluitur, & est mos soluendi decimas lactis, & ouorum, soluatur, & sic omnium aliarum rerum, &c. siq́ue huiusmodi mos soluendi non erit, nequaquam soluantur.

De septem peccatis mortalibus, deq́ue notitia, quam circa illa debet habere Confessarius. Cap. 15.

SEPTEM sunt peccata mortalia: Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Acidia. Nuncupantur mortalia, non quia semper mortalia sint peccata, sed cùm sint capita, ac fontes multorum aliorum. Eorum

rum numerus ex eo colligi potest, quod Ioannes Apostolus in sua Canonica ait: *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*; aut, vt clarius dicam, sunt desideria carnis, aut desideria bonorum, aut ambitiones.

Primus Ramus ex se producit tria peccata, Luxuriam, Gulam, Acidiam.

Secundus generat Auaritiam.

Tertius Superbiam, Ambitionem. Ira, ac Inuidia comitantur præasserta iam peccata, vt contra eos indignemur, qui nos impediũt, ne, quod optamus, consequamur. Inuidia autem in nobis oritur contra eos, qui nobis pręferuntur, ac illa adipiscuntur bona, quæ optantur à nobis.

Primum ex peccatis istis *Superbia* est, quæ omnium malorum est caput, quantumve offendatur Deus ob hoc abominabile vitium sacra Scriptura demonstrat. Peccatum hoc destruxit cælum, ac Angelos conuertit in dæmones: hoc hominem euertit, atque eius omnes posteros, eumqúe induit morte. At cùm hoc peccatum adeò graue sit, & cunctorum principium vitiorum, omnes sacræ paginæ, atque Patres sancti nos admonent, vt omni cum studio, ac diligentia, totisqúe nostris viribus conemur, atque satagere debeamus huiusmodi vitium superare, ac vincere: nam isto superato, facilè alia, Deo duce, vincemus.

Superbia est quidam inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, quę in hoc consistere videtur, nempe cùm bona, quæ in nobis sunt,

ad Deum nequaquam referimus, vel de illis nos ipsos iactamus, vt si nostra illa forent; aut quando, vt nos æstimemur, aut laudibus efferamur, nobis ipsis illa attribuimus, quæ habemus. Hoc vitium admitti quatuor modis poterit, cogitatione, opere, verbo, atque omissione. *Cogitatione* superbus delinquit de se cogitando magis quàm ille mereatur, aut cùm sibi videatur parum esse quod habet, nec condignum eius meritis, aut cùm de seipso, vel suis bonis lætus est, atque contentus, nimis se diligendo. *Opere* peccat superbus, appetendo, aut peroptando eminentia loca, status, dignitates, atque emolumenta. *Verbo* peccat, elatè loquendo, superbè, vociferatione, atque clamore, velut si esset ille fortis, sapiens, ac potens, &c. *Omissione* peccat, cùm eius bona nequaquã Deo referat, à quo illa, & vitam habeat, & omnia, cumqúe se in opere gerat, quemadmodũ à Deo eius vita, atque collata beneficia minimè dependerent, quod proprium est peccatum prauorum Angelorum. Ab hoc peccato, tanquam à capite, proficiscuntur quàm plura, inter quæ præcipuè sunt Vana gloria, Ambitio, Præsumptio, Iactantia, & Hypocrisis. Remedia contra peccata ista multa sunt.

Primum est propriæ vilitatis consideratio, atque fragilitatis humanæ naturæ, cui nihil minus conuenire videtur, quàm ipsa superbia. Iuxta id, quod dicit Ecclesiast. *Superbia nequaquam facta est pro hominibus, nec eis conuenit, neque illos decere videtur.* Nam qui rectè inspiciendo considerat, homo nil aliud est, nisi miseria

seria quamplurimis plena necessitatibus. Priusquam nasceretur fuit quædã immũda materia, nunc verò est vas terreum fragile, postmodum autem cinis, ac cibus vermiũ. Quid igitur superbis cinis & terra? Consideret etiam quàm ipse ob sua peccata vilis effectus sit, atque obscurus, ac quam mereatur animaduersionem, & quonam modo sit puniendus propter peccata, præcipuè verò ob superbiam. Cogitet insuper omne quod habet bonũ à Deo esse. Ideo ait Paulus Apostolus: *Si tu nihil habes, quod à Deo non susceperis, quid igitur gloriaris, quasi non suscepißes?* De superbo, qui de virtutibus tumet, & inflatur, ait D. Gregorius, quòd ex vita nanciscitur mortem, ex sanitate consequitur infirmitatem, & ex medela nequaquam vitam adipisci videtur.

Secundum remedium est, si recordaretur homo quanta passus sit Redemptor noster Christus, nempe improperia, derisiones, contumelias, cùm humilitatis Magister fuerit, atque superbiæ destructor: quæ quidem consideratio efficax erit.

Tertium, consideranda est admirabilis illa pulchritudo humilitatis, ac mansuetudinis, & quomodo humiles, atque pacifici inueniunt gratiam apud Deum, & homines, & quãtus sit horror, ac timor, quem ipsi dęmonibus inijciunt: hæc consideratio tantam habet vim, ac efficaciam, vt quãuis nõ esset Deus, nec gloria, neq; aliqua inueniretur pœna, attamẽ virtus ista diligenda foret, atque quærenda, cùm tanta sit decorata pulchritudine.

Quar-

Quartum eſt, conſiderare fœtorem, atque abominationem Superbiæ, cùm ſuperbus ſit Deo abominabilis, quem abhorrent Angeli, ac odiunt homines, cumq; ille ſit ſeruus Diaboli, qui pater ſuperbiæ, ac omnium princeps eſt ſuperborum. Tandem nemo eſt, qui cum ſuperbo conuerſari voluerit, omnibus eſt infeſtus, nemini, quamuis de honeſtis rebus loquatur, affert conſolationem.

Quintum, vt ait Bernardus, per viam humilitatis hominem cum effectu incedere, ac velle vt minor exiſtimetur, atque vt omnes ei pręferantur, vultu id oſtendendo, moribus, verbis, ac opere, cupiendoque, vt ille nemini ſit præferendus, ſed minus æſtimandus, alios magnifaciendo, ac laudibus extollendo, iuxta dictum Pauli: *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes*. & iuxta illud Petri: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Sed nunc ſic dubitatur, quidam ſe peccatorem agnoſcit coram Deo, & quicquid boni habet à Deo illud eſſe conſiderat, ſed alium videt improbum, furem, adulterum, ac ſacrilegum, an iſte debeat æſtimare ſe minus, quàm hunc talibus vitijs irretitum, ac publicè peccantem, cùm ille non tantus peccator ſit? Videtur quòd non, cùm Deus minimè præcipiat, vt nos imprudentes ſimus: nam imprudentia nunc videretur, vt iſte iudicaret ſe maiorem eſſe peccatorem, quàm ille, qui ab omnibus, tanquam publicus peccator habetur, atque ſceleſtus. Ad hoc reſpondetur, quemlibet poſſe, ac debere ſubij-

cere se alteri, quamuis pessimus sit peccator, aliquod bonum in eo considerans, quod ipsi deest, aut aliquod malum in se, quo careat ille. At verum est in proposito casu non obligari eum vt se maiorem peccatorem existimet altero improbo, ac prauo homine, sed non ideo contemnere illum debet, nec se magis quàm illum magnifacere, considerans eum forsitan esse prædestinatum, atque præscitum, aut quòd si Deus tantam gratiam alteri contulisset, quam contulit ei, procul dubio melior ipso foret, & gratior de collatis beneficijs, atque si Deus illum minimè protexisset, maius facinus admisisset quàm alter. Quapropter D. Augustinus, cùm aliquos graues peccatores inspiceret, ego sum ille dicebat: nam si Deus me nequaquam custodiret, opem mihi ferendo, maiora admitterẽ facinora. Aduertat igitur Christianus, suum proximum esse membrum Christi, suo pretioso sanguine redemptum, ponatq́; præ oculis suis propria scelera, propriosq́; defectus, atq; hoc modo sibimet, etiam pergraues peccatores anteposuerit.

De Auaritia.

SEcundum peccatum ex capitalibus est Auaritia, quæ inordinata est quædam cupiditas bonorum temporalium: ac non solùm Auarus nuncupatur, qui aliena bona rapuerit, quæ iniustè detinet inuito domino, sed etiam qui inordinatè aliena appeteret, vel sua immoderata parcitate conseruat. Paulus Apostolus huiusmodi vitij declarat ne-

qui-

quitiam, cùm dicit: *Qui diuites esse desiderant, incidunt in tentationes, & laqueos diaboli, ac in quàm plurima desideria inutilia, quæ in damnationem homines inducunt, cùm radix sit omnium malorum cupiditas.* Quando Confessarius in isto peccato pœnitentem inuenerit, persuadeat ei terrenarum diuitiarum contemptum, illasqúe diuitias esse veras, quæ semper erunt permansurę, nempe cęlestes. Præterea moneat pœnitentem, magnam esse vilitatem, quòd hominis cor subijciat se terrenis affectibus, atque rebus istis, quæ tam citò dilabuntur, quæve appetitum explere minimè possunt, nec animam sedare, quæ creata est, vt sempiterno ęuo frueretur in cælo. Demum illum edoceat, vt nullatenus aliena surripiat bona, quamuis animo id faciat restituendi: nam cùm ea semel abstulerit, perdifficile erit, vt illa restituat: prętérea, cùm delinqueret ille, dum aliena surriperet, atque cùm sibimet detrimentum intulit, alij emolumentum suscipiunt. Pater enim vt filijs transitoria bona relinquat in terra, æterna mala consequetur in inferno.

De Luxuria. §. 2.

TErtium de capitalibus peccatum est Luxuria, quæ appetitus inordinatus est turpium, atque inhonestarum voluptatum. Hoc vitium illud est, quod mundo maius infert detrimentum, cùm in eo magis vniuersalis fit pugna, & magis rara victoria. Hoc adimit sensum, facit homines vecordes, & fatuos, sequaces suos angit, diuitias consumit, & con-

terit, vitam diminuit, sanitatem corrumpit, & vastat famam, ac honorem surripit, eiusq; voluptas est breuis,& fatua. Contra huiusmodi vitium Sancti quã plurima remedia adhibuêre.

Primum est, turpibus obstare cogitationibus, cùm primùm venerint, nequaquam tentationi cedendo, vnde auxilium præstetur, & robur.

Secundum, custodire sensus diligenter, præcipuè verò oculos, ne res videant, quæ incitare possint ad malum.

Tertium, deuitare otium, sumere laborem, vt cor sanctis meditationibus occupetur, ac exercitationibus, quæ virtutibus præditę videantur.

Quartum, recordari supremum, diuinumque iudicem, qui eum iudicaturus est, semper illum inspicere, ne coram ipso id efficere audeat, quod coram homine facere non auderet.

Quintum, quod magis referre videtur, fuga est omnium occasionum, societatum, familiaritatum, literarum, munerũ, visitationum, ac cogitationum de mulieribus ætate suspectis, quamuis sanctę nimis videantur, & quemadmodum quidam asseruit, nec illarum vestes tangendæ sunt: nam vera huius vitij victoria, post Dei gratiam, præcipuè in fuga consistit.

De Inuidia. §. 3.

QVartum peccatum de cupiditatibus est Inuidia, quę de bonis alterius quædam

eſt mœſtitia, ac de aliena felicitate dolor. De maioribus, cùm dignoſcat inuidus ſe non poſſe illis ęquare. De minoribus, quia ei æquantur. De æqualibus, cùm illi ſecum competere videantur. Hoc vitium nimis vniuerſale eſt in omni ſtatu, præcipuè autem in aula Principum, Palatijs, ac ædibus dominorum, nec vniuerſitas eſt, congregatio, atq; religio, vbi ipſa non inueniatur. Ad pugnandũ contra hoc vitium, ac de eo victoriam cõſequendam, nimis huiuſmodi ſequentes conſiderationes profecerint.

Prima conſideratio eſt, peccatum hoc proprium eſſe Dæmonum, qui abſque aliquo eorum emolumento ęgrè ferunt diuina ac ſpiritualia bona, quæ homines conſequuntur.

Secunda. Hoc peccatum eſſe ſine aliqua delectatione, aut voluptate, illudq; peſſimũ abſque ſapore, quod cor affligit, & cruciat, in quo ipſum moratur, limat, & deſtruit, non ſecus ac caries lignum corrodit, ex quo ipſa naſcitur. Præterea ignominioſum eſt vitium, ac nemo de illo ſe reprehendendum fore dignoſcit. Contra hoc prodeſt etiam, vt terreſtrium bonorum vilitas agnoſcatur, quæ potius apparentia bona, quàm vera videntur.

Vltimum, ac pręcipuum remedium exhibendum, eſt humilitas: nam Inuidiæ mater eſt ſuperbia, ideoq; inuidus dolet de alterius bonis, cùm ſe illis dignum eſſe iudicaret. Melior ergo medela contra venenum hoc inueniri nunquam poterit, quàm per viam humilitatis incedere: nam qui ſe omnibus mino-

rem existimat, excellere alios nequaquam cogitauerit. Demum huiusmodi vitium, ac tam grande, pessimumqúe peccatum, Dei charitati aduersatur, & proximi, nostræqúe iacturæ principium extitit: nam ob dæmonis inuidiam mors introiuit in mundum.

De Gula. §. 4.

QVintum peccatum ex capitalibus est Gula, quę appetitus edendi atque bibendi est inordinatus. Hoc vitium destruit mundum, ac fons & origo est omnium peccatorum, vitium est belluarum, imò plusquam illud: nam bruta animantia ad vitam sustentandam non sumunt nisi necessaria, Gulosus autem non sic: nam *Deus eius venter est*, vt ait Diuus Paulus. Vt contra vitium istud præualeat homo, attentè debet aduertere, ad quod sit ille creatus, nempe ad veritatem dignoscendam, vt virtuti studeat, & tandem vt Deo fruere-tur: nam cuncta hęc propria ad hominem spectant, quoad ille homo est, isteqúe verus est cibus Deus animæ, at cibus, ac potus exterior est ad sustentandã vitam hãc animantẽ: ideo debet homo edere vt viuat, nõ aũt viuere vt edat, cũ natura sit paucis contenta: vnde corporalis substantia capiẽda est tamquã medicina, quemadmodum Augustinus ait. Præterea inspicienda sunt Gulæ detrimenta, quæ mater est incontinentiæ, infirmitatis, ac multarum miseriarum cibus, & esca. Plures sunt, quos interficit Gula, quàm gladius: gustus autem, qui à guloso in cibis quæritur, à gula di-
minui-

minuitur: nam, vt ait Sapiens : Homo prudens artocream ex melle confectam contemnit: & veluti Chrysostomus asserit, gulosus stomachum destruit ciborum satietate, quæ illum impedit gustum, qui nunquam deficit fami. Quamobrem qui spirituali vitæ se conformare desiderat, opus est vt quàm primùm à semetipso tam insolentem, ac ferum inimicum expellat.

De Ira. §. 6.

SExtum peccatum ex capitalibus est Ira, quę inordinatus appetitus est vltionis contra eum, quem nos offendisse putamus. Hęc socia est amentiæ, atque stultitiæ, inimica consilij, feræ pœnitentię mater, rixarum cibus, inimicitiarum, atque rerum illarum, quæ stultè, ac inordinatè fiunt. Hoc vitium à Christo Redemptore, ac Saluatore nostro in Euangelio reprehenditur, cùm ille sic asseuerat: *Dico enim vobis, vt nullatenus irascamini contra fratres vestros:* nam hoc est, quod præcipuè ille nos voluit edocere, nempe, vt mansueti, mites, suaues, atque charitate feruentes essemus. Contra hoc vitium Seneca multa exhibet remedia quodam opusculo, quod ipse super huiusmodi materiam edidit.

Primum, vt homo, cùm iuuenis ille sit, tanquam tenera planta se exerceat in mansuetudine, ac ex illa iuuenili ætate incipiat habere magistros, qui mites sint, atque humiles corde.

Secundum, quòd homines aspiciens ira percitos, ediscat iram sedare, suam perturbatio-

nem atque furorem dignoscēdo, ac, quod magis in hoc expedire videtur, in animum sibi velit inducere, quòd à nemine ille afficiatur iniuria. Hoc nos edocet gentilis, sed facilius hoc exequetur Christianus, cùm ille, quidnā Deus dixerit, intellexit, videlicet : *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Veruntamen efficacissimum remedium, ante alia, est oratio, atq; diuinorum beneficiorum contemplatio, prçcipuè verò cùm admirabile exemplum illud patientiæ inspexerit, quod & viuendo, & moriendo Christus nobis exhibuit. Postremò huiusmodi vitiū peius est diris, atq; immanibus feris: nam maior illarum pars cum eis, quæ eiusdem sunt generis, in pace viuere iam videtur.

De Acidia. §. 7.

VLtimum de peccatis capitalibus est Acidia, quæ debilitas quędam est, & cordis lāguor: propriè autem est ęgrè ferre spiritualia, eaq; fastidire. Hoc vitium caput est, atque origo cunctorum aliorum, pusillanimitatis magister, ac malitiæ : qui verò tanguntur ab eo, nequaquam digni sunt, vt homines nuncupentur, quoniam manent otiosi, cùm ad laborem, atque contemplationem creati sint. Remedia contra peccatum istud sunt hæc, oratio, diuini præsidij inuocatio, beneficiorum à Deo præstitorum meditatio : nam huiusmodi considerationibus excitatur in animo amor, qui vbicunque fuerit, penitus expellit Acidiam, ac miris magnisqúe rebus operam nauare studuerit.

De no-



De notitia, quam habere debet Confeſſarius de ſtatu cuiuſcunque hominis, vt cuilibet exhibere remedium non ignoret. Cap. 16.



PORTET Confeſſarium aduertere circa ſtatus hominum, vt à quolibet inquirere ſciat, de quocunque ſtatu, atque cõditione ſit ille, ac medelã ei adhibere iuxta id, quod opus illi fuerit. Quoad primum

Primus ſtatus eſt magnorũ hominum, nempe Ducum, Principum, atque Comitum, aliorumq́ dominorum, habẽtium ſubditos, qui interrogandi erunt de his, quæ ſequentur.

Primò, an ſi ſtatus primogenituræ, atq; hæreditatis, quam habet, ab eo iuſto, bonoq́ titulo poſſideatur, non autem ob tyrannidem; ſicq; Equites iſti ex India venerint, neceſſe erit illos interrogare, quonam modo tãtas adepti fuerint diuitias: nam ſi iniuſto titulo adepti ſunt illas, debent eas reſtituere. Ac ſi Proreges ſunt, aut alia habẽt Regia officia, ſi in eis exequendis Dei legem obſeruẽt, aut Regis, quamuis diuites nimis ſint, non peccant, nec alicui ſunt obnoxij reſtitutioni; ſi verò diuitias acquiſiuerunt per contractus, atque mercaturas, dicendum de illis erit, quod de mercatoribus Hiſpaniæ, qui ſi illicitè aliquid contraxerunt, aut aliquem dolum, vel fraudem admiſerunt, tenentur reſtituere. Qui verò ſic adepti fuiſſent, non ſolùm ad bona malè parta reſtituenda tenẽtur, ſed de eorum proprijs bonis,

dum habẽt, necesse est reficere dãna illis illata.

Secundò examinandi sunt domini subditos habentes, si noua tributa imponunt, datia, pedagia, atque gabellas in terris suis: nam hoc pergraue peccatum est, atque casus in Bulla cœnæ Domini. Ideóq; in excommunicationẽ Papæ reseruatam incidunt, qui hæc fecerint.

Tertiò, si suos subditos cogunt, vt laborent in eorum bonis, velut in fodiendis vineis, ædificandis domibus, portandis oneribus.

Quartò, an vsurpauerint, aut adscribunt sibi, quòd proprium est vasallorum, rurum, communitatum, quæ eis subduntur, aut si montes vsurpant, lacus, atque communia loca: si rigidè, atq; acerbè, & inclementer tractant subditos, tanquam seruos, non autem benignè velut filios, siq; in hoc nimis deliquerint, differri, aut denegari poterit eis absolutio.

Quintò, si publica conferunt officia, nempe satellitum, vicariorum, scribarum, aut alia indignis, qui abusi sunt illis: nam tali casu tenentur omnia reficere detrimenta, quæ sequerentur.

Sextò, si publica officia vendunt, quòd Regi tantùm licet, quamuis hoc non aliquo dubio careat: nam non sunt huiusmodi officia his conferenda, à quibus præstantur eis seruitia, cùm ipsi postea vendere illa soleant: hæc enim magis dignis danda sunt, & cùm non dentur, quàm plurimæ iniustitiæ fiunt, atque latrocinia committuntur.

Septimò, si iustitiam vendunt, velut si furem castigare omiserint, cùm ab illo aliquid eis sol-

ſoluatur, aut ob alios reſpectus humanos.

Octauò, an leges obſeruent, quæ generaliter omnes obligant; ſicq; exequi eas fecerint tantùm à pauperibus, non autem à diuitibus.

Nonò, ſi in terris ſuis publica peccata commiſerint, quæ ſcandalũ afferunt, vt ſunt vſuræ, furta, homicidia, &c. cùm præter mortale peccatum reficere damna teneantur, quæ inde ſequuntur.

Decimò, ſi integrè teſtamenta nõ ſeruant ſuorum maiorum, non obſtante qualibet excuſatione, quam poſſint afferre.

Vndecimò, ſi debita non ſoluunt, præcipuè verò famulis, quãuis largas pauperibus, aut locis pijs eleemoſynas elargiantur.

Duodecimò, ſi aliquod pro rebus fictis expoſtulent pretium, veluti ſi pecuniam quærunt aſſecurãdi gratia locum aliquem, aut paſſum, in quo aliquid malè ſuſpicetur, cùm ille re vera nequaquam aliquo indigeat cuſtode.

Tertiodecimò, ſi prohibita habent nemora ad venandum, in quibus nemini venari permittitur; cùm hoc ſoli Regi permitti videatur, conditione tamen vt agricolis damna reficiat: alter verò præter Regem, tenere nequaquã poteſt loca prohibita, quamuis ſe damna ſoluturum aſſeueret.

Quartodecimò, quod magis expedire videtur pro iſtorũ reformatione, de qua loquimur, ſi præterquã Religionem decet Chriſtianã, huiuſmodi victu, atq; indumentis vtuntur, ac vltra id, quod ad ſuũ ſtatũ attinet, ex quo pauperibus eleemoſynas elargiri minimè poſsũt.

De

De Episcopis. §. 1.

SEcundo loco succedunt Episcopi, quorum peccata vt melius dignoscantur, inspiciendum est, in quonam statu sint illi, & quę ab eis agenda videãtur. Procul dubio status Episcopi maiorẽ requirit perfectionem in eis, quàm status cuiusuis religiosi, quamuis Carthusianus sit ille: nam præbere tenetur omnis perfectionis exemplum, virtutis, atq; mundi contemptus, ac eius pompæ, mortificationis in omnibus humanis affectibus, in spiritus paupertate, in castitate, atque honestate, præcipuè verò in charitate, ac in liberalitate erga pauperes, demum totus spiritualis esse debet, vt si corpus nequaquam haberet. Debet & in omni loco lux esse mundi, & sal terræ: decet præterea, vt tantam habeat charitatem, vt animam suam ponat pro ouibus suis, iuxta illud Euangelij: *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*: necesse est, vt eas nominatim agnoscat, amorosa quadam cognitione, vt eis in eorum necessitatibus opem ferat: debet enim Christũ amare amore ardentissimo. Hunc amorem Christus à Petro deposcit, cùm eum supremũ effecit pastorem, ter ab illo quærẽdo, an eum, plus quàm alij diligeret. Hæc est præcipua interrogatio facienda pro Episcopis deligendis. Post hæc, alia est conditio necessaria, quippe vt Christi oues pascat. Non dicit Christus: Rege, guberna, præcipe, sed *pasce oues meas*, meo sanguine redemptas: pasce exemplo vitæ, solida integraq; doctrina, adeoq; nihil eis desit de his, quæ necessaria esse videntur ad vitam,

conſolationem, ac ſuſtẽtationem animarum, prouidẽs illis de vero cibo, ac limpidis aquis, non turbidis ſacrarum Scripturarum, ſiq́ue opus fuerit, proprio ſanguine, propriam vitam effundendo, vt bonus paſtor fecit Ieſus Chriſtus, Redemptor noſter. Sed mirabile, atque maxima dignum eſt conſideratione, quemadmodum D. Paulus conditiones, ac virtutes deſcribat, quibus prædítus eſſe debet paſtor animarum, ſic aſſerendo: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat,* ſed vt dignoſcat an bene, ac rectè deſiderat, inſpicere conditiones debet, quæ requiruntur in eo, qui Epiſcopus eſſe voluerit. Nam *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportet,* cuius vitam reprehendere nemo poſſit. In qua conditione includitur ſtudium omnium virtutum: vir eſſe debet vnius vxoris, quod iuxta literam ſignificat, vt duas vxores nequaquam habuerit, quamuis alium ſenſum ſequi nos poſſumus, quem Paulus dicere voluit, nempe vt ſuam diligat Eccleſiam, amando illam non ſecus ac ſponſus ſponſam ſuam amat. Ideo in eius cõſecratione datur ei annulus in ſignum, quòd cùm Eccleſiæ ipſe deſponſetur, aliam quærere Eccleſiam, aut optare nõ debet, cùm hoc nequaquam caſtum deceat ſponſum, ſed adulteri eſt, atq; cupidi. Præterea Paulus ait, Epiſcopum oportere modeſtum eſſe, moderata menſa, moderatoq́; veſtitu contentũ, eumq́; debere cuncta contemnere, quæ ad mũdanam pompam, faſtumq́; pertinere videntur: nam omnium debet exemplum eſſe, & forma, ſiq́;

mode-

moderatè vixerit, poterit pauperib' eleemosynas elargiri, ac opem ferre. Aliã asserit Paulus conditionem ad Episcopum attinentem, nempe quòd debet esse modestus & prudens, non secundùm prudentiam carnis, quæ mors est; sed secundùm prudentiã spiritus, quę vita est, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Præter hoc requiritur in Episcopo, vt bene compositus ille sit, beneq́ ordinatus interius, ac exterius, in verbis, in actibus, in incessu, atque in mora facienda. Insuper oportet eum esse hospitalem, id est, vt in domo sua non tantùm excipiat hospitio familiares, sed peregrinos, & aduenas, atq; pauperes: nam verbũ hoc hospitalem, quod lingua nostra dicitur albergator, vt ait Paulus, idiomate Græco significatur peregrinorum amator. Alia conditio nec minus necessaria est, vt Episcopus sit doctor, nẽpe idoneus ad docendum, prædicandumqúe Christi Euangelium, cùm hîc minimè Paulus loquatur de Doctore in ciuili iure, aut Canonico, sed vt aptus ille sit ad ministrandũ verbum Dei, vt ad virtutem adhortari possit, atq; eos, qui sanæ doctrinæ contradixerint, arguere. Præcipit quoq; D. Paulus, vt Episcopus nõ sit vinolentus, neque iracũdus, sed illũ oportere esse benignum, mansuetum, & pium, adeoq; cùm aliquis corripiendus sit, illis verbis vti debeat, quibus eum potius ad amorẽ moueat, quàm ad iram, indignationem, atq; confusionem. Per hæc, atque alia, de quibus sacra Scriptura loquitur, rectè dignosci poterit, qualis esse debeat status Episcopi, atque ea quę ipse

ipſe agere teneatur. Maiora Epiſcoporũ peccata ſunt illa, quæ omiſſione admittuntur, atque difficiliora ſunt eis, quæ committuntur.

Primum eſt, Euãgelium ſuis ouibus non denuntiare, ſiq́ue ille non poteſt, à culpa nõ videtur immunis, cùm non ſatagit concionatores habere idoneos in toto ſuo Epiſcopatu.

Secundum, ſi non reſidet in ſuis Eccleſijs, in quo non abſque rigore examinandi ſunt Epiſcopi. Reſidere, inquam, in ſuis diœceſibus, moram ibi faciendo, quemadmodum bonus pater reſidere videtur in domo ſua, & ductor in nauigio, & paſtor in ſuo ouili. De qua reſidentia excuſare nequaquam ſe poterit ob aliquam cauſam, niſi fortè inquiſitionis conſilij præſidens deligeretur, nec alter foret, qui hoc fungi poſſit officio; ſecus verò efficiat Confeſſarius, vt ille debeat reſidere.

Tertium, ſi perſonaliter totam ſuam diœceſim nõ viſitauerit, quæ viſitatio minimè tanto cum faſtu, atq; pompa eſt facienda, quòd pauperes ſubditi ſcandalum ſumant, cùm ex illa potius conſolationem percipere deberẽt: ſed tanquam benignus pater prouideat neceſſitatibus pauperum, afflictos conſoletur, ac delinquentes corrigat.

Quartum, ſi Eccleſiarum officia, ac beneficia viris probis, atque ſufficiẽtibus minimè conferunt, qui nullo modo auaritiam ſequantur, ſed veritatem diligant, charitatem, atq; pietatem erga omnes, præcipuè autem erga pauperes.

Quintum, ſi oues ſuas non diligunt, ſatagendo, vt

do, vt sanæ, integræq; doctrinæ cibus eis ministretur, sicq; cum illis se gesserit, ac si nunquã de omnibus rationem sit redditurus Christo omnium pastorum principi, atque si cum austeritate eas tractauerit, qua erga suos subditos vtitur dominus, sicq; peculiariter austerus est in pauperes, orphanos, & viduas, de quibus omnibus Deus strictè à pastore rationem exposcerit Pastor omniũ. Nam verè bonus Episcopus tam diligere oues suas debet, quàm si ex proprijs visceribus eas genuisset, ac proprio sanguine suo redemisset. Peccata, quæ ab Episcopis committuntur, quasi scandalum semper præbent, atque non paruam iacturam afferre videntur.

Primò, cùm Episcopatũ desideret, quod communiter est mortiferum: nam vt quis sit Episcopus, quàm plurimæ requiruntur conditiones, sine quibus nequaquam culpa vacaret, qui ad huiusmodi dignitatem cupit ascendere, quive conditionibus istis se non præditum esse dignoscit, temerarius esse perspicitur.

Secundò, satagere, vt per fauorem, aut aliquo respectu humano Episcopatum adipiscatur.

Tertiò, si vbi Episcopatum obtinuit, alium quærit, præsertim per tertios intercessores, ac internuntios seculares: quod regulariter affert scandalum, atque mortiferum est peccatum.

Quartò, si subditos suos infestat, noua tributa, & compositiones eis imponendo, atque eis litem inferendo, etiam super his, quæ ei debentur, maximè necessitatis tempore, quando Epi-

do Episcopus, qui pauperum pater est, suis facultatibus eos sustentare tenetur, quamuis ob id domus suę suppellectilia vendere oporteret.

Quintò, si indignis hominibus Ordinē contulerit, non eos personaliter examinando, si opus foret.

Sextò, si personis demerentibus beneficia confert.

Septimò, si indignis beneficia confert, omittens magis dignos: in omnibus his lethalis culpa committitur, atque probabilissima est opinio, teneri eum ad restitutionē faciēdam.

Octauò, si paratus est beneficia conferre suis consanguineis, domesticis, ac familiaribus, cùm in personarum meritis videatur æqualitas, & quamuis magister sit exterus, seruus autem suus sit Grammaticus, tamē potius beneficia confert suis, quàm exteris, licet digniores ipsi exteri sint.

Nonò, si necessitatis tempore pauperibus subuenire omiserit, qui tunc aderunt: Xenodochia verò ædificat posteris, quod contra charitatem grauissimum est peccatum, ac iuxta nonnullorum sententiam cōtra iustitiam quoque videretur, cùm bona Episcopi ad fouendos sint pauperes.

Decimò, si ex Ecclesiarum redditibus facit patrimonia, aut sumptuosa Palatia ad memoriam eius seruandam, quod nimis est scandalosum, cùm Episcopus perfectionis magister esse debeat, ac humilitatis. Vnde quodam antiquorum Concilio statutum fuit, vt Episco-

pus exiguam domum haberet Ecclesiæ annexam, non autem domum regiam.

Vndecimò, si non efficit, vt in suo tribunali, ac auditorio, pauperum causæ expediantur, quoad possibile expediri poterunt.

Vltimò, grauiter peccat Episcopus, si in victu, atque vestitu debitum ordinem non seruauerit erga domum, atque familiam &c.

De Clericis, atque Sacerdotibus. §. 2.

PRæterea oportet Cõfessarium, vt Clericorum peccata dignoscat, qui ab eo modo sequenti erunt examinandi.

Primò, si Ordines ille suscepit, cùm ad eos suscipiendos inhabilis esset, aut simoniam committendo, aut ab Episcopo simoniaco, aut ante ætatem legitimã, aut in mortali peccato, aut cùm sit excommunicatus, irregularis, atque suspensus.

Secundò, si irretitus ille aliqua ex istis censuris, sui Ordinis officium exercuerit.

Tertiò, si ad titulum patrimonij, aut ficti beneficij, Ordines suscepit, aut falsi, vel cum licentijs falsè obtentis.

Quartò, si clericalem habitum cum aperta tonsura non gestat.

Quintò, si negotia sæcularia exercuit, vt ludos, & choreas.

Sextò, si officiũ suum administrauerit absq; debitis ornamentis.

Septimò, si Canonicas Horas audire omiserit, aut omisit, intentus cùm esset manuũ operibus, aut se voluntariè distraxit.

Octauò, si omisit debitã exhibere materiam,

&

& formam cæteris necessarijs cæremonijs ad Sacramenta administranda.

Nonò, si mortiferi peccati conscius, minimè confessus est, vt celebraret, cùm copia adesset Confessarij, vel si ieiunus non celebrauit.

Decimò, si calices mundos, ac bene apparatos non habet: si diligentia in dicenda Missa non vtitur, ne Sacramentum in terra decidat.

Vndecimò, si Missam celebrauit post habitam pollutionẽ, quamuis illa sibi dormienti contigisset, cùm ante mortalis causa successerit, sicq; Missam pro strigibus dixerit.

Duodecimò, si saltem in solemnitatibus non celebrauit, aut si vna die plures Missas dixit, nisi dies fuerit Natiuitatis, aut venia obtenta.

Tertiodecimò, si commisit simoniam in Sacramentis, aut beneficijs, aut si incompatibilia habet beneficia, sicq; bono titulo beneficiũ obtinuerit, quod ipse possidet.

Quartodecimò, si cum mulieribus commercium tenet, aut si eas inhonestè inspexerit.

Quintodecimò, si redditum habet Ecclesiæ, quẽ bene nequaquam dispensat.

Sextodecimò, si aliquod prædicauit mendacium, vanam curiositatem, aut aliqua leuia, vel inhonestas indulgentias, vel si parsimoniam prædicat, aut vanam gloriam, aut non imp. trata licentia.

Decimoseptimò, si absolutionem, cui non poterat, impenderit, si cõfessiones detexerit, aut festinanter eas audiuit, vel si peritiores in rebus dubijs non consulit, si malè iniũxerit pœnitentias, aut si quod non debebat, exposcerit.

Nonnulli aiunt, si Missam dixit antequã Matutinum recitauerit: sed hoc non est mortale peccatum, neque veniale, cùm rationabilis causa videretur adesse, nisi Episcopus in suo Episcopatu præceperit, vt prius Matutinum diceretur.

De Iudicibus. §. 3.

IVdices peccare solent contra ius diuinum naturale.

Primò, iniustè iudicando, nempe liberando reum, atque innocentem condemnando.

Secundò, aliquem cõdemnando in quolibet negotio graui per testes, ac probationes temerarias, non sufficientes.

Tertiò, alterius iudicium vsurpando, vt si quem condemnaret, qui nequaquam ei subditus esset.

Quartò, procedendo contra aliquem in particulari, tribus exceptis casibus, nempe, quando indicia sunt sufficientia, aut publica infamia, aut colloquium, seu semiplena probatio contra eandem personam in particulari.

Quintò, peccat extrahens eos de Ecclesia, qui earum potiuntur immunitate: quo in casu tenetur Ecclesiæ restituere, atque personæ peculiari detrimentum acceptum, quamuis illud propriæ vitæ sit, si vita eius adimeretur.

Sextò, si reum de complici interrogauerit, aut socijs in delicto, cùm nec sermones, neque indicia, neque semiplena probatio videatur.

Septimò, si delicta non ignorare satageret per viã confessionis, aut per illicitos aliquos modos non iuridicos: in quo casu totus proces-

sus

ſus eſt inualidus,licet reus poſtmodum confiteretur; teſtes verò dictum eius aſſerere non tenentur,niſi vnum ex præaſſertis non cōcurrerit, videlicet ſermo, indicia, aut ſemiplena probatio. In omnibus iſtis caſibus,abſque aliquo dubio,mortiferè iudex delinquit, teneturq; partem offenſam reficere de cunctis damnis, quę inde ſequerētur, quamuis crimini, ob quòd fuit ipſe condemnatus,obnoxius fuerit.

Octauò,peccat aliquem abſoluendo,contraria parte reclamante,quāuis ſupremus iudex fuerit,atque ipſe Rex, nec poſtquam parti ſatisfecerit,pœnam iuris poterit condonare,niſi Rex,aut Iudex ſupremus eſſet.

Nono, peccat,niſi effecerit, vt omnium pauperum cauſæ audiantur, atque vt breui tempore ſint expediendæ, curauerit.

Decimò,peccat ſuſcipiens ſibi dona, munera,aut pro ſuis famulis,ipſo ſciente, teneturq; in conſcientia reſtituere. Inſuper nonnulli diſerti viri aſſeuerant eum in foro conſcientiæ obligari,quater tantam ſoluere pœnā,quanta à iure imponitur, cùm iſtæ leges nequaquam pœnales ſint, ſed conuentionales: nam inter Regem, & eius miniſtros huiuſmodi fit conuentio, vt Rex hæc eis cōmendet officia, iſta conditione mediante, quòd dona non recipiant, & Iudex ſic ſe iuramento adſtringit. Quāobrē inhabilis remanet in acquirendo omnium rerum dominio, quas ita acceperit, ac reſtituere illas tenetur, antequam ſit ille condemnatus, atque in hoc aliquod dubium nō videtur,

detur, quamuis illud pœnæ tam certum non sit, nisi iudices nimis corrumperentur. Postremò Iudex examinandus est per leges Regias, aut legem Reipublicæ, quas ille nequaquam ignorare debet, vt de se rationem reddere valeat.

De Aduocatis, atque Procuratoribus. §. 4.

PEccata Aduocatorum, ac Procuratorum sunt hæc.

Si aduocauit, seu suscepit patrocinium, aut pcurauit, cùm ad hoc sufficiens minimè esset.

Si aduocauit, aut procurauit in causa, quam iniustam esse certò sciebat: nec excusatione dignus est, cùm diceret se illam suscepisse, non vt eã vinceret, sed vt differret, aut vt pars placaretur; nam omnia hæc iniusta sunt fundamenta.

Neque excusari videtur, si aduocans, aut procurans in causa iniusta, prosequitur, seu defendit aliquod capitulũ iustum, vt hoc modo impediret, aut differret, aut principalem causam diuerteret, cùm hęc nequaquam bona excusatio videatur: nam minimè sufficit, vt medium iustum sit, cùm oporteat vt talis sit etiam finis, & euidenter, atque clarè constat finem huiusmodi iniustum esse.

Si priusquã causam suscipiat, nõ examinãdo interrogauerit, an sit illa iusta, vel iniusta, imò si absq; discrimine aliquo oẽs tueretur.

Si defenderit causam, quam iniustã esse dignoscit, quamuis illam iustam esse primùm putauerit, & sic sequendo procedit.

Si verum parti non denuntiauit, quando

causa

causa est iniusta, & pars illa iustã esse crediderit: nam sic iniuria atque detrimento vtramque partem afficeret.

Si partem, quam ipse tuendã susceperit, edoceret, vt dicat aut respondeat aliquid falsum, aut ex industria, vt vinceret causam.

Si studiũ minimè adhiberet in defendendo causam, cuius suscepit onus: nã dũ ob eius incuriã, aut quia parũ studuit, pars illa causam amitteret, mortiferè delinqueret, teneturque omnia restituere dãna, dispendia, ac interesse.

Si aduersario secreta detexerit, quæ suæ parti referri viderentur, cùm in tali casu præuaricatio sit, atque falsitas, & sic ille præuaricator, ac falsarius diceretur.

Si pro causæ defensione magis quàm accipere potest accepit, iuxta leges, atque statuta Regni, seu Reipublicæ, aut iuxta probatam consuetudinem, quando aliqua nõ esset lex: Confessarius verò restituendum satagat quicquid plus accepisset, falsas eius excusationes nõ admittendo. Aduertendumque erit Aduocatũ non posse pacisci, seu conuenire cum parte, vt aliquid ei tribuat ex illo, quod ex lite lucrabitur, nempe dimidiũ, tertium, aut quartũ, cùm magnam suscipiat occasionẽ sumendi laborem, per vias licitas, & illicitas, vt causam vinceret quo ad melius ipse poterit.

Si iustam causam pauperis non tuetur, cùm non sit qui eam tueretur, aduertẽs illũ opprimi, atque iniustè tractari, nec opus est, vt ob id pauper ille extremè egeat, satis est eum non posse agere litem.

De Notarijs. §. 5.

PEccata Notariorum sunt ista.

Primum est periurium, si notarius iuramẽtum nõ seruat, quod iurauit, cùm ei officium exhibitum fuerit, veritatem seruandi, atque sinceritatem in scripturis, ac instrumentis ab ipso conficiendis.

Secundum, si falsas scripturas confecerit, aut si lacerauit, vel occultauit veras in præiudicium partis.

Tertium, si illicitas scripturas, aut cõtractus fecit, aut vsurarios, aut quouis genere improbatos.

Quartum, si in suo ꝓtocollo, aut registro nõ registrauit instrumẽta, aut scripturas, quas ille fecerit, aut si eas lacerauit, vel occultauit.

Quintum, si maius salariũ accepit, q̃ merebatur accipere iuxta leges, aut regia statuta: & quamuis sponte detur, debet illud plus, quod accepit, restituere, cùm nequaquam accipere potuisset.

Sextum, si ob ignorantiam, aut iniuriã omisit clausulas, aut necessarias solemnitates ad valorem scripturæ.

Septimum, si rogatus à pauperibus, soluendi modum non habentibus, nec est qui illis opituletur, vnde amitterentur bona, non confecit illis instrumenta, atque scripturas.

De Tutoribus, & Curatoribus. §. 6.

PEccata, quæ à Tutoribus, atque curatoribus admittuntur, sunt hæc.

Primum, si non procurant, vt minor natu bonis moribus imbuatur.

Secundum, ſi ipſius minoris bona non cuſtodierit, atque ſeruauerit, & quo ad potuit augere niſus eſt.

Tertium, ſi eius culpa amiſſæ ſunt cauſæ, actiones, ac iura minoris.

Quartum, ſi minoris pecuniam ad lucrandum mutuauerit, capitali excepto, quod eſt vſura; & tenetur vſuras reſtituere: aliud eſſet, ſi ad perdendum ac lucrandum mutuaſſet.

De Teſtamentarijs. §. 7.

PRimò, ſi debita non ſoluit, ac legata, cùm bona ſufficere videantur, aut ſi vt ſolueret legata, ſoluere debita omiſerit, ſciens, aut credens, nõ eſſe bona, quæ ad omnia ſufficerent.

Secundò, ſi cùm ſit ille teſtamentarius, nimis immoratus eſt in exequendo teſtamento, dum illud exequi potuiſſet.

Tertiò, ſi teſtamenti reſiduum reliquit hæredibus, aut illud in bonis incorporauit, ſciens teſtamentum non fore exequendum.

De Medicis, atque Chirurgis. §. 8.

PRimum peccatum, quod iſti ſolent admittere, eſt temerariè morbos curare, priuſquã illi dignoſcantur, aut morbis ipſis periculoſas curationes adhibere, cùm in principio dignoſcuntur.

Secundum, temerariè curare infirmitatem, poſtquam illa nota fuerit, negligenter nempe, cùm ſe gerat ſtudendo, viſitando, conſulendo, mutando ſententiam.

Tertium, experiri medelis incertis cum periculo vitæ.

Quartum, conſulere, vt aliquod admittatur

tur peccatum, veluti rem habere cum muliere, quæ non sit eius vxor, aut se inebriare, aut vt mulier abortiatur.

Quintum, si minimè admonuit, vt medicum spiritualem, nempe Confessarium accerseret, cùm opus erat.

Sextum, si ægrotum egentem curare noluit, qui soluere non valebat.

Septimum, si facilè ægris licentiam dedit, ne ieiunarent, aut carnem ederent die ieiunij, aut tempore vetito.

De Mercatoribus, atque Officialibus. §. 9.

PEccata Mercatorum, aut officialium sunt quasi infinita, sed magis ordinaria ponentur.

Primò, examinentur de cambijs iniustis per regulas de materia cambiorum.

Secundò, de vsuris palliatis, atque tectis, vt superius assertum fuit: de venditione dilata pecunia, aut anticipata, aut si rem emerit nimis vili pretio, cum pacto de retrouendendo.

Tertiò, si infidelibus ferrum, aut arma portauerunt sine licentia Papæ, aut licentia obtenta, cùm in Christianorum est preiudicium.

Quartò, interrogentur de Monopolijs, quæ sunt cùm inter se conueniunt de rebus non vendendis minus quàm mercaturæ valent, aut emendis minoris iusti pretij.

Quintò, si mutuant, suscipientes lucrum.

Sextò, si non soluerunt, aut defraudauerunt gabellas, aut alia iusta tributa.

Septimò, si falsis pecunijs scienter soluerunt,

aut

aut adulterinis, vel ruptis.

Octauò, si in negotijs societatum fideliter se non gesserunt, partem lucri occultando.

Nonò, si res furatas, aut surreptas emerunt.

Decimò, si ex consuetudine periurare solét, aut mentiri emendo, aut vendendo.

Vndecimò, si die festo pertractârunt negotia, vendendo, aut ratiocinãdo, cùm opus non esset; nisi parum temporis insumeretur.

Duodecimò, si internuntius extitit contractuum improborum.

Tertiodecimò, si artem aliquam exercet, qua vti quis non poterit, nisi ad peccandum, vt facere idola, taxillos, chartas, aut fucos, &c. Sunt isti adhortandi, vt hæc omnia linquant, atque non vendant huiusmodi his, quos non ignorant vsuros ad malum.

Quartodecimò, de falsitate, atque dolo, quibus vti poterunt in pondere & mensura.

Quintodecimò, si non ieiunauerunt, cùm huiusmodi sint officia, quæ à ieiunio non excusent. Hoc aduertere debet, atq; iudicare Confessarius, laborem moderando prudenter, quem ipsi in exercendis suis officijs sumere possent.

Sextodecimò, eorum ministri examinandi erunt de eisdem peccatis.

Decimoseptimò, notandum est mercaturam pro lucro, officium esse vile, atque ignominiosum, sed pro bono publico, aut domus suæ, conuenire, atque decere videtur.

De Doctoribus, atque Magistris.

§. 10.

Primò

PRimò, si Doctor, aut Magister fieri voluit, cùm sit insufficiens.

Secundò, si ob vanitatem, inanem gloriam, aut ob aliquem prauum finem gradum suscepit.

Tertiò, si Magistrum, aut Doctorem creauit non merentem.

Quartò, si Vniuersitatis iuramenta non seruauit.

Quintò, in hoc peccata continentur, quæ committit docendo, nempe legem, scientias, aut vetitas artes: si salarium sufficiens habēs, à scholasticis plus expostulat, præcipuè si pauperes fuerint illi: si publicè docet Scripturas, Theologiam, mortifero peccato irretitus: si ipse, cùm sit iuris Doctor, aut Physicus, scienter admiserit religiosum, aut sacerdotem, aut quemlibet clericum aliqua præditum dignitate ad suas lectiones audiendas: si diligentia minimè vtitur, efficiendo, vt sui scholastici proficiant in literis, atque bonis moribus: si cum alijs Professoribus contendit: si industrijs vtitur malis, vt ab alijs auditores auerteret, aut eos, qui ad audiendum alterum se conferre voluerint.

De Scholasticis. §. 11.

SCholasticus examinandus est, an scientijs vetitis studeat, aut prauo aliquo fine: si notabiliter studium negligit: si cōtra veritatem, quę sibi erat conspicua, contenderit: si statuta infregerit, quę ipse promisit, atque seruare iurauit. Quod rectè à Dredo exprimitur, scholasticum non esse periurum, si quicquid seruan-

uādum iurauit frangeret, cùm Rector nequaquam obligare ſemper videatur ad huiuſmodi pœnam tam grauem, ſed ad obedientiam adhortatur, quam ipſi promiſerunt, & de pœna illos admonet, quam imponere ille poteſt: quod in cunctis ſtatutis intelligitur, atque ordinibus, nempe, vt non pro quacunque re, quæ non ſeruatur, quis in periurium incidat, aut cùm votum non obſeruauerit. At ſi Rector in aliqua re, quæ nimis referre videretur, iuramenti expoſceret obedientiam, quæ ei præſtanda eſt, tunc periurium eſſet, atque culpa lethalis, ſi non obediret. Ita etiam peccaret, ſi non ſe gereret iuxta legem vniuerſalem ſe confirmando, quæ iuſta eſt, ac de re magni momenti, quæve ad mortiferum obligat peccatum. Inſuper ſi in voto emittendo iuſtitiam non ſeruat, ac veritatem, illi votum ſuum præſtando, quem digniorem quoad Deum eſſe dignoſcit. Præterea ſi aliquem ſubornauerit, aut ab alio ſe ſubornari ſiuerit: ſi magiſtros deuouit, ex quo ſequeretur quòd auditores eum derelinquerent.

De Pueris. §. 12.

PVeri interrogandi erunt ſuper mendacia, iurandi conſuetudinem, ſuper vota ac promiſſa non ſeruata, necnon ſi Miſſam audire omiſerint, ſiq; tempore debito nequaquā confeſſi ſunt, ac ſi parentibus non obedire, neque magiſtris, atque maioribus, illos venerando: ſi aliquid ſurripuerint à patribus, aut propinquis: ſi turpia, aut inhoneſta verba dixerint. Inſuper inquirendum eſt de rixis, ac odio,

quo

quo alios pueros prosequuntur, deqúe gula, an ei indulserint, si Christianam doctrinam non ignorauerint, se Deo commendant, si familiaritates habent bonas. Tandem de peccatis, quæ carnaliter committuntur, examinandi sunt, & hęc non absque prudentia, atque modestia, largo quodam modo fieri debet, vt eos peccata non edocere videamur, pręcipuè verò si puellę essent interrogandę, quæ quidem per regulas istas examinandæ sunt.

De Maritatis. §. 13.

PEccata istorum in tres partes diuiduntur.

Prima continet peccata commissa in contractu matrimonij.

Secunda, quæ in vsu matrimonij committuntur.

Tertia, quæ in suæ domus regimine, atque familiæ solēt admittere. Quæ in matrimonij contractu admittuntur, Caietanus ad septem redigit capita, atque illa bene declarat: sed ordinaria peccata, ac breuiora sunt hæc. Si matrimonium cum personis prohibitis contractum fuit, atque consanguineis in gradibus ab Ecclesia vetitis, aut in alio casu, qui prohibetur.

Aduertatqúe Confessarius alia esse impedimenta, quæ dirimunt, ac diuidunt; alia verò impedientia tantùm: Videlicet matrimonium contractum cum consanguinea diuiditur, atque annullatur: matrimonium, quod contrahitur post votum castitatis emissum, non diuiditur, sed in vtroque casu mortiferum est peccatum.

Secundò,

Secundò, si contractum fuit non præsente curato, aut alio sacerdote de ipsius curati licentia cum duobus alijs testibus, quo in casu Post Tridentinum Concilium inualidum est matrimonium: aut si primùm monitiones nequaquam factæ fuêre, siqûe contractum fuit coram parocho, ac duobus testibus, tunc valet matrimonium, quamuis peccatum admissum fuerit, curatus verò castigandus est, nisi ex necessitate monitiones ipsæ omissæ fuissent, vt Concilium statuit.

Tertiò, si nuptias celebrârunt solemniter tempore, quo illæ prohibebantur, siqûe in ipsis immoderatis sumptibus vsi sunt, atque pompa.

Quartò, cùm alter ipsorum minimè contractare intenderit, aut suscipere Sacramentum matrimonij, quod sacrilegium est, quemadmodum si fictè quodlibet aliud Sacramẽtum susciperetur. Præterea aliud peccatum admittit, cùm grauiter alteram partem decepisset, ac matrimonium est inualidum, & tenetur iterum vera cum intentione matrimonium celebrare.

Quintò, si malo fine contraheret, nempe, vt adulteraretur, furaretur, &c.

Sextò, si propter finem debitum nequaquã matrimonium contraxerit, ex quo pręsertim filios benedictionis suscipere prætenditur, ad remedium adhibendum concupiscentiæ, ac consanguineorum, & affinium amicitiæ, non autem ad consequendas diuitias, atque carnales voluptates. Cùm ergo quis contraxerit

absque principali fine, atque intentione liberos suscipiendi, modò non sint illi senes, venialiter tantùm peccaret, siqúe magis propter bona, atque mulieris pulchritudinẽ ad contrahendum impellitur, aut ob illam voluptatem inordinatam, veniale peccatum foret.

Septimò, si in peccato mortifero matrimonium celebrauit, aut si per procuratorem illud celebrat, etiam cùm non ignorat celebratum illud fuisse.

Octauò, si falsa dispensatione contraxerũt, aut furtiua, falsè referendo, quę non valet, ac opus est, vt alia capiatur. Si matrimonium aliquod contractum est ob primam, non valuit; sicqúe tenetur denuò illud celebrare.

Nonò, si nupsit, priusquam de morte mariti certior facta esset.

Decimò, si bis nupserit.

In secunda parte.

Primò excusat matrimonium ob delectationem, non autem ob alium finem.

Secundò, si copulam habuit contra naturam, aut modo, quo mulier suscipere semen non valuit, quod nimis graue peccatum est: at si in naturali vase illud suscipit, adeoq; concipere potuisset, veniale tantùm esset.

Tertiò, si mulier habens menstruum, debitum petijt, si autem vir petierit, illa verò nequaquam maritum de hoc monuerit, non peccat.

Quartò, si matrimonio vtitur cum periculo partus, aut suo proprio graui detrimento.

Quintò,

Quintò, si debitum loco & tempore opportuno petitum denegauerit, casibus istis exceptis.

Primò, si matrimonium nondum est consummatum, ac religionem ingredi vellet.

Secundò, si absque periculo vitæ, atque incolumitatis reddere minimè potest.

Tertiò, si qui petit fornicationem commiserit, aut adulterium, ob quod rationem petendi amisit.

Quartò, cùm matrimonij actus exercetur in loco sacro, aut publico.

Quintò, si ante benedictionem matrimonio vtitur.

Sextò, si aliquid ad non concipiendum effecerit, aut huiusmodi intentione extra vas naturale semen effudisset, quod maius est peccatum, ac contra naturam.

Septimò, si ob inhonestos tactus sequuta est pollutio, aut probabile periculum fuit, vt illa sequeretur.

Octauò, si qui debitum postulat, vouisset castitatem.

Nonò, si carnaliter cum muliere, quæ publica esset adultera, se miscuisset.

In Tertia parte.

Primò, si necessaria suæ familiæ nequaquã prouiderit: si malè vxorem tractauerit verbis, aut factis, aut si prçterquam decet de vxore nimium zelum habet, vel erga eam nimis remissè se gesserit: si mulier inobediens, molesta, iners, atq; indiligens erga res familiares fuerit. Insuper, si extra domum inuito mari-

to egreditur, siqúe se inuicem non diligunt, alter defectus alterius sustinendo: si liberos suos bonis educationibus non instruxerint. In hoc rediguntur cuncta vanitatum peccata, in quæ mulieres prolabuntur, atque vestium pompę, quibus illæ vti solent.

De Religiosis. §. 14.

RElígiosi peccare poterunt, Religionem ingrediendo per Simoniam.

Secundò, si intentionem non habuerunt bonam, vt si intenderunt non sustinere laborem, quæ intentio iustificari postmodum possit.

Tertiò, si impedimenta reticuit, si infirmus esset, &c.

Quartò, si cùm vouisset religionem arctiorem, in minus arctiorem ingressus est absque dispensatione.

Quintò, si rigiditatem, aut labores religionis tacendo, aut de illa mentiendo, alios induxerunt, aut eis persuaserunt, vt illam ingrederentur, aut vt ab alia meliori se absentarent.

Sextò, si castitatem non seruant, paupertatem, atque obedientiam suis superioribus, aut si eorum statuta transgressi sunt.

Septimò, si rectè functus non fuit officio, quod habebat.

Octauò, si malè Prælatum elegerit, aut si inordinatum affectum erga aliquam personam habet.

Nonò, si in visitatione, quicquid ipse non ignorabat, nequaquam detexerit, atque quicquid dicere tenebatur.

Deci-

Decimò, si religionis suæ præcipuas ceremonias non obseruauit, velut carnem non edere, &c.

Vndecimò, si bene tempus consumpserit, non autem otiosè, inaniter, atque inutiliter.

Duodecimò, peccat etiam si immoderatus est, murmurator, impatiens, negligens in oratione, pro se aut pro alijs preces effundendo, aut si indiligens est in Sacramentis suscipiendis.

Tertiodecimò peccat, si inordinato amore suos consanguineos, aut temporalia ista prosequitur, sicqúe de rebus hisce terrestribus loqueretur, quæ ei sapere viderentur.

Quartodecimò, si deposuit habitum, aut diuinum officium non recitauit, nec illud Deiparæ Virginis, nec pro mortuis exorauit.

Quonam modo Confessarius interrogare debeat de peccatis Cogitationis. Cap.17.



VONIAM cōtra omnia peccata legis, aut cuiuslibet status, ac in omnibus mortiferis peccatis potest cogitatione peccari, aut desiderio, & cùm specialis difficultas videatur in eis dignoscendis, atque examinandis, opus est breui quadam declaratione, quonam modo hoc sit faciendum: & vt hoc agnoscatur, non ignorandum est, hominem sex modis se gerere posse in praua cogitatione.

Aut ex se velociter eam repellendo.

Aut in ea parumper immorando.

Aut decernendo se velle eam opere cōplere,

Aut saltem ex proposito velle se in illa delectari.

Aut aliquam prauam cogitationem habere conditionalem, vt si diceret: vlciscerer ego, si nequaquam Deum offenderem.

Aut postremò se occupatum detinere in aliqua inani cogitatione, aut quæ parum referre videretur.

Primo casu iam patet culpam non esse, quæ sit confitenda, imò videtur meritum, & corona: quamuis cogitationis decertatio tota die perdurasset, modò strenuè obstiterit homo huiusmodi cogitationi.

Secundò, venialiter iste deliquit iuxta moram aut minorem, siue maiorem, quam ipse fecerit. Modus confitendi peccatum huiusmodi talis est.

Accuso me inhonestam habuisse cogitationem, aut iræ, aut odij, &c. quam à me tam citò non repuli vt debebam, imò in ea paulisper immoratus sum.

Tertiò, cùm quis consentijt, atque determinauit exequi ipso opere malam illam cogitationem, quamuis eam non exequeretur, clarum, atque conspicuum est, eum admittere mortale peccatum, ac eiusdem speciei, cuius opus esset: nam, vt aiunt Theologi, opus exterius nil addere interiori, quod essentiale sit.

Quartò, cùm quis vult stare, aut sinit se in illa cogitatione manere, ac delectari ea, nempe vltionis, aut inhonestatis, & turpitudinis, licet illam opere efficere non intendat, similiter

ter lethali culpa nequaquam vacaret, quæ à Doctoribus nuncupatur morosa delectatio, id est, cùm quis in delectatione illa immoratur, estque, vt dicitur vulgo: Si ego in taberna non bibo, saltem in ea delectationem suscipio: quod species peccati est, in quam maior pars hominum vitiosorum, carẽtium anima, & sensuales voluptates amantium incidere solet. Nam etsi hoc minimè sit assentiri operi culpę lethalis, tamen præbetur consensus illius delectationi, ac manifesto obijcitur periculo consentiendi. Hoc intelligitur, quando ipse homo aduertit, atque dignoscit quod cogitat, nec à se illud expellit. Quoniam si, cùm aduerterit ille quid cogitet, à se depellere nititur prauam illam cogitationẽ, nequaquam mortiferum peccatum admitteret, quoniam non aduertebat quid ipse cogitabat, sed venialiter peccaret, quod genus peccati euenire poterit in omni genere mortalium peccatorum, licet magis ordinariè euenit in peccatis carnis, odij, vltionis, desiderij, quæ generaliter magis accensa esse videntur quàm alia.

Quinto casu, cùm quis assentitur peccato condicionaliter, vt quando diceret, si absque dedecore, aut periculo possem, furarer mille aureos, quibus meis necessitatibus prouiderem, aut de illo vltionem repeterem, aut fruerer illa muliere, cogitatio ista est mortale peccatum, quando de re fuerit, quę est mortifera; aut erit veniale, cùm de re esset veniali. At si quis diceret, si non ego peccarem, nec offensa Dei foret, vltionem quærerem, aliquod non

esset peccatum, cùm non sit consensus in eo, quod peccatum est: nam qui interficeret, aut vlcisceretur, si nequaquam læderetur Deus, peccatum non admitteret. Tandem cogitatione peccatur, cùm quis se occupatum detinet vana, atque inania cogitando, quod ordinariè est veniale peccatum.

Sequitur Interrogatio, qua Confessarius ergà pœnitentem vti debet. Cap. 18.


ONFESSARIVS tenetur pœnitentem interrogare in casu, quo ille cogitet, aut dubitet rationabiliter, vt si pœnitens aliquid omiserit confiteri, quod necessarium esse videbatur ad integram confessionem faciendam, cùm sit ille iudex, qui debet causam dignoscere, priusquam absolutionem impenderet. Ideo sic sanctus Augustinus asseuerat: Diligens Confessarius minutim à pœnitente debet inquirere, quod fortè ille nescierit, aut ob verecundiam nollet illud detegere. & D. Thomas ait: Debet Confessarius pœnitentis conscientiam exquirere, non secus ac medicus infirmitatem ægrotantis, & iudex causam litigãtis. Sic illi iubetur in capit. Omnis vtriusque sexus, vbi dicitur, vt diligenter inquirat peccatoris circunstantias, atq; peccati. Si verò dignosceret Confessarius pœnitentem bene se in confessione gessisse, rectéque fuisse confessum, non tenetur eum interrogare. Quando autem interrogauerit, aduertat vt non interroget de quolibet peccato, quod committere pœnitens potuisset, sed

tantùm

tantùm de illo, de quo, vt illi videbitur, erit interrogandus, quod generaliter homines illius conditionis, & status solent admittere, & hoc facere non absque prudentia debet, atque modestia, nec de peccatis extraordinarijs inquirat, quę ignorantur, sed de illis tantùm, quę ordinariè admitti solent contra legem Dei, atque pręcepta Ecclesiæ. Interrogationes in tres partes diuiduntur. Aliæ ante confessionem, aliæ in confessione, aliæ verò post confessionem.

Interrogationes ante Confessionem faciendæ. § 1.

PRæambulares interrogationes ad has rediguntur.

Primò, de statu pœnitentis interroget, si illum non agnosceret: si vxorem duxit, aut si liberos ex vxore susceperit, quo fungatur officio, qua ue industria viuat.

Secundò, circa pręteritam confessionem interroget, à quo tempore non confessus est, siqúe præterito anno confessus fuit, si communicauit in Pascha Resurrectionis, si in præterita confessione aliquod omisit mortale peccatum confiteri ex proposito, vel ob verecundiam, cùm in tali casu reiterare confessionem teneatur. & idem dicendum est, si in confessione mentitus est in materia culpę lethalis, vt si interrogatus pœnitens, an maritata erat illa, cum qua peccauit, aut consanguinea, reticuit, aut cùm magnum esset furtum, quod fecit, paruum esse dixisset. Pręterea si pœnitentiam sibi impositam adimpleuit, cumqúe non adimpleuerit, præcipiat, vt statim adimpleat. In-

at. Interroget insuper, an alter Confessarius ei præceperit, vt aliquod restitueret, vtqúe ab aliquo peccato se absentaret, aut ab aliqua perniciosa societate, vel occasione peccandi, & an obedierit, vel ne. Preterea, an bene conscientiam suam discusserit, recteqúe sua peccata præmeditatus sit, vt illa cõfiteretur, cùm de eis rationem sit redditurus ante Deum: siqúe rectè illa non excogitauerit, constituat tempus, atque modum, vt suam conscientiam examinare valeat, vt supra dictum fuit, atque copiosius dicetur in his, quæ sequentur. Caietanus in Summa alias præambulares ponit interrogationes, quæ, vt diserti viri sentire videntur, potius sunt relinquendæ, videlicet:

Prima, an pœnitens potitur priuilegio, aut facultate, vt Confessarius ipse possit eius confessionem audire, ac impendere ei absolutionem, siqúe de sua parochia est, aut Bullam habet.

Secunda, si aliquo detinetur impedimento, ob quod ille eum non possit absoluere, neque debeat, vt si domi concubinam habet, quam linquere minimè vult: si est vsurarius, & ab vsura nollet se abstinere: si inimicitias habet, ac odia, nec desistit ab eis, vt postmodum non conquerantur Confessarium audiuisse eorũ peccata, nec impendisse absolutionem. Idem agendum erit erga Ecclesiasticum nonnulla beneficia habentem absq; dispensatione. Præterea, an excommunicatione aliqua sit irretitus cum casu reseruato.

Tertia,

Tertia, ſi ſuam conſcientiam non examinauerit, peccat mortaliter: impoſſibile videtur, vt reminiſci peccata poſſit, quæ abhinc nonnullis diebus admiſiſſet, cùm ſuam conſcientiam nequaquam diſcuſſiſſet. Huiuſmodi interrogationes Caietani non ſunt nimis neceſſariæ, præcipuè verò omittenda eſt ſecunda, duas ob rationes.

Primò: nam tūc videretur occaſionem pœnitenti præbere, vt ille ſuos defectus detegeret extra confeſſionem, cùm etiam fieri poſſit, vt in confeſſione, aut poſt confeſſionem, atq; admonitionem à Cōfeſſario ſibi factam ſtatuat illud peccatū relinquere, in quo perſeuerare forſan intēdebat. At ſi expedire videretur, interroget, an humiliter ſe ad pedes contulerit Confeſſarij, cùm ſit ille Parochus atque eius expoſcat neceſſitas.

Poſt huiuſmodi interrogationes Confeſſarius ſinat pœnitentem ſua confiteri peccata, velut ea excogitauerit, quamuis craſſo quodā modo, ordine nequaquā ſeruato, cùm pœnitens accuſator ſui ipſius ſit, ideoq; ſe incuſare tenetur, atque cùm infirmus eſſet, dicere debeat, quonam detineatur dolore, nec Confeſſarius tempus hoc, quod pœnitens ſic inſumeret, fruſtra amiſſum putet: nam ob hanc confeſſionem, qua ipſe ſua peccata confitetur huiuſmodi, dignoſcitur in quo interrogādus ſit ille, nec ipſe pœnitens interrumpendus eſt, cùm ſe incuſaret, donec expleuerit, quod ipſe cogitauerat. Poterit poſtea ab illo expoſcere, vt ipſi videbitur: ordinariè verò debet de de-

cem præceptis decalogi, deq; septem peccatis mortalibus, ac de quinque præceptis Ecclesiæ, hoc modo.

Primum Præceptū, Deū honoraueris super omnia.

QVemadmodū S. Augustinus ait, honoratur Deus tribus illis virtutibus, quæ Cardinales nuncupantur, nempe Fide, Spe atque Charitate; & præterea honoratur Religione, cuius proprium est honorare, ac reuereri Deum. In his pœnitens erit interrogandus. *Circa fidem* inquirendū est, an ipse à fide Iesu Christi nostri Redemptoris defecit, eam non esse veram sibi in animum inducēdo, quod Apostatare videretur: si denegat, aut pro certo habet, aliquod ex his, quæ Catholica Ecclesia pro fide tenet, non esse verum, est hæreticus: si in fidei articulo dubitauit, cùm in fide dubitans infidelis sit: saltem si vacillauit, aut titubauit paulisper in rebus circa illam, peccatum est veniale, quādo inaduertenter id contigisset, non autem ex proposito: nam ex proposito vacillare, aut deliberare, peccatum est mortale: si fidem exterius abnegauerit ob metum alicuius periculi, mortiferum est: si curiosè res fidei inuestigare, atque scrutari voluit: si credere noller, nisi quod humana ratione probatur, atque intellectu suo conspicit.

Circa spem, si de misericordia Dei desperauerit, si suorum peccatorum veniam consequi diffisus est, si econtra malè viuendo perseuerauit, confidens se peccatorum veniam consequuturum, aut pœnitentiā agere distulit vsq; ad senectutem, aut mortis horam: si in aduer-

sis sibi euenientibus in Deo confidit, vt debet, sicq; viriliter egerit, nō secus ac spes Christiana dictaret, vel si omnē spem suam in creaturis, aut hisce momentaneis rebus collocauerit.

Circa charitatem, si Deum odio habuit, si immoderato amore creaturas amplectitur, si seipsum, aut patrem, aut vxorem magis quàm Deum amauerit, aut aliam creaturam: si operibus bonis inuigilat potius ad emolumentū aliquod consequendum, aut ob humanos respectus, quàm ob amorem Dei: si Deum amare ex toto corde, atque ex tota anima omiserit, cùm tenebatur: si Deo de collatis beneficijs non egerit gratias, præsertim cùm proximus aliquod ei magnum contulerit beneficium: si Deo nequaquam se commendauit, si Christianam doctrinā ignorat, vt ex illa Deū agnosceret, illumq; diligeret.

Circa Religionis Virtutem examinandus est in rebus octo.

Primò, si Dæmonem adorauit, aut aliam creaturam extra Deum.

Secundò, si Deum deuouit, aut illi maledixerit, aut Sanctis eius, aut iniuriosè aliquid illorum occultum nominauerit.

Tertiò, si aliquem Iudaicū ritum obseruauerit, aut diuino cultui inhonestū aliquod, aut turpe immiscuerit.

Quartò, si excessu aliquo vsus est in corporali apparatu, atq; canticis Ecclesiasticis, quod ordinariè peccatum est veniale, modò excessus nimis magnus non fuerit, aut si Ecclesiasticis canticis seculares cantilenæ nō multū honestę miscerentur.

Quin-

Quintò, si Dæmones inuocauit, aut familiaritatem, aut pactum, vel communicationẽ cum dæmone habuit, cùm nequaquã licere videatur cum eo tractare, nisi tanquam capitali inimico, aut cũ imperio diuinæ virtutis ei præcipere. Si dæmonẽ alloquutus est, quod quando sit mortale, aut veniale peccatum, iam superius declaratum fuit.

Sextò, si est veneficus, aut somnia credit, auspicia, sortes, fascinationes, aut istorũ aliquo vsus est. Si secum gerit nomina superstitiosa cum figuris, aut obscuris nominibus, aut incognitis, nec receptis. Si nonnullis vsus est deuotionibus ad aliquem prauum finem consequendum.

Septimò, si vota impleuerit, atque promissa facta Deo, cùm adimplere illa tenebatur.

Octauò, si Deum tentauerit: tentare Deũ est, prætendere, vt miraculosè illud efficiatur, quod obtinẽdum per ordinarios modos esset.

Secundum Præceptum est: Non assumes nomen Dei in vanum.

CIrca hoc præceptum Confessarius pœnitentem interroget iuxta tres necessarias conditiones, vt validum sit iuramẽtum, nempe Veritatem, Iustitiam, & Iudicium.

Circa Veritatẽ, si iurauit mẽdaciter, nõ ignorans, aut non aduertens, an quod ille iurabat verum esset.

Si iurauit promittendo aliquid licitum, quod postea non seruauit, aut non seruare intendebat.

Si iurauit seruis suis minas inferendo, aut filijs,

filijs non intendens facere quod iurabat, & postmodum magis expedire visum fuit parcere, quàm exequi iuramentum, non tenebitur illud seruare.

Circa Iustitiam, si iurauit aliquod facere malum, maximè cùm mortale peccatum esset illud, peccauit mortaliter: iuramentum autem non obligat, imò ille peccauit iurando. Nunc etiam quæritur de iuramẽtis maledictionũ, q̃ nimis sunt generalia, vt cùm dicitur hoc, aut illud mihi eueniat, quæ obligãt in conscientia, & sic iurare malum est: cùm quis iurat alicui malè facere, aut aliquod patrare malum: quo in casu non obligat, sed peccat qui ita iurauit.

Si alicui prębuerit ansam falsè iurandi, aut iuramentum licitum non seruandi, quod ille iurauerat.

Circa Iudicium, si indiscretè iurauit, aut aliqua causa non adueniente, tunc si verum dicere putabat, veniale peccatũ esset: at si adeò temerè, atque ineptè iurauit, nil considerando, peccauit mortaliter ob periculum illud, cui se obiecit, falsum iurandi. Ad hoc redigitur, si ex more solet ille peccare, atque consuetudine, quod nimis periculosum est, propter periculum, in quo ipse versatur, iurandi aliquando falsum. Si filios reprehendere omisit, aut seruos, quando illos sæpe iurare audiret. Non oportet in qualibet harum interrogatione exprimere, quando peccatum sit veniale, aut cùm mortale illud fuerit: nam hoc tunc assertũ fuit, cùm de secũdo præcepto asseruimus.

Ter-

Tertium Præceptum, dies festos obseruare.

Circa huiusmodi præceptum Caietanus in Summa quã plurimas ponit expostulationes, sed omnes ad hæc capita redigi poterũt.

Si festa non seruauit, exercens, aut exerceri faciẽdo in eis opera seruilia, nisi aliquid paruum sit.

Si integram Missam festis diebus non audierit absque legitimo impedimento.

Si Missæ, aut alijs diuinis officijs, non ea, qua decet, reuerentia interfuit, sed loquendo, ridendo, aut murmurando.

Si minimè curauit, vt omnes sui domestici audirent Missam.

Si indiligens fuit, aut incuria vsus est in concionibus audiendis.

Si aliqua irretitus excommunicatione adfuit diuinis officijs.

Si non ieiunauit, cùm sancta mater Ecclesia ieiunium præcepit.

Si decimas non soluit.

Si dies festos in ludis, atque inanibus rebus insumpserit.

Quartum præceptum: Honorare patrem, & matrem.

Examinandi sunt filij per normam huius præcepti hoc modo.

Si derisit, contempsit, aut maledixerit patri, aut matri.

Si eis in rebus iustis non obtemperauerit.

Si in eorũ necessitatibus nõ illis subuenerit.

Si dedecus esse putauerit, aut reputet talem habere patrem, aut matrem, aut alios consan-

gui-

guineos, cùm illi sint pauperes.

Si illorũ testamẽta minimè exequutus fuit.

Si illis mortem appetierit, vt hæres fieret.

Si verbis illos absentes, aut præsentes affecerit iniuria.

Patres interrogandi sunt per huiusmodi interrogationes.

Si sategerunt suorum filiorũ, curam adhibẽdo, vt ipsi Christianã doctrinã edocerẽtur.

Si illos nõ reprehẽdunt, atq; castigant, cùm malè agũt, aut cũ prauas habẽt familiaritates.

Si non efficiunt, vt in aliqua re se exerceãt, ne vagari, aut otiosi videantur.

Si nimijs blanditijs erga illos se gesserint, atque suo modo eos viuere sinunt.

Si illos res inhonestas loqui docuerint.

De hoc etiam *interrogãdi sunt domini* erga suos seruos, ac famulos; præterea si necessaria eis prouideant.

Si cùm ægrotãt satagunt, vt eis medela corporis exhibeatur, præcipuè verò, vt curetur anima.

Insuper si sinunt eos inhonestè viuere, vt concubinam tenere, aut in alio peccato immorari, potentes remedium adhibere.

Inter socrum & nurum quærendum est, an in eis sint iurgia, aut mala verba, aut si mors appetitur, vt hæreditatem adipiscerentur.

Inter coniuges quæratur, an maritus malè erga vxorem se gerat verbis, aut opere, aut si ei non consuluerit de necessarijs, aut eam maiori pompa vti sinit, quàm oporteat.

Si eam verè diligit, siqúe illam corripit, atque

atque admonet cum charitate.

Præterea, si coniux malè tractauerit maritũ, illi non obediẽdo; si occasionẽ ei præbet, ne æquo animo ferat quæ solent contingere.

Si alter ex coniugibus absque sufficiente ratione zelosus est, siqúe causam præbet, vt alter indecens aliquid efficiat.

Insuper si subditus suis maioribus non obtemperauerit, aut eorum iussa contempserit.

Si eos tacitè, atꝗ interius neglexerit, siqúe murmurauerit, aut de illis conquestus est nullam ob causam.

Si temerè res suas iudicauerit malo fine, dicendo eos illa agere ob animi passionẽ, aut pro interesse, aut ob alios respectus humanos.

Si verbis, aut opere personas neglexerit, aut contempserit aliqua præditas dignitate, aut senes, aut eos derisit.

Si ingratus extitit erga eos, qui sibi præstiterint beneficia, oblitus se beneficia illa suscepisse, eis mala pro bonis reddendo.

De quinto Præcepto: Non occides.

IN isto præcepto pœnitens interrogãdus est de iniurijs, quæ ipso opere personis inferuntur.

Si occidit, mutilauit membrum, iniecit in carcerem, vulnerauit, relegauit, cepit sine auctoritate Iustitiæ.

Insuper si occidere tentauit, aut aliquod ex præassertis damnum inferre.

Si patres, matres, aut alij ob eorum incuriam creaturam aliquam in lecto suffocârunt.

Si procurauit abortum, quod semper est mor-

mortale, aut ante, aut post animatum fœtum: at si postea fuit, qui occasionem præbuit, efficitur irregularis.

Si procurauit, aut sumpsit poculum aliquod, vt non conciperet, vel vt abortiretur, aut alteri dedit ad idem efficiendum.

Si fauerit, cõsuluerit, aut auxiliatus est, vel iussit, aut nõ prohibuit, cùm id possit efficere.

Si tãquam Iudex castigauerit, aut torserit aliquẽ iniustè, aut hoc ab altero fieri fecerit.

Si deliberatè optauit, vt ex istis aliquod detrimentum proximo contingeret. Ad hoc redigitur, si odium habet, inimicitias, sectas, aut factiones.

Si alicui malum corporis, aut animæ desiderauit, vel si de proximi damno gaudet, aut si illius felicitate dolet.

Si per se vindictam fecerit, aut per alium de illata iniuria, aut si illam appetijt: si inimico iniuriam condonare noluit, ac beneficia communia denegauit.

Si inter aliquos inimicitias fouet, se alicui factiosum exhibẽdo, nempe illius sequendo partes, aut si generalem fauorẽ dederit, aut particularem huiusmodi seditionibus, si incitauit, aut ansam præbuit inimicitiæ inter aliquos, dissensiones inter pacificos disseminando. Si in aliquo bello iniusto fuit, cùm iniustũ illud esse nõ ignoraret, aut superiore sibi non pręcipiente, cùm de iniustitia belli dubitabat. Si quo ad animam spiritualiter suum proximum interfecerit, eum impellẽdo, eiqúe consulendo, aut occasionem præbendo peccandi

mortaliter. Si illū associauit, aut ei fauorem præstiterit, aut auxilium ad offendendum Deum. Si fraterna charitate eum non corripuit, vt eum à peccato liberaret, quod est spiritualem mortem inferre.

Sextum præceptum: Non Mœchaberis.

CIrca hoc præceptum sic inquirendū erit. Si cum maritata peccauerit, & tunc est adulterium.

Si cum consanguinea inter quartum gradum, & dicitur Incestus.

Si peccauit cum moniali, aut persona consecrata, cùm vouerit votum castitatis, aut solemne, aut simplex, aut si ipse pœnitens castitatem vouerat, in omnibus istis casibus est sacrilegium.

Si peccauit cum virgine, est stuprum.

Si peccauit contra naturam, quod duobus euenit modis.

Primùm, cùm quis ex se pollutione se fœdauerit, aut lætatur illa, cùm accidit, hoc peccatum mollities nuncupatur.

Deinde contingit peccatum istud, quando homo cum altero se miscendo peccaret, aut cum propria vxore, aut cum alia, extra vas naturale, quocunque modo fit; & hoc vocatur Sodomia. Ad hoc peccatū redigitur peccatum bestialitatis, quando quis cum bestijs peccaret.

Præterea quando mulier superstat, vir autem subest, dicitur etiam extra naturam, estq; contra ordinem.

Si peccauit aliquo imperfecto opere, atque inho-

inhonesto, nempe tactu impudico, vitioso, atque lasciuo.

Si quid effecit, vt aliquem ad carnale impelleret vitium, veluti si fuco aliquo se expolisset, vestitu exornasset, aut si aliquo in loco se conspiciendam offerret, aut in specula, aut in fenestra.

Si pro munere, dono, aut falsis promissis, seu veris, aut alio modo ipsemet procurauit, ne huius peccati occasionem relinqueret.

Si publicauit, aut diffamauit seipsum.

Si ex alterius vxore liberos suscepisset, quos maritus illius pro suis æstimaret.

Si proprius filius immemor, atque ingratus erga patrem, ac matrem extiterit.

Si cognouit virginem, nec illius virginitatis damno satisfecerit. Insuper opus est, vt circa huiusmodi præceptum inquiratur, præcipuè de cogitationibus, verbis, deq; operibus, atque quocunque modo, quo ex tribus istis peccatur, necesse est circunstantiam declarare personæ, cum qua peccatum admittitur. Circa cogitationes quærere debet Confessarius, an indiligens fuerit pœnitens eis obsistendo, vel an eis præbuerit consensum, opere illas perficere cupiendo, dum posset: si in eis morosè delectatus est, aduertendo huiusmodi delectationem. Circa verba, si turpia dixerit, atque inhonesta, oblectationem ex eis capiendo: si verbis, aut scriptis, aut per tertiam personam ad peccandum aliquem incitauerit, si obscœnos, ac inhonestos libros legerit. Præterea à coniugatis quærendum est, an inui-

cem iustum debitum soluant matrimoniale.

Si aliquo modo impedire tentant fructum generationis, siqúe ordinem, vsumq; naturalem seruarent.

Si aliquam extra illum habuerint pollutionem.

Si eius vxoris consanguineam intra quartum gradum cognouit, quod si prius contigisset, non potest contrahi matrimonium: si verò postmodum fuit, non potest petere debitum, absque dispensatione Papæ, aut Prælati, sed tenetur reddere, si pars altera postulauerit. Extra huiusmodi communes interrogationes, non amplius à coniugatis quæratur, nec ab alijs, tum ne illa peccata edoceantur, tum etiam ne ad aliquam excitentur tentationem. Quando verò malum confiteretur, aut peccati speciem, nequaquam necesse est peculiare illud exprimere, aut modum, seu res, quæ ex se huiusmodi operi viderentur annexæ.

Septimum: Non furtum facies.

Circa hoc, atque circa decimum præceptũ à Pœnitente quæratur, An ille per iniustos modos habere bona concupiuerit.

An per quascunque vias licitas, vel illicitas augere sua bona peroptat. An auarus extiterit cum insatiabili auiditate fruendi huius vitæ bonis. An alterius bona surripuerit, furatus sit, aut vsurpauerit. An fraudibus, dolisq; studuerit, eis vtendo. An iniustos contractus confecerit, nempe vsuræ, cambiorũ, emptionum, venditionum, ludorum, simoniæ,

atque societatum. An aliena bona restituerit. Cuncta hæc iam fuerunt copiosè asserta, cùm septimum præceptum fuit declaratum.

Octauum præceptum: Non loqueris falsum testimonium.

PRæceptum hoc duos magnos habet ramos, quorum alter sunt peccata, quæ in iudicijs fiunt ex parte Iudicis, procuratorum, testium, actoris, & rei. In altero autem ramo subintrant infamiæ, detractiones, murmurationes, derisiones, iudicia temeraria, suspiciones, mendacia, atq; assentationes, seu adulationes.

Quo ad primum ramum, si pœnitens est Iudex, testis, procurator, &c. interrogetur quonam modo se ille gesserit in eo, quod ad illũ attinere videbatur, quo ad suum officium.

Si falsam, aut iniustam tulit sententiam.

Si iniustas, aut falsas causas defendit, aut dolosè veritatem celauerit.

Quo ad secundum ramum, an mulieres falsum dixerint testimonium.

Si ob amorem, aut odium loquuntur de alijs, asserendo eas prauas esse, aut striges, aut fures, cùm aliquid in illarum domibus desit: nam hoc etiam dicitur testis esse falsus, quando paruo fundamento fundatur.

Insuper si de aliquo malè loquutus est prauo aliquo fine, atque intentione detrimẽtum illi afferendi, & vocatur detractio.

Si aliquod graue delictum prodiderit, aut occultum alicuius, vnde ille diffamaretur, quãuis id nõ dixerit intẽtione eum infamãdi, & licet verum assereret, tamẽ tenetur famam

restituere, quam ille sic dicendo abstulisset.

Si lubenti animo audiuit ꝓximo detrahentem, aut ei ad detractionem illã opem tulerit.

Si ex leuitate dixerit malum illud proximi, quod ab alijs dici audierit.

Si proximi famam non defendit, cùm ille diffamabatur, sciens non esse verum, quod de illo alij asserebant.

Si derisit defectus naturæ, aut morales proximi.

Si actus, aut verba proximi temerè iudicauerit, in malam partem capiẽdo, quod in bonam capere poterat, siq; pro certo affirmauit, quod corde excogitauerat.

Si suspiciosus est cuiuslibet rei leuis, occasionem suscipiens suspicandi malum.

Si inter proximos dissidia inseruit, alium contra alium inducendo, ac alterius defectus alteri asserendo, ex quo odia proficiscuntur immensa.

Si aliquod protulerit mendacium in detrimentum proximi, aut emolumentum, aut cuiusuis alterius modi.

Si ob falsam prænotionẽ consequutus aliqd fuerit, quod iustè consequi minimè valebat.

Si secretum detexit, quod ei apertum fuit.

Si alterius literas resignauit.

Quo ad nonum, ac decimum præceptum, interrogandum est, quemadmodũ in sexto, atq; septimo fuit interrogatum.

Interrogationes super septem peccata capitalia.

De Superbia. §. 2.

Super-

SVperbia q̃ plurimos habet ramos, de quib' in particulari debet inquirere Cõfessarius.

Primus, si vanam gloriam appetit.

Si in rebus prauis gloriatus est, veluti dicere se vltum fuisse, ac verberibus aliquem affecisse, aut illi iniuriam intulisse, &c.

Si gloriatus est de inanibus rebus, aut indignis gloria, aut de vultus pulchritudine, de corporis delicata compositione membrorũ, de persona bene composita, de tot seruorum comitatu, de diuitijs, de nobilitate, ac alijs huiusmodi, quæ nihil referre videntur.

Si inaniter gloriatus est de rebus bonis, atq; gloria dignis, veluti sunt virtutes, sapientia, prudentia: cũ ob hæc dare gloriã Deo deberet.

Si seipsum commendauit de adulatione humana, ac laude, immoderatam capiendo lætitiam, nec laudem exhibendo Deo.

Circa ambitionẽ, si ambitiosus est, aut honoris, atque gloriæ extra modum auidus, siq; ob eam fecerit, quod non decet.

Si adeò timidus timet iniuriam, atque infamiam, aut ne odio haberetur, quo ad hæc inconueniẽtia euitanda, quod agere non debet, agit, & omittit agere quod deberet.

Si timens, quæ de illo dici possint, omiserit bene agere, veluti confiteri, cõmunicare, audire Missam, conuersari cum bonis, &c.

Circa præsumptionem, si vanè id præsumpserit, quod non est, reputans se magis virtuti studere, quàm alij, necnon & prudentiorem, atque nobiliorem se esse, quod minimè est.

Si nimis præsumeret de eo, quod in se est,

Deo laudem nequaquam tribuendo.

Si nimis suæ innititur sententiæ, sapientię, atque virtuti.

Si hac de causa nolit, vt ipse ab altero corripiatur, vt in eum animaduertatur, eiq; consilium præbeatur.

Si ob eandem causam suos defendit errores, qui tergiuersari non possunt, excusationem afferendo suorum facinorum.

Si, vt non videatur conuictus, contra illud obsistit, quod verum, atque rationi consentaneum esse conspicitur.

Si alios contempsit, eos paruifaciendo, atq; in illorum contemptum verba proferendo.

Si huiusmodi præsumptione derisit, atque neglexit alterius defectus, ac ignorantias.

Circa hypocrisim, si procurauit, vt ipse talis videretur, qualis non erat, aut sanctior quàm ille est, vt inter homines variè adipisceretur bonitatis honorem.

Circa iactantiam, si iactauit, aut laudauit seipsum, aut res suas inaniter.

Si de aliquo facinore ab eo patrato se iactauerit, veluti si diceret se aliquam mulierem deflorasse, aut aliquem affecisse iniuria.

Si seipsum laudibus extulerit de re aliqua, quam effecisset, præcipuè verò, si mortifera esset illa, vt videretur homo, qui præualet, atque maiori dignus honore.

De Auaritia.

SI auarus, aut parcus est, aut pecuniam coaceruauit absque causa rationabili.

Si è contra prodigus est, atque dissipator.

Si

Si plusquam habet impenderet, vnde se periculo obiecit, atque necessitati, vt nequaquam prouidere ille possit rebus ipsis domesticis, atque seruorum necessitatibus, ac filiarum, vel si illas ad ingressum monasterij coegerit.

Si nimis, aut inordinatè pecuniam appetit, vnde Deum obliuiscitur, atque ea, quæ ad salutem animæ consequendam attinere conspiciuntur, cùm preter conscientiam ad lucranda bona negotijs inseruiret.

Si alterius mortem concupiuit, vt ex hæreditate aliquid caperet, aut pro alio emolumento, quod ille consequi iam intendebat.

De Luxuria.

DE hoc iam assertum fuit in tertio Præcepto.

De Ira.

CIrca Iram, primùm inspiciat, an si iratus secum fuit appetens sibi mortem.

Si ira percitus, atque ob rabiem in se ipsum manus iniecerit.

Si Dęmoni seipsum obtulit, vel si ipsimet maledixerit, aut sibi ipsi inflixerit vulnera.

Erga proximum, si indignatus est contra eum absque causa.

Si eum contumeliosis verbis affecerit, veluti si diceret illum esse ebrium, furem, ineptum, &c. cùm suus seruus non sit, neque mancipium.

Si ob iracundiam errata illi obijceret, quę admiserat, aut verba ab eo prolata, vt ei pudorem inferret.

Si ob eandem iram eadem protulit verba, aut eosdem defectus detexit absente persona, aut maledixit, aut obtulit dæmoni Dei creaturas. Si aliquid contra eas expostulauerit, aut sint eius seruæ, vel ne, quamuis altera culpa ab altera differre videatur.

Si pertinax est, iracundus, seditiosus, atque iniuriosus in consuetudine, atque contentione.

Si cordis iram opere compleuit, manus in aliquem inijciendo.

De Gula.

SI Ecclesiæ ieiunia infregerit.

Si carnem diebus vetitis ederit, absque sufficienti ratione.

Si eam inordinatè comederit, ac huiusmodi cibos, qui eius incolumitati damnum inferrent.

Si nimis edit, aut bibit, aut pluries, aut nimia cùm auiditate, atque appetentia.

Si nimis pretiosos, ac lautos cibos appetit, atque curiosè apparatos, siqúe in hoc largè impenderit.

De Inuidia.

SI deliberatè de bono proximi doluit, cùm alius illum excelleret, veluti dolet Aulicus, qui aliquem maiori gratia valere dignosceret, quã ipse, aut maiora opera efficere, quàm ipse efficit.

Si de malo proximi gaudet, aut illum dignitate priuatum esse cuperet.

Si de illo turpiter loquutus est, grauissimè ei obtrectando, vt eius famæ detraheret, aut

damnum

damnum inferret personæ, atque decus aliquod adipisci studuerit cum alicuius dedecore.

Si illius defectum secretum detexit, vt eius defectis vitijs non tam honoretur; si ideo ægrè tulit, cùm de illo honorificè loqui audiuisset.

De Auidia.

SI ob indiligentiam bonis operibus incumbere omiserit, vt Missam audire, aliquid recitare, tunc præsertim cùm ad id obnoxium se esse dignosceret.

Si negligenter, ac tepidè se in diuinis rebus gesserit.

Si in bonis consilijs exequendis, quæ sibi exequenda statuerit, inconstans fuit, siqúe deuotiones, sanctasque exercitationes quacunque de causa omiserit, si eas de die in diem distulit: si somno, magis quàm necesse est, tempus insumpserit.

Si in vanis, ac inanibus cogitationibus, otiosis verbis, infructuosis operibus, atque inutilibus tempus contereret.

Si in aduersis præter modum mœret, atque animo angitur.

Si è contra in prosperis tumet, se extollit, superbiam sapit in omnibus, quæ illi prosperè, ac feliciter contingere videntur, de ipsis Deo gloriam nequaquam tribuendo.

De præceptis Ecclesiæ. §. 3.

P*Rimum est, audire Missam diebus Dominicis integram, ac festis ab Ecclesia præceptis.*

Si integram Missam audire omiserit Domini.

minicis, ac festis de præcepto sine iusta causa.

Si in ea audienda debitam non seruauit attentionem.

Si cùm sit dominus, pater, herus, ob suam incuriam, aut cùm illos occupatos detineret in his, quæ differri ad aliud tempus poterant, occasionem præbuit, vt seruus, aut mancipium die festo Missam non audiret.

Si laborem sumpserit, opera seruilia faciendo die festo, aut effecit, iussit, consensit, vt sui domestici laborarent.

Secundum est, Confiteri semel in anno.

SI cùm posset, saltem semel in anno confessus nequaquam fuit, aut cùm communicare deberet, aut cùm in verisimili periculo mortis constitueretur, aut non confitetur, sciens se confiteri non posse in Quadragesima.

Si pœnitentiam à Confessario impositam agere omisit.

Si non satagit, vt domestici sui confiteantur.

Tertium est, de Communicando in Pascha Resurrectionis.

SI suam ob culpam in Pascha Resurrectionis non communicauit, aut ante octo dies prius, aut post communicauit, mortali peccato irretitus, ac absque præuia confessione, aut nõ ieiunus. Si non satagit, vt gens suæ domus hoc de communicando præceptum seruet.

Quartum, de ieiunando diebus, in quibus ab Ecclesia ieiunium præcipitur.

SI diebus ieiunij ab Ecclesia præceptis non ieiunauerit absque sufficienti causa.

Si veti-

Si vetitos cibos ederit prohibitis diebus, venia non obtenta, nec existente necessitate, aut si, cùm ille sit paterfamilias, huiusmodi cibos dederit ad edendos filijs, ac seruis, quãuis illi sint pueri.

Si notabiliter horam edendi præuenerit, aut die ieiunij magna vtitur collatione.

Quintum de soluendis Decimis.

SI decimas non soluit, atque primitias iuxta Regionis vsum, ac consuetudinem.

Si in Ecclesia solitas oblationes non contulerit, aut coniugem, ne illa conferret, extorserit, aut ei, ne id faceret, persuasit.

De operibus Misericordiæ.

CIrca ista quærendum est, an indiligens quis fuerit in operibus misericordiæ spiritualibus, præsertim verò si consulere omiserit, monere, atque corrigere aliquos, quibus prodesse potuisset, aliquod ex operibus istis exercendo, maximè illa, ad quæ ipse tenebatur.

Si cùm id effecerit, tanta cum iracundia fecit, ac tam parua moderatione, quod potiùs damnum intulit, quàm aliquod emolumentum.

Si tantarum calamitatum miseretur, atque hæresum, ac malorum, quæ in toto sunt orbe terrarum, sicque Deum exorat, vt ex tantis eum liberet ærumnis.

Circa opera misericordiæ corporalia inquirat, an proximo opituletur in suis calamitatibus atque necessitatibus, sique pauperibus eleemosynas elargitur, iuxta id, quod poterit;

si eos

si eos fastidiret, aut de ipsis murmurauerit, vel eis malè responderit tanquam infestatus ab ipsis, vel si illos derisit. Præter has interrogationes, quæ vnicuique communes esse videntur, Confessarius quærat à pœnitente de his, ad quæ iuxta statum suum teneretur, quēadmodum copiosius in declaratione cunctorum statuum superius asseruimus.

De medelis, quibus spiritualis medicus uti debet ad curandum pœnitentem. Cap. 19.

OPORTET etiam vt non ignoret Confessarius delinire cor pœnitentis oleo diuinę misericordiæ, aut vino diuinæ iustitiæ, illi terrorem inferre, diffidentem consolari, audacem comprimere, calefacere tepidum, illuminare cęcum, aut per seipsum opportuna ac necessaria quædam remedia exhibere pœnitenti ad æternam salutem consequendam. At si id efficere minimè poterit, remittere pœnitentem debet ad alium Confessarium, vel saltem se exonerare sciat, sic asserendo: Adeas fili ad alium Confessarium, qui tibi valeat medelam afferre, cùm nequaquam ego possim meę satisfacere conscientiæ, circa ea, quibus te irretitum esse dignosco, illudque Apostoli dictum: *Rogo vos fratres, vt inquietos corripiatis, pusillanimes consolemini, debiles suscipiatis, patientes erga omnes estote.* Obseruandum est magna cum diligentia à Confessario, nempe vt pusillos, atque imbecilles reficiat, ac erigat, elatos comprimat atque superbos, ponatq; ante oculos eorum tremendum

mendum illud iudicium magni Dei. Tandem se gerere debet tanquam prudẽs medicus, qui iuxta infirmitatis habitum medicinam temperat, atque moderatur: secus enim potius detrimentum, quàm emolumentum aliquod afferre videretur, dum solo, atque vnico remedio omnes curare putaret. Itaque admonere quemlibet debet iuxta suum ordinem, qualitatem, statum, atque ætatem, cùm ad hoc Scripturæ nonnulla loca generalia non deficiant, in quibus ille versari deberet: sicqúe infra ponentur aliqua, vt manu illa teneat, atque memoria complectatur. Qui scrupulosi videntur in repetendis, ac iterandis confessionibus, aut circunstantijs peculiaribus differẽdis, cùm conscientiæ pacem, ac tranquillitatem habere nunquam possint, quamuis sæpius soleant confiteri, edoceantur Deum, cui cuncta patent, cordis sinceritatem solum exposcere, neque adeò seuerum esse exactorem, vt velit quòd turbetur, ac inquieta sit conscientia, cùm aliqua non ex proposito circũstantia in confessione omitteretur: nam quis cuncta sua afferere potest errata? Quemadmodum afferit Dauid: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* & alibi: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?*

Ad reficiendum, atque consulendum pusillanimes. §. 1.

PRimus locus est immensa bonitas, atque misericordia Dei: ideoq; sapientis illa sententia nimis proficere videtur: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Atque nomen Dei, de quo Dauid

Dauid loquitur: *Misericors est Dominus, faciens misericordias, ingenuus est, ac multum misericors:* illudqúe, quod sancta Mater canit Ecclesia: Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere.

Secundus locus Veritas est verbi Dei, quo fauere, adiuuare, atque opem ferre spopondit omnibus his, qui sanctum nomen eius inuocauerint. Ad hoc facit illa sententia, quam Deus per Ezechiel.33. loquitur: *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt suam prauam deserat vitam, & viuat. Conuertimini ad me de pessimis vijs vestris, filij Israel, cur omnes moriemini?*

Tertius locus est Christus noster Redemptor, & Dominus, qui efficacior esse conspicitur. Ad hoc valet, quod Princeps Apostolorum ait: *Christus passus est pro peccatis nostris, iustus pro iniustis, vt offerret nos Deo:* illudqúe verbum Pauli: *In hoc dignoscitur, atque demonstratur charitas Dei in nobis, quoniam peccatores cùm essemus, Christus pro nobis mortuus est: cùm ergo iustificati ex eius sanguine simus, multo magis salui erimus ab ira per ipsum: si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Valet etiam illud eiusdem Apostoli: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Huiusmodi tres rationes allatæ ad nostram spem muniendam, mirificè explicãtur in Psalmo, *De profundis*, vbi peccator perturbatus describitur, atque perterritus ob magnitudinem suo-

ſuorum peccatorum, rationesq́; illum impellentes afferuntur, vt fortiter, atque viriliter in Domino ſperare, atque confidere ipſe velit. Ad hoc etiam prodeſt, quod in alio loco dicitur, nempe quòd Deus noſter verus eſt pater, & quòd omnis ſimul coniunctus amor non poteſt amorem illum attingere, quo nos proſequitur Deus, necnon, quòd magis nos dilexit Deus, quàm nos ipſos diligimus. At aduertendum eſt, quòd cùm peccatorũ multitudo pręteritæ vitæ perterrere, atque exanimare peccatorem videretur, remedium, quod ad hoc poterit adhibere, eſt, non tunc iſtud inſpicere, ſed Dei bonitatem, atque clemẽtiam, Chriſtumq́; noſtrum Redemptorem, ac mediatorem ad robur, animiq́; fortitudinem adipiſcendam. Ita & D. Auguſtinus ob magnitudinem peccatorum perterritus, quibus ille irretitum ſe eſſe agnoſcebat, ad Deum ſe in confeſſione vertendo ait: Quis ſoluere poterit perplexam hanc faſciculorum atque nodorum multitudinem? turpis eſt, execrabilis, atque deteſtabilis, nolo illam inſpicere, nolo in eam oculos attollere, te mirari, teq́; intueri volo, iuſtitia mea, miſericordia mea, pulchra innocentia, honeſtiſſimis luminibus exornata, te, inquam, inexplebili, atque inſatiabili ſatietate ſemper conſpiciam.

Ad perterrendum ſuperbos confidentes, atque rebelles huiuſmodi loca proficiunt. §. 2.

P*Rimus*, oſtendere illis, quaſnam pœnas minetur Deus malè viuentibus.

Secundus, mortis certitudo.

Tertius, Iudicium.

Quartus, infernales pœnæ.

Quintus, Gloria Paradisi.

Sextus, quòd malum sit peccatum mortale.

Septimus, pergraues animæ duersiones, atque castigationes, quæ etiam in hac vita à Deo improbis inferuntur.

Octauus, inquietudo, atque perturbatio, quas peccatum secum affert, ac quies, tranquillitas, & pax, quæ à virtute proficiscuntur. D. Augustinus nonnulla alia adhibet remedia contra omnia vitia, quamuis aliqui S. Leoni Papæ adscribere videntur, vbi ex altera parte repræsentat quonam modo vitium tentet, & quicquid præponat; ex altera verò considerationes, atque verba, quibus obsistere illi poterimus, quę cùm mihi perutilia videantur, non ab re esse iudicaui, quòd hic ponerentur, vt ea Confessarius memoriter valeat enarrare, quæ etiam registrata fuêre à Patre Magistro Aloysio à Granata in eo libro, qui vulgo Guida peccatorum nuncupatur.

Aggreditur ergo ad dicendum Superbia, quæ sic loquitur.

TV quidem quàm plurimos excellis scientia, eloquentia, diuitijs, ac nonnullis alijs felicitatibus, & ideo fas est vt omnes paruifacias, cùm omnes tibi subijciantur. Respondet Humilitas: Reminiscere, quia puluis eris, & cinis, & quamuis magnus esse videaris, si quò maior es, eò non humilior eris, nequaquam fueris, qualis non es. Nam maior forsan putaberis

taberis tu, quàm Angelus, qui de cęlo cecidit? Splendidior forſitan eris in terra, quàm in cęlo? Si igitur ille ob ſuperbiam à tam alto, ac ſupremo loco ad tantam miſeriam prolapſus eſt, quonam modo tu ex miſeria tanta ad tam ſublimem, ac excelſam gloriam vis aſcendere? cùm in eadem ſuperbia velis perſiſtere?

Vanagloria loquitur: Cuncta bona, quæ poteris, age, ac illa omnibus patefacias, vt omnes te bonum exiſtiment, ac ab omnibus honoreris, & à nemine contemnaris. Timor Domini respondet: Nimia ſtultitia eſt pro temporali honore illud tribuere, quo æterna gloria adipiſcitur: ſtude igitur ſaltem tegere voluntate opera bona, quibus inuigilas: nam cùm illa in tua voluntate celaueris, nequaquam vanum erit ea demonſtrare: nam publicum minimè vocari illud poterit, quod in tua voluntate ſecretum eſt.

Hypocriſis dicit: Quoniam verè in te aliquod non eſt bonum, ſaltem exterius finge te illum eſſe, qui non es, vt ab omnibus non abhorrearis, ſi ab omnibus talis habeberis. Vera Religio respondet: Multo magis tibi ſtudendum eſt, atque elaborandum, vt verè tu ſis, quàm vt videaris eſſe bonus, cùm non eſſes: nam proprium eſt vero Chriſtiano, magis ſatagere ſe bonum eſſe, quàm vt bonus videretur: cùm enim decipias homines huiuſmodi ſimulatione, quid aliud, quàm propriam tuam damnationem adipiſceris?

Contemptus, ac inobedientia dicunt:

Quisnam es tu, vt inferioribus tuis seruire debeas? tuum est potius imperare, ipsorum autem obedire, cùm ingenio tibi æquales non sint, nec moderatione, neque virtute; satis est, te diuina obseruare præcepta, hominum iussa nequaquam seruando. Respondet Iustitia, atque obedientia: Si necesse est, vt te Dei præceptis subijcias, eadem ratione tibi conuenire videtur, vt te quoque præceptis hominum subdere velis, cùm idem loquatur Deus, dicens: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Si autem dixeris hanc congruere sententiam, cùm sit bonus ille, qui rexerit, attende quid Paulus Apostolus adseueret: *Omnis hominum potestas à Deo est, atque ab ipso cuncta sunt constituta.* Idcirco tuum non est scire, quinam illi sint, qui præcipiunt, sed quidnam illud sit quod tibi ab illis præcipiatur, vt valeas illud seruare.

Dicit Inuidia: In quo minor illo tu es? Quonam modo igitur non tam æstimaberis, quàm ille? quantave agere potes tu, quę ille non potest? iniustè ergo æqualem tibi se fecit, aut tuum se constituit superiorem. Respondet Concordia: Si alios excellis virtute, in inferiori loco, magis quàm in superiori securior eris: nam ab eminenti loco lapsus periculosior semper esse videtur, & quamuis quàm plures æquales, aut superiores tibi sint, quidnam prędiudicij ex hoc suscipere poteris? Aduertere profectò debes, quòd cùm inuideas altiori loco sedenti, similem illi te facis, de quo legitur: *Per inuidiam Dæmonis mors intrauit in mun-*

mundum: quem omnes imitantur, qui eius partes sequuntur.

Odium loquitur: Vtinam tu nunquam eũ diligas, qui omnibus rebus vult tecũ contentione certare, qui de te semper murmurat, res tuas deridet, peccatum à te admissum exprobrando improperat, qui vnoquoq; verbo, atque opere tuo tibi aduersatur, cùm certum sit, quòd si te ille non odio prosequeretur, non se tibi subijceret. Respõdet verus amor: Et si forsitan in isto omnia hęc plena sint odio, estne odio habenda Dei imago in homine illo? Christus cruci affixus nonne suos dilexit inimicos? ac ex ista vita discedens, nonne docuit nos, vt eum in huiusmodi sequeremur dilectione? Expelle igitur ex corde tuo cuiuscunq; odij amaritudinem, & amoris dulcedinẽ bibas: nam præter id, quod agere debes ad æternam vitam consequendam, nihil dulcius, atque iucundius esse in hac vita potest, quàm amor, nihilq; amarius, atq; deterius, quàm odium, quod tanquam cancer est semper rodens eius viscera, in quo moratur.

Dicit murmuratio: Quis sustinere amplius potest, quis æquo animo ferre, quis reticere valet, quæ, aut quanta sint mala, quæ admiserit ille? Respondet charitatiua correctio: Sunt mala proximi tegenda, nec consentiendũ illis est; sed delinquens admoneri dulcedine, atq; charitate debet, ac patientia sustineri. Ideo oportet aliquando, vt peccatorum errata taceantur, ac opportuniori tempore reprehendantur.

Loquitur Ira: Quonam modo patienter sit iniuria toleranda? imò illam tolerare peccatum est: siqúe contumeliam inferenti non obstiteris cum iracundia, quotidie tibi peiora inferentur. Respondet Patientia: Si Christi passionis recordaberis, nil erit, quod æquo, ac bono animo ferre non velis: nam vt ait Apostolorum Princeps: *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius: qui cùm pateretur, non comminabatur eis, cruci illum affigentibus:* præsertim verò, cùm adeò sit momentaneũ illud, quod nos patimur; si quæ ille passus est, considerare voluerimus: nam iniurias, improperia, flagella, derisiones, colaphos, denique crucem sustinuit, nosqúe tam miserabiles sumus, quòd vno tantùm verbo offendimur, dilaniamur, atque occidimur.

Durities cordis dicit: Tenerisne forsan dulcibus, ac lenibus humanisqúe verbis alloqui ineptos homines, inurbanos, atque fatuos, qui ideo nonnunquam superbè sapiunt, atque ambiunt altiora? Respondet Mansuetudo: Non admittenda est in hoc sententia tua, sed illud Apostoli dicentis: *Non oportet seruum Dei litigiosum esse, sed in omnibus mitem.* Clarum est huiusmodi vitium murmurandi maius afferre detrimentum subditis, quàm Prælatis, cùm sæpe contigerit subditos contemnere humilia verba suorum Prælatorum, ac in eos contemptibilia verba proferre.

Præsumptio, ac temeritas dictant: Testis est Deus

Deus in cælo. Ne magnifaciamus id,quod homines ſuſpicantur in terra. Reſpondet Vitæ ſatisfactio,dicens: Nēpe haud iuſtum eſt,alicui murmurandi anſam prębere,nec illud detegendi,quod alij ſuſpicari vidētur,ſiquę cum veritate reprehenderis, confitere culpam; at ſi minimè deliquiſti, humiliter reſpondendo deneges illam.

Acidia,atque Negligentia dicit:Si continuam nauaueris operam ſtudendo, legendo, orando,atque lachrymas emittendo, aciem oculorum amiſeris; ſi nocturnas vigilias nimium protuleris,inſanus euaſeris; ſiq; immoderatum laborem ſuſceperis,ad omnia ſpiritualia exercitia fies inutilis. Reſpondet Labor,atque diligentia: Cur tot tibimet promittis annos,quibus labores iſtos ſufferre cogitas? Quis te certum reddet craſtinum videre diem, aut ſaltem horam iſtam, qua tecum nunc alloquor? forſan oblitus es verba illa,quæ aſſeruit Chriſtus: *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Abſcedat ergo abs te omnis Acidia, atque indiligentia, cùm non tepidi ſint illi,qui rapiunt cælum, ſed violenti, atque diligentes.

Auaritia dicit: Si externis quæ poſſides bona diſtribuis, quonam modo tuos poteris ſuſtinere? Miſericordia reſpondet: Reminiſcere quidnam euenerit diuiti, qui purpura, ac biſſo induebatur, cùm damnatus ille fuerit, non quia aliena rapiebat, ſed potius quia nequaquam ſua largiebatur. Quamobrem cùm eſſet in tormentis pœnas luendo ſuas, in tam miſeram miſeriam incidit, vt guttam

aquæ peteret, quam habere non meruit: quia cùm pauper ille ab eo frustum panis exposceret, nemo illi dabat.

Gula loquitur: Deus creauit hæc omnia, vt illis nos frueremur, ergo qui illis frui noluerit, quod aliud agit, nisi quòd beneficia Dei cõtemnit? Respondet Tẽperantia: Vnũ ex istis, quæ abs te afferuntur, verum esse iam fateor: nam cuncta hæc à Deo creata sunt, vt homo nequaquam fame periret, sed vt iustus, ac tẽperatus modus seruetur, ideoq; illi abstinentiam iussit, quę si non seruaretur, ex maioribus peccatis foret, quæ Sodomæ admittebantur, vnde miserabilis illa ciuitas funditus fuit euersa, ideo oportet, vt sanus sumat cibũ, tanquam infirmus sumeret medicinam, nempe non vt illo delectetur, sed vt satisfaciat necessitati, illeqúe omnino hoc vitium vincit, qui modum seruat non solum in edendi quantitate, sed in contemptu delicatorum ciborum, qui magis illi sapere viderentur, nisi cùm infirmitas exposcit, aut charitas.

Vana gloria dicit: Quare intus celas cordis tui lętitiam? prodas omnibus illam, dicasque socijs tuis aliquid, quo lætentur illi, ac animi aliquam capiant voluptatem. Respondet temperata Iustitia: Vnde, aut cur huiusmodi gaudium sumis, vicisti Dęmonem forsan? aut cùm sis exul à Patria illa cælesti, huiusmodi exilij tempus perfecisti? ac ad ciuitatem illam ab ista digressus, accessisti? Nonne reminisceris quid Deus admonuit, dicens: *Mundus gaudebit, vos autem contristabi-*

stabi-

stabimini, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium? Comprime igitur superbiam istam, cùm ab hisce tot ærumnis, tantisq; insectationibus, ex omni parte dolores afferentibus, nequaquam egressus sis, in exilio isto vitam adhuc degens, vbi tot, sibiq; cohærentia mala esse conspiciuntur.

Loquacitas dicit: Non est peccatum, cùm quis nimis loquitur, quando benedixerit, atque honorificè loquitur, quemadmodum delinqueret ille, qui malè diceret, quamuis parũ loqueretur. Respondet discretum Silentium: Verum hoc esse fateor, quod ab ea asseritur, sed cùm sæpius homo q̃ plurima honesta verba proferret, contingere solet, vt quod bene incipitur, malè finiatur, & ideo Sapiens ait: *In multiloquio non deesse peccatum*. Ac si fortè longo sermone damnosa verba vitares, non poteris forsan effugere otiosa, de quibus rationẽ exposcerit abs te Deus in die illa. Opus ergo est mensuram, modumq; in loquẽdo seruare, quamuis sint bona verba, vt in prauum non deueniant finem.

Luxuria loquitur: Quare non frueris nunc tuis bonis, tuis voluptatibus nõ indulgendo, cùm nescias quid sit tibi euenturum? nec decet vt huiusmodi tempus amittas: nam ignoras, an ilicò illud debeat pręterire: si enim noluisset Deus, vt homines voluptatibus istis fruerentur, nequaquã à principio homines, aut fœminas procreasset. Respondet Castitas: Nollem vt fingeres, aut dissimiles te nescire quid tibi post vitam hanc spoponderit Deus,

quoniam si castè, ac purè vixeris, sempiterno illo æuo frueris, nempe in illa Dei ciuitate perpetuo munere incircumscriptum lumen inspiciendo, *in quod desiderant Angeli perspicere:* si autem prauam malamq; vitã degeris, æternas pœnas in inferno lucreris, æterna supplicia sustinebis. Quò magis verò tempus aduerteris euolare, eò magis te castè, ac pudicè viuere decet, cùm oblectatio hæc miserabilis nimis sit, qua adimitur vita illa beata semper duratura. Quicquid hucusque dictũ est, proficit procul dubio, vt spiritualibus armis armemur, nempe virtutibus, quæ ad decertandum, pugnamqúe istam exercendam opus fuerint, quibus partem primam virtutum consequi poterimus, nempe victorias vitiorum, domumq; istam seruare, in qua nos constituit Deus, ac vbi ipse moratur, vt in ea inimicus nequaquam inhabitare videretur. Nam bene, ac fideliter illa custodita, absque dubio in ea hospitem illum suscipiemus cælestem: quoniam iuxta illud Ioannis verbum: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* illeq; in charitate manet, qui in nulla re facit contra eam, nec aliquid contra illam est, nisi mortale peccatum, contra quod valere non ignores quicquid adhuc fuit assertum.

At animaduertendum est, quòd Confessarius debet esse prudens, vt perfectè dignoscat occasionem peccati, ex qua cuncta alia proficiscuntur. Ordinariè etenim principale vnũ, aut duo vitia esse solent in peccatore, quibus

eiectis,

eiectis, eijcitur etiam dæmonis machina, sicq; ei consulere oportet, quòd licet ille abhorrere omnia debeat facinora, maiori autem cum diligentia, ac studio decertare debet contra illud, quod in eo dominatur, nec desistendũ est, donec victor euaserit, illud ex suo corde euellendo. Contra hunc inimicum opus est quotidie renouare propositum, atq; quotidie examinare victoriam: nam si hac die contra vnum dimicaueris vitium, altera verò contra aliud, de nullo victoriam consequi poteris. Oportet etiam aduertere necessariam esse pro huiusmodi certamine animi fortitudiné, cùm apertum conspicuumq; vincendi signum sit spes illa constãti, atque magno animo corroborata, ipsius victoriæ consequendæ. Demum in ipsa dimicatione necessaria est perseuerantia, nec dimittendus est animus, nec animi magnitudo inflectenda, solus ille, tanquam sordidus vincitur, qui arma deponens, ac animum dimicandi, in manus se tradiderit inimici. Vbi Confessarius pœnitenté monuerit, ac vino curauerit eius vulnera, debet illum exercitia bene viuendi edocere, vt huiusmodi documentis munitus, de virtute in virtutem proficiat, seq́ue ab omni labe peccati custodire, atque in Dei gratia persistere valeat: qui ab omnibus semper, vbique, atque omni tempore sit benedictus. Illi soli laus, honor, & gloria, Amen.

PRIMI LIBRI FINIS.

DE INSTRVCTIONE CONFESSARIORVM,

R. P. MAG. F. BARTHOLOmæi à Medina, Ordinis Prædicatorum,

Ex vulgari lingua Latinè reddita

A R. D. RAPHAELE DE CÆSARE,

Liber Secundus.

De potestate, qua pollere debet Confessarius. Cap. I.



CVM superiori libro edocuerim ea, quæ optimus quisq; Cõfessarius ignorare non debet, vt rectè officio suo fungatur, decet profectò, vt iuxta id, quod pollicit⁹ sum, edoceatur ille quonam modo vti huiusmodi scientia debeat, quam ipse fuit edoctus. Inter res necessarias, vt prudens Confessarius diuina huiusmodi arte curandi animas vtatur, eamq; ipso exequatur opere, opus est, vt polleat ille potesta te, quæ duplex est. Potestas ordinis sola

la eſt in ſacerdote. Poteſtas iuriſdictionis, aut ordinaria eſt ex officio, vt illa, quā habet Epiſcopus, aut Parochus, vel quilibet Prælatus; aut eſt ex commiſſione, velut quam nos Religioſi habemus, ab Epiſcopo expoſiti, ſeu ab alijs, quibus Prælati hoc committunt officium. Quælibet poteſtas ex iſtis dum deficit, nō valet confeſſio, totumq́; irritum eſt, nec ſortitur effectum quicquid in tali confeſſione peragitur. Hæc iuriſdictionis poteſtas impeditur ſuſpenſione, aut cùm quis publicus eſt excōmunicatus nominatim, aut cùm violētas manus iniecerit in clericum manifeſtè, quod quidē tergiuerſari nullo modo poteſt, vt tactum eſt in materia de excommunicatione. Si contigerit, quòd ob ignorantiam errauerit Confeſſarius in audienda confeſſione, cùm iuriſdictionis nequaquam habeat poteſtatem, velut ſi alicuius caſus reſeruati abſolutionem impendiſſet, quam impendere non poterat, ac dignoſcit, ſe poſſe pœnitenti prodeſſe, debet cum eo ſecretè loqui de rebus, quæ attinent ad confeſſionem, modò ab ipſo pœnitente licentiam obtinuit, cui detegere errorem poterit, admonens eum, vt iterum debeat confiteri, cùm inualida fuerit præterita confeſſio. Si autē agnoſcit ſe admonitione illa nihil profecturum, ſed potius detrimentum aliquod allaturum, minimè admonere illum debet. At ſi pœnitēs abeſt, nullatenus id agere debet per literas de re aliqua circa confeſſionem cōtingente: nam ſic certo modo aperitur confeſſio, atque periculum foret, vt ibi innoteſcat pec-

catum,

catum, cùm litera legeretur. Sed aduertendũ est Confessarium non ignorare debere, quænam audiendi potestas eius sit, quoadve extenditur, & à quibus absoluere potest: ideo à Prælato sibi auctoritatem concessam inspicere poterit, vt nihil agat, nisi quod concessum est; veluti si Prælatus licentiam dat absoluendi, non potest Confessarius ob licẽtiam illam dispensare; siq; dispensandi concesserit, non ideo poterit commutare. Hac de causa quãdo erit aliqua Bulla Papæ, inspiciendus est eius tenor, ac quænam licentia per illam Confessario conferatur. Idem est cùm conceditur Iubilæum in permutandis, & dispensandis votis, aut iuramentis. Hoc circa vota præcipuè aduertatur. Quemadmodum si quis castitatem vouisset, ac contra votũ illud deliquerit, potest ab eius Confessario absolui à peccato, quod contra votum admisit, non autem à voto, cùm semper votũ, aut ad ipsum obligatio persistat, donec commutetur, aut dispensetur. Sic etiam si quis religiosus votum paupertatis infringeret, pecuniam aliquam absq; licẽtia elargiendi, si Prelatus licentiam dederit, vt quis eum à peccato possit absoluere, quod cõtra paupertatis votũ commisit, poterit ab illo absoluere, sed non dispensare, vt donatio pecuniæ ab ipso facta sit valida, cùm Prælatus auctoritatem solum absoluendi tribuerit: at si ille Cõfessario diceret: Do tibi omnem meam potestatem, tali casu poterit Confessarius absoluere, & dispẽsare, & quicquid aliud agere. Sic etiam aduertere id debent Cõfessarij religiosi

ligiosi non ignorantes auctoritatem, ac potestatem à Prælato eis concessam: sciant quoque quænam remedia sint ab ipsis adhibenda pœnitenti habenti casus reseruatos, à quibus inferiores Confessarij non possunt absoluere. Quando igitur pœnitens casus reseruatos habuerit, facilior via erit, aut quòd pœnitēs ipse ad superiorem se conferat, cùm id commodè agere poterit, à quo facultatem, ac eius potestatem exposcat, vt possit ipse confiteri alicui inferiori Confessario, aut, ne ille dedecore afficiatur, adeat potius ad Confessarium inferiorem, cui dicat se ex culpa sua in reseruatos casus incidisse, humiliter petens, vt licentiam ab illis eum absoluendi à superiori expostulet. In concedendo huiusmodi venia nequaquam Prælati debent esse difficiles, imò communi beneficio sic prouidere tenentur, vt graue, ac intolerabile confessionis iugum minimè reddatur. Vnde decet, quòd circa casus reseruatos constituat peritos, atque circūspectos Confessarios, teneturq; Prælatus tenere secretum sub cōfessionis sigillo peccatum, aut reseruatum sibi casum, adeò quod nec verbis, nec signis diffamari possit, qui in huiusmodi casum inciderit. Et quamuis ille Confessario licentiam istam non concesserit, quam petebat, debet tamen secretum non detegere, cùm totum hoc sit quædam via ad Sacramentum pœnitentiæ ordinata, ac sub illius sigillo cōprehendatur. Cùm verò vrgens causa videretur, ob quam superior licentiam istam concedere non opus esse dignouerit, quæ ab ipso postula-

postulatur, sicq; ipsemet pœnitētem vellet audire, tunc facilius erit, vt ipse pœnitentis confessionem integram audiat, ac salubre remedium eius animæ adhibeat, quod ei magis expedire videbitur. At quoniam Episcopi, atque Prælati impediti vidētur circa grauiora, quæ ab illis aguntur, non tenentur tam longas audire confessiones, ideo alius est modus, atque cōsuetudo in Ecclesia Dei, nempe vt Prælatus casus reseruatos possit audire, ac illis opportunam afferre medelā. Quod est, quando Prælato ex bona, atq; vrgenti causa videtur sibi opus esse alicuius pœnitentis casus reseruatos audire, cùm eos in confessione audiuerit, exhibiturus remedium est pœnitēti, sicq; videbitur, debet ei iniungere pœnitentiam, ac à censuris absoluere, si fortè in eas lapsus sit, sed à peccatis non est sacramentaliter absoluturus, sed illum remittere ad inferiorē debet, facultatem ei concedendo, vt integram audiat confessionem, ac ab omnibus ei plenariam absolutionem impendat. Hæ sunt regulæ, quibus remedia sunt pœnitenti adhibenda, qui casus reseruatos haberet, à quibus Confessarius non possit absoluere: & quoniam de casibus reseruatis materiam copiosè superiori loco tractauimus, hoc satis nunc esse iam duximus.

De Bonitate Confessarij. Cap. 2.


PORTET etiam Confessarium esse bonum, ac timentem Deum: nam si mortali peccato irretitus confessiones audiret, mortaliter peccaret, & cùm sit bonus, eius preci-

precibus, atque intercessione ad Deum conuertet eos, qui ad illius pedes accesserint, quo-ve melior erit, atq; in Dei amore, ac proximi feruentior, eò aptior, magisq; idoneus minister dignoscetur diuinæ Bonitatis, ex quo Deus, ipso mediante, melius pœnitentem disposuerit, maiorem ei effectum Sacramenti exhibendo, cum omnium virtutum augmento, ac firmo proposito nō amplius Deum offendendi.

Et vt melius agnoscatur, qualis esse debeat Confessarius, nunc illud retulero, quod Coloniense Concilium istis verbis asseuerat:

Censemus nos magnopere oportere Confessarium esse virum integrum, virtutibus præditum, disertum, atque taciturnum: nam cùm sit ille cupidus, solicitator ad malum, cumqúe curiosè res haud necessarias expostulet, ac mitis sit & lenis cum rebellibus, nesciatqúe perplexas dissoluere conscientias, ac demum vinolentus extiterit, iracundus, & leuis, nec secretum scierit reticere, potius aptus erit ad dissipandas, atque dispergendas oues, quàm ad illas pascendas. Hæc sunt verba Concilij Coloniensis.

Ad bonitatem quippe Confessarij pertinet, vt sit optimis considerationibus præmunitus, ac terrorem de his non suscipiat, quæ in confessione audierit, dignoscatq; se maiorem esse peccatorem: nam cùm se grauiora peccata commisisse putarit, si talem postmodum pœnitentem inuenerit, qualem se esse considerat, magis in confessione illa proficeret,

ret, maioremqúe adipisceretur vtilitatem.

Considerare etiam debet à Deo sibi collata beneficia, cùm eum ad huiusmodi statum perduxisset, quo lucratur animas Deo, ac diligenter officium suũ inspiciat, quod est administrando pœnitentiæ Sacramentum, augere regnum Dei, sanctam ditare Ecclesiam, tyrannidem dæmonis adimere, ad æternam beatitudinem animas pretioso sanguine Agni immaculati redemptas conducere: sic quoque decet Confessarij bonitatem, vt eum in exteriori, atque interiori bene compositum esse omnes agnoscant. In exteriori, vt nihil in verbis, nihil in actibus, atque vestibus conspici possit, quod viro sapienti, probo, ac modesto non conuenire videatur, cùm vicarius Dei sit ille. In interiori autẽ ita se habeat, quòd animaduertens se gerere vicem Dei, magno cum timore, atque reuerẽtia suo fungatur officio, non secus ac si staret coram Deo.

De Prudentia Confessarij. Cap. 3.

NON minus necessaria est Prudentia in Cõfessario, quàm vitæ probitas; cùm oporteat illum esse solertem, atque modestũ erga istos, aut illos, non absque magna prudentia, ac animi fortitudine, diuinas applicando medelas, vt curaret animas, ac à morte eas liberaret æterna. Vt autem bene dignoscatur, quàm opus sit Confessario ista prudentia, animaduertendũ est, neque in Baptismo, nec in Eucharistia, neque in aliquo alio Sacramẽto Christũ huiusmodi verba dixisse, cùm Sacra-

cramenta institueret: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt,* nisi in Pœnitentiæ Sacramento, vt peculiare hoc demonstraret in eo, nempe quòd Sacramentalis actio in huiusmodi Sacramēto requirit in ministro Spiritum sanctum, qui eum regat, & dirigat: requirit etiam iudicium, atque modestiam iuxta Spiritus sancti regulas. Tūc verò nō ignoramus Spiritum sanctum commouere nos ad condonanda peccata, cùm intuentes quod intuendum est, iuxta scientiam, atque cōsilium Dei vera cum prudentia, ac modestia determinamus, quòd pœnitens iste sit sacramētaliter absoluendus; ille autem minimè, cùm Spiritus sanctus sit spiritus sapientiæ & scientiæ, intellectus, consilij, atque timoris Dei. Sed vt Confessarius in particulari magis dignoscat, quanam prudētia, atque modestia debeat hāc diuinam applicare medelam, nonnullæ regulæ hoc in loco ponentur ab omnibus profectò intuendæ.

Prima, vt Confessarius ordinaria peccata bene agnoscat, necnon & occasiones, ob quas illa nascantur: non ignorare etiā debet remedia, quæ sint eis adhibenda: quemadmodum quoque medici, qui corpora medētur, communes infirmitates nō ignorant, atque remedia, quæ debent conferre. Sciatq; Confessarius eum esse medicum, qui alio cum periculo medetur animam, quàm ille corpus: nam qui corpus medetur, quamuis nonnullos occidat, ipse tamen incolumis remanet, atq; diues; non

ſic ſpiritualis medicus, nempe Confeſſarius, cùm ille etenim conferens vitam pœnitenti, qui ad eius ſe proijcit pedes, deſiderio medelam ſuſcipiendi, vitam perdit, atque amicitiam Dei: nam inſpicere, ac intueri noluit quonam modo medicinam cõferre ipſe debebat.

Secunda regula, vt à pœnitente ſciat inquirere, quicquid ſit inquirendũ: quippe, vt Diuus Auguſtinus nos edocet, quod veriſimiliter dignoſcitur pœnitentem neſcire, aut quod ille præ pudore omittat, atque verecundia. Vt quis in iſta verſetur regula, quatuor ſunt aduertenda.

Primò, quòd cùm pœnitens eſſet doctus atq; diſertus, non debet Cõfeſſarius eum infeſtando interrogare, veluti ſi vir doctus aliquã inhoneſtam cõfitetur cogitationem, neceſſe nequaquam eſt, vt ab eo petat Confeſſarius, an virginem, an coniugatam cogitauerit, ſeu hominem aliquem: nam ſi id opus foret, aſſereret ille huiuſmodi circunſtantiam: & hoc intelligitur, quando ſit confeſſio peculiariter de venialibus peccatis.

Secundò, quòd cùm vna aliqua circũſtantia eſt pœnitenti cõnſpicua, atque Confeſſario, non oportet pœnitenté illam exprimere, neq; Confeſſarius de illa interrogare debet: vt ſi clericus confitetur, qui rem habuit cum muliere, non opus eſt dicere, ſe clericum eſſe, ſi id Confeſſarius antea ſciebat.

Tertiò, cùm particulariter res erunt inhoneſtæ, ſciat Confeſſarius interrogare quod neceſſarium eſt verbis honeſtis, atque caſtis,

nec

nec nimis ad peculiare aliquod deſcendat circa materiam iſtam, ſed tantùm peccati ſpeciẽ dignoſcere ſatagat: nam ſi ſecus fieret, periculo obijceretur non tantùm pœnitens, ſed etiam Confeſſarius, paruaq́; ſancti Sacramenti reuerentia videretur. Quemadmodũ ſi Confeſſarius à coniugata muliere ſcire vellet, an ipſa bene matrimonio vteretur, non debet, vt bene Caietanus aduertit, ab illa petere, an hoc, aut illo modo ſe accõmodet, ſed ſolùm, vtrũ illa bene ac legitimè actum matrimonialẽ exerceat, vtq́; præcipit Deus, vel ſi aliquid contra hoc habeat illa, aut alia huiuſmodi: nam iſtis verbis rectè dignoſci poterit, quid expetat Confeſſarius, ſiq́; pœnitẽs acceptat, aut abnuit, non eſt aliud inquirendum.

Quartò, quando Cõfeſſarius dignoſceret pœnitentem ignorare ignorantia inuincibili aut bona fide aliquid, quod in altero peccatũ eſſet mortiferum, neceſſe minimè eſt, vt de hoc verbum aliquod faciat; præcipuè verò ſi ex monitione Confeſſarij aliquot emolumentum non proficiſceretur, ſed potius detrimẽtum & ſcandalum, velut ſi ſciret Confeſſarius Petrum eſſe virũ Mariæ, ſed cùm eſſet eius conſanguinea in gradu prohibito, vel cùm furtiua fuerit diſpenſatio, aut dolo obtenta, matrimonium eſt inualidum, quod neq; Petrus neq; Maria ſciunt, imò tanquam legitimos, ac bene coniugatos ſe noſcunt, liberosq́; ſuſceperunt, atque hac bona fide conſitentur, circa hoc ne quid interroget Cõfeſſarius, nec quærere debeat, an illi huiuſmodi ſciant impedi-

pedimentum, sed agendum est, vt tali bona fide remaneant. Secus autem esset, si pœnitens de hoc quæreret à Confessario: tunc etenim, quamuis quodcumque scandalum sequeretur, debet vera fateri.

Tertia regula, vt interrogare non ignoret Confessarius iuxta statū, aut qualitatem personæ, non autem, vt religiosum, aut monialē interroget ea, quæ potius ad milites pertinere videntur.

Quarta regula, vt sciat imponere pœnitentias iuxta id, quod personæ, aut peccatorū grauitati conuenire dignosceret, vt si quis pergrauibus, aut enormibus peccatis irretitus ad confitendum accederet, non debet Confessarius pergraues illi iniungere pœnitentias ieiunij, aut alias nimis duras, atq; seueras: nam ob illas languidus, & imbecillus euaderet, atque inualidus: siqúe illi magna imponitur sarcina, magnoq; onere oneratur, cum eo in terram cadet. Imò isti, qui tam enormia, atq; pergrauia commiserunt, iuxta D. Augustini consilium, mansuetè tractandi sunt in principio, donec ad Deum se vertant, atque admonendi erunt, vt iterum ei confiteantur, & sic paulatim debet eos ad maiorem pœnitentiam agendam excitare, illis persuadendo, vt sæpè debeant confiteri, ac Rosarium Beatiss. Virginis recitare, quibus licentiam communicandi non debet ilicò exhibere Confessarius, imò illis dicendū est, vt post confessionē octo aut decem diebus elapsis communicēt.

Quinta regula, q; Confessarius omni sapientia,



tia, aut prudentia vtatur, efficiendo vt pœnitens pœnitudinem cõcipiat peccatorum, atq; vt ille ſtatuat, ne amplius delinquat, cùm talis huius medicinæ fructus ſit, atq; finis.

Sexta regula, cùm quid effecerit pœnitens, probabilem opinionem ſequendo nonnullorum hominũ diſertorũ, quamuis Cõfeſſarius probabiliorem contrariam ſequatur ſententiam, tenetur abſoluere, cùm pœnitens non peccauerit, gerens ſe ex probabili opinione, ergo ob id iniuſtè abſolutio negaretur. Et hoc non tantùm de curato intelligi debet, vt nonnulli dixerunt, ſed de quolibet Cõfeſſario, aut parochus ſit, vel ne: quamuis verum ſit, quòd poteſt, ac debet Confeſſarius pœnitentem admonere, vt ſemper mitiorem, aut fauorabiliorem ſequatur ſententiam, modò illa probabilis eſſe dignoſcatur, atque illũ ſemper edoceat, minimè eum peccare, dum probabilem ſequitur opinionem.

De Secreto, aut Sigillo Confeßoris. Cap. 4.



EFERT quoq; magnopere, Confeſſarium ſacrum confeſſionis ſigillum non detegere: nam illud infringere ſacrilegiũ eſt, grauiſſimumq; peccatũ, quod in Canone grauiſſimas habet pœnas. Hoc præceptũ tam ſtrictè obligat, quòd quacunque de cauſa, quæ ad vitam hãc pertinere videretur, non eſt infringendum, nec ſuperioris iuſſu, nec ob tormentum aliquod, nec ad quodlibet damnum euitandum, nec per vitam, neq; per mortem, nec vt innoxius liberetur, nec ſi ex illius fra-

ctione totius orbis terrarum salus conseruaretur. Ideo sciens ego in confessione hac nocte ciuitatem istam diripiendam, vastandam, atque incendendam fore, siqúe confessionem detegendo remedium poterit adhiberi, nullo modo detegere illud debeo. Præterea, si mihi ex confessione innotescit hæreticos esse, illosqúe destruentes, qui breui tempore cuncta sunt destructuri, nihil de hoc loqui potero, cùm in confessione audiuero, adeoqúe nullo casu adueniente, nulloqúe modo licet confessionem detegere, vno tantùm excepto, nempe quando pœnitens id faciendi licentiam elargitur: quod nec etiam semper faciendum est, nec huiusmodi licentia vti debet, sed cùm pœnitenti non eueniret detrimentum, & emolumentum aliquod ipsius sequeretur. Ita si in confessione audiero Petrum occidisse Franciscum, & dum ille torqueretur, negat, & nihilominus lata est sententia vt suspendatur, si dixerit iudici se licentiam dare Confessario, vt verum fateatur, sciens Confessarius ita esse, tenetur reticere, nulloq́ modo id detegere debet, quamuis hoc non sit propria cõfessionis detectio. In omnibus alijs casibus seruare tenetur secretum, nullaqúe via aliquid est detegendum, ob quod res illa confessa dignoscatur; istudqúe magnopere aduertendum est: nam cùm hoc minimè effectum sit, maxima euenêre damna, atque incõuenientia in hoc Sacramento. Exẽpli gratia, quidã Cõfessarius scit in quadã Vniuersitate grauia esse delicta, aut ex eo, quod alter cõfite-

fitetur, colligit domum aliquam, aut Rempublicam esse euertendam, ac diruendam: in isto casu poterit ille adire Episcopum, aut alium Prælatum, atque dicere, vt super domum suam inuigilet, aut super Monasteria, aliud peculiare non attingendo, cùm aliud dici minimè possit: vnde si magis ad particulare descenderet, nempe sic dicens illi: Aduerte quòd licentiam ex illo Monasterio egrediendi, aut illuc ingrediendi concedis, aut ex communitate illa, sacrilegium esset, maximumqúe peccatum : nam ex huiusmodi relatione Prælatus animaduertere, atque considerare poterit, cuinam licentiam dederit, aut dare ipse soleat, aut personam suspicari possit, aut saltem subditi in hanc inciderent considerationem, videlicet Prelatum scire nequaquam hoc potuisse, nisi per modum confessionis, & sic hoc Sacramentum asperum, rigidumq; illis foret, atque insipidum, ac odiosa fieret ipsa confessio. Nec damna peculiaria narrauero amplius, quæ immodesti Confessarij his regionibus intulerunt, cùm in particulari secreta sacramentalis confessionis detexerint, ob quod Confessarij contemnuntur, ac legibus onerãtur, atque inhonoratur, & dedecore afficitur eorum ministerium: nam dedecet de hoc in particulari amplius loqui. Hoc sigillum, atque secretum adeò custodiendum est, quòd licet venialia tantùm peccata confiteantur, debet Confessarius illa tenere secreta, nec tantùm peccata, sed etiam ipsorum circunstantias, adeò quòd nemo ob minimum verbum,

quod ipse protulerit, in peccatum aliquod incidat, nec illius circunstãtiam. Et hoc verum est, etiam non solùm cùm impenditur absolutio, atque perficitur ipsa confessio, sed etiam si talis non fuerit. Quemadmodum si quis ad Confessarium accesserit, vt cõfiteatur, & cùm parum se ad confessionem disposuerit, aut Confessarius non possit eum absoluere, cùm ei sint casus reseruati, &c. non impendit absolutionem, dicendum est eum debere seruare secretum omni cum diligentia quicquid audierit, ac si eum absoluisset, ac integra fuisset confessio, cùm pœnitens bona fide, atque simplicitate sua peccata dixisset. Secus foret si pœnitens simulando ad confessionem accederet, vt si accederet aliquis intentione persuadendi Confessario errorem aliquem, aut simile, & nollet confiteri: tunc enim non obligatur tenere secretum, imò detegere illud debet, quod acciderit, veluti si ad reipublicæ euersionem esset &c. nam hæc est potiùs malitia, quàm cõfessio. Hinc est, quòd ex parua prudentia contingere videtur, quod aliquando fieri solet, quippe cùm quis dicere vult aliquod magnum secretum Confessario, aut alteri, ab eo petit, vt illud teneat in confessione secretum, & sub iuramento, ac signo crucis, dico non obligari Confessarium sub confessionis titulo tenere secretum hoc, sed per modum secreti naturalis, vt quodlibet aliud ob eandem rationem, cùm hæc non sit vera confessio, imò, vt diximus, aliquando tenetur illud detegere. Hoc, de quo loquuti sumus, intelli-

telligatur non solùm de confessione, ac de his, quę circa illa aguntur, sed totum illud etiam, quod via sit ad confessionem, veluti si quis chartam inuenerit Petri manu scriptam, ad generalem suam confessionem peragendam, & alter videns illam, detexerit eam, quoniam in ea scriptum erat illum grauia commisisse peccata, aut si Prælatus id non ignoraret, contra illum procederet. Dico quòd si tali modo quis detegit, quæ in ea legerit, magnopere castigandus est, ac admittitur sacrilegium: nam licet non sit confessio, tamen est quædam ad confessionem via, ideoqúe adeò secreta tenenda est, ac si esset confessio. Ex his omnibus sequitur declaratio nonnullorum casuum, qui contingere poterunt.

Primus casus. Si publica mulier ad confessionem accesserit, non possum ego dicere, hæc mihi confessa est suos errores, sed dicere tantùm potero, illam publicam esse peccatricem, cùm hoc ab omnibus videatur.

Secundus casus. Quidam confessus est, Confessarius denegat absolutionem ei, vnde ille negatam sibi eam fuisse dicit, &c., vt pluries cõtingit, alius ad Confessarium accedit dicens, quare eum absoluere noluisti? &c. nil aliud respondere debet Confessarius, nisi quòd ille functus est officio suo: ac se fecisse, quod facere tenebatur: si autem ille interrogare eum non desisteret, aliud respondendum nequaquam est.

Tertius casus. Mulier quędam publica confitetur, & quoniam parum se ad confessionem accin-

accinxerit, aut aliam ob causam, Confessarius denegat ei absolutionem: at illa, vt mala mulier, dum Confessarius communicat, accedit etiam illa ad communicandum cum alijs, tunc Cõfessarius dicere minimè debet se eam non absoluisse, ac ex hac causa nolle ei communionem conferre: nam hoc modo confessionem detegeret, sed tantùm ei dicat: Tu, cùm sis publica meretrix, vt omnes dignoscere videntur, necdum te publicè emendasse monstrasti, ideo tibi communionem præbere nolo: siqúe dixerit, se illi fuisse confessam, respondeat, vt in pace discedat, cùm nesciat ille quid dixerit: si autem peccatum secretum est, Confessarius verò noluit eam absoluere, si postmodum communicans alios, mulier inter illos se posuit, quamuis eam videat, debet illam communicare, secus enim confessionem detegere videretur. Velut si quis dũ confiteretur dixerit, se velle sibi desponsare quãdam suam consanguineam absque dispensatione, cùm occultum sit impedimentum, & persuadet ei curatus, ne hoc ageret, sed nihilominus se id effecturum dicit, & ideo sacerdos eũ non absoluit, si postea populus cum illo se ad sacerdotem contulerit, vt desponsare velit, tenetur ei matrimonij Sacramentum conferre, cùm hoc minus sit inconueniens, quàm confessionem detegere.

Quartus casus. Si Iudex ceperit delinquentem ob aliquid graue, illeq; confiteri nolit, cũ suo sacerdoti antea confessus sit: Iudex verò præcipit sacerdoti illi, vt quicquid sciret, ve-

lit reuelare, graues pœnas ei minitando, ſi ſecus fecerit, quęritur, quidnam reſpondere debet ille Confeſſarius? Omnes ſentire videntur, quòd licet ille Confeſſarius fuerit, poteſt ipſe dicere, ſe nihil de illo ſcire. Sed eſt quoque probabilis opinio, quòd dum magis ille infeſtetur, dicere poterit: Neſcio hoc in confeſſione, quia neſcit, vt poſtmodum vellet reuelare.

Quintus caſus. Quidam in Quadrageſima confitetur: at Confeſſarius ob aliqua, quæ neceſſaria ei videntur, abſolutionem differt vſque ad triginta, ſeu quadraginta dies: ſi iſte ſchedulam dederit, mentitur, quia dicit ſe illius audiuiſſe confeſſionem, cùm non audierit, eoq; magis, quòd ſi dat, ille non reuerteretur: ſicq; non dederit, excommunicatur, cùm non communicet in Paſcha: ſi autem Confeſſarius aliquid diceret Parocho, confeſſionem detegeret, quid erit igitur faciendum? Verè locus iſte perdifficilis eſt, ſed nunc dico, quòd poterit dicere Confeſſarius, vt illum nõ communicent, cùm non fuerit ei impenſa abſolutio, quia ſi quis non abſoluitur, ex quamplurimis rationibus id contingere poteſt, & ſic qui hoc diceret, non detegeret confeſſionem, ſed nequaquam hoc ſatisfacit: nam ſic aliquo modo detegeretur confeſſio: melius faceret, ſi ſchedulam daret, qua ſe illius confeſſionem audiuiſſe fateretur: nam quamuis abſolutionem ille minimè ſuſceperit, verè confeſſus eſt, at ſi poſtmodum non reuertitur, eius adſcribatur malitię, ſed in ſchedula dicatur, vt

non

non communicet, cùm hoc dici rectè possit: sin autem dicendum est pœnitenti, vt huiusmodi onus ipsius sit, & hoc melius, ac tutius remedium esset adhibendum.

De Complicibus in peccato. §. 1.

CIrca Complices, aut participātes in peccatis, contuendum est *primùm*, quòd nominare complices in confessione aut necesse est, vel non: si non oportet, nec pœnitens, neque Confessarius verbum faciat sub reatu mortalis culpę. Quod sic contingere potest. Quidam commisit adulterium, & cùm confitetur, dicit se cum maritata rem habuisse, satis peccatum explicuit, sed an cum Maria, aut Lucretia id fecisset, dicere nequaquam debet.

Secundò, si fortè pœnitens, vel quia ignarus est, aut aliam ob causam, tertiam detegit personam, tam illius honorem Confessarius debet inspicere, quàm eius sibi confitentis, ac vtramque partem tenere debet secretam: siqúe contigerit, quòd Confessarius dixerit pœnitenti, vt personam nominaret, nam secus illum non posse absoluere, in tali casu tenetur pœnitens illum Confessario denuntiare, cùm sit hęresis dicere, teneri aliquem huiusmodi circunstantiam confiteri, ex qua infamari persona illa videretur: siqúe pœnitens iste confiteri voluerit, atque Confessario diceret, quod alter Confessarius ei dixisset, non est absoluendus, donec ad Inquisitores se conferat, eisqúe illum tanquam hęreticum denuntiet, ac aliquo scripto se id verè fecisse demōstret. At cùm nominare complicem opus fuerit,

rit,vt confiteatur peccatum,velut ſi quis cum propria matre rem habuiſſet,aut ſorore,quoniam talis circunſtantia aggrauat, atque ſpeciem mutat,illic autem alius non adeſt Confeſſarius, niſi ille, à quo mater eius, & ſoror dignoſcitur, non debet illam confiteri circũſtantiam, ſed ſatis eſt dicere ſe rem habuiſſe cum muliere,aut cum virgine,ſi talis erat eius ſoror. Nam minimè decet, vt ait Bernardus, quòd Sacramentum inſtitutum ad charitatem, ſit contra charitatem, alium diffamando. Ideo tunc reticere debet, cumqúe opportunitas contigerit Confeſſarij, partes illas non cognoſcentis,confiteri tenetur huiuſmodi circumſtantiam. Magiſter Cano aſſerebat, quòd in mortis articulo quilibet tenetur explicare circumſtantias : ſed hoc non eſt verũ. At huiuſmodi vera eſt ſententia, quòd cùm Confeſſarius in confeſſione tertiam perſonam non ignoraret,tenetur illius etiã ſeruare ſecretum,non ſecus ac pœnitentis. In vno tãtùm caſu obligatur pœnitens detegere complices,aut participantes in peccato,non Confeſſario, ſed Iudici, aut Prælato,velut cùm ſe furibus ad furandum adiunxerit,aut cum hęreticis eſt conuerſatus,aut alicui adfuiſſet colloquio,in quo audierit ciuitatem fore diripiendam, atque euertendam, tunc ſi iſte, cùm pœnitudinem conceperit, ad Confeſſarium accedens, dixerit ei quonammodo res ſe habuerit, tunc Confeſſarius pręcipere tenetur, vt ilicò huiuſmodi complices Inquiſitoribus denuntiet,ſiue Iudici, rem ipſam aſſeren

do

do, quod cùm pœnitens ille fuerit exequutus, Confessarius eum absoluat, secus verò dicat quòd non potest eum absoluere. Dum Confessarius præcipit pœnitenti, vt denuntiet socios, non est nouum pręceptum Confessarij, sed Dei ad id eum obligantis: vt cùm dicitur, si non restitueris, non possum te absoluere, clarum est, quòd licet à Confessario non ei præciperetur, tenetur ille restituere. Debet pœnitens detegere complices, non solùm hoc modo præásserto, sed etiam licet ipse nequaquam sit complex. Satis enim est illum non ignorare proditionem, de qua contra Rempublicam agebatur. Sed quod dicitur de complicibus nunquam verum est, vt possint illi denuntiari Confessario. Si verò contingeret quòd pœnitens sit fœmina, quę non audet, neque scit rem ipsam denuntiare, & ideo dicit Confessario, vt ipse hoc vtatur officio: nam id faciendi veniam ei elargitur, aut extra confessionem illud diceret, an possit Confessarius tunc id efficere? Respondetur, quòd bene hoc poterit facere; sed non debet: nam minimè decet Confessarium se in huiusmodi casibus intromittere, cùm præiudicium sit atque dedecus Sacramenti pœnitentiæ, dum suspicari possit, quòd ipse per viam confessionis hæc non ignorauerit, quare consulere ei debet, vt hoc ipsa de se velit efficere: nam quonam modo in hoc se illa gerere debeat, edocuerit, nempe vt schedulam, quam ei dat, porrigat Iudici, aut Inquisitoribus, quibus dicat: Hoc ego sciui, at meus Confessarius hoc mihi
iussit.

iussit. Demum circa hoc sigillum confessionis animaduertere debet Confessarius, quòd tam debet esse grauis, vt confessionem non detegat: & non solùm hoc, sed oportet eũ summopere aduertere, vt de his, quæ in confessione audierit, nullo modo loquatur, vt si diceret: Hoc peccatum audiui in confessione, aut quàm plurimis absolutionem denegaui, aut huiusmodi verba: nam præterquam hoc esset contra integritatem secreti, quàm magna pœnitenti sequuta sunt etiam detrimenta, atque infamiæ, cùm ex similibus verbis dignosci poterunt personæ, quemadmodum semel cõtigit, quòd cùm quidam Confessarius cũ nonnullis familiariter loqueretur, dixit: Prima mulier, quam ego pœnitentem audiui, erat adultera, nec tunc ipse aduertit, neque aduerterunt consanguinei, quid ille dixerat, sed postmodum nonnullis diebus elapsis, cùm domi illius mulieris esset idem Confessarius, vbi maritus etiam aderat, dixit, tu quidem es prima spiritualis filia, quam ego confitentem audiui, tunc maritus, qui Confessariũ istum cum alijs sic loquutum audierat, cognouit coniugem suam illam esse, de qua primùm Confessarius erat loquutus, cùm dixit, quòd adultera erat prima mulier, quam confitentem audiuit: & cùm Confessarius discessisset, pugione illam occidit. Alij casus huiusmodi contigerunt, ideo Confessarium oportet solertem esse, atque prudentem, qui priusquam proferat verbum, excogitet illud, aduertatq́;, quidnam ille loquatur, & cum quo loquatur,

vt nec ex ioco, nec serio, neque alio quolibet verbo, quid velit prodere, quod in confessione audiuisset. Dubitatur an post absolutionē impensam, anteaquam pœnitēs à pedibus discedat Confessarij, possit ille dicere Confessario quę ad confessionem pertinere viderentur? Aliqui dicunt quòd non, cùm iam sit finita confessio. Ego verò dico, quòd rectè id agere potest: nam totum quod dicitur est confessio, aut saltem res est tanquā cōfessioni annexa. Ideoqúe tenetur Confessarius seruare secretum, non secus ac si pœnitens illud antequam absolueretur dixisset.

De Fortitudine, deqúe Magnanimitate, quæ opus sunt Confeßario, vt Sacramentum Pœnitentiæ valeat applicare. Cap. 5.


AD HOC pro spirituali medico nonnulla prouidimus tamquam oculos, quibus quid inspiciendū sit inspicere valeat. At contuendum est, non satis esse eum oculos habere, nisi animi fortitudine sit munitus ad hanc doctrinam exequendam. Hæc non est fortitudo illa, quam ex officio habet, nempe audaciam, atque timorem temperandi, quæ ex quatuor est virtutibus Cardinalibus, sed quædam est generalis fortitudo, qua vtitur homo ad omnes difficultates superandas, quę præpediunt nos, ne agamus id, quod ad virtutes obeundas ex officio agere deberemus, ideoqúe semper illas comitatur, quasi manu tenens ensem pro armis. Quòd magnanimitas ista necessaria sit, probatur: nam virtus, (vt

Philosophi asserunt) ardua est, atque difficilis, & ideo conuenit, vt illa semper adhæreat huic fortitudini, quæ ad hanc difficultatem ei opituletur. Vnde quemadmodum semper indiget malleo faber, quẽ manu gestet, ratione materiæ, cui inuigilat, quæ dura est ad domandum: sic etiam vir sapiẽs ista indiget fortitudine, tamquam spirituali malleo, vt huiusmodi difficultatem domaret, quę in virtutibus reperitur. Ad propositum istud colligẽda sunt verba illa, quæ Moysi loquutus est Deus, dicens: *Sume hanc virgam Dei, nam illa facies cuncta signa, atque prodigia, quibus populum meum ex Aegypto eduxeris.* Profectò virga ista virtutis, atque fortitudinis illa est, quæ omnia vincere debet ardua, atque difficilia, ac nos ad finem perducere, ad quem nos tendimus. Quod persuadetur nobilissima illa sententia Redemptoris nostri, dicentis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc est fortitudo, atque magnanimitas virorum sequentium Dominum, qui in anima interiorem paradisum habentes, ista dulcedine crucis supplicia voluntariè amplectuntur. Quamobrem Patres charissimi, atque dilectissimi fratres, iam tempus est, vt doctrinam istam, quam edocuimus lingua, atramento conscripsimus, opere tandem animi fortitudine exequamur, ac si opus fuerit, sanguinis nostri sigillo signemus. Quàm plurimi præteriẽre dies, quibus, si nos profecissemus in schola Christi, iam huiusmodi animi fortitudinem assequuti fu-

issemus, cùm hoc sit tyrocinium, in quo Christus docet suos, vt abnegantes seipsos, ac tollentes crucem suam, mortem adeant, nequaquam labori parcentes. Nunc verò sic objicimus nos periculo sanguinem effundendi pro Euangelica veritate, ac si Dei Filius nunquam hisce temporibus hoc edocuisset. Quando Caius Caligula iussit statuam suam poni in templo Hierosolymis, ex omni parte Iudæi, tanquam examina apum, non solùm vt manibus, atque viribus hocpræpedirent, sed vt proprium effunderent sanguinem, vitæqúe ipsi ne parcerent, vt templi decus maiestatéqúe vindicarent, atque tuerentur, Præfecti domum festinanter adibant; nec tot fortium ac magnanimorum hominum, atque mulierum impetus desistere videbatur, imò quotiescunque de templo profanando loqueretur, innumerabiles videbantur, qui vnà simul sui ipsorum obliti, se morti obijciebant. Itaque ob tot mortuorum aceruos ad idolum non poterant se conferre, quod in templo locatum erat. Nos verò, quibus templum viuum est Christus Iesus Redemptor noster, in quo tota Patris maiestas inhabitat, nec quidem verbum vnum dicentes, patimur tã turpiter eum profanari, tantoqúe affici contumelia, atq; iterum crucifigi. Oblata sunt idola detestabilium peccatorũ in Republica Christiana, quæ Ecclesię sanctitatem euertunt, fœdant, atque totum diuinum cultum destruere videntur, ac honorem, qui Deo debetur. Si prisca illa tempora reminiscimur, quot millia

lia Martyrum in diris tormentis inuincibilia perſiſtebant, quamcunque mortem ſuſtinendo,ac vitam profundentes,teſtimonium reddiderunt, illudqúe ſanguine fuſo confirmârunt, ęternam vitam eis eſſe reddendã, quam eo tempore præſtolabantur. Quando huiuſmodi lucis ſplendebat fauilla in corde hominum, totum eorum cor accendebat tãto cum deſiderio vitæ cæleſtis conſequendæ,quòd facile vitam iſtam contemnebant, & mortem. Nunc verò, cùm Dominus radio ſuo, tantoqúe doctrinæ ſuæ ſplendore nos illuſtraſſet, tepeſcũt noſtra corda, adeò quòd nihil ambiunt, niſi terrena iſta, quæ tam ilicò dilabuntur,ſalutem verò æternam ab Euangelica veritate, atque doctrina nequaquam expectant, pro cuius defenſione nemo ſe periculo vult obijcere. Hæc eſt indiligentia quædam, & vilitas, infidelitate plena atque proditione. Quamobrem non opus eſt amplius cauſam exquirere, cur Chriſtiana pietas tot in ciuitatibus, atque prouincijs iam perierit, cùm iudicium Dei eſt, vt non hac pietate fruantur, ſed priuentur potius, cùm ab eis illa ſic paruipendi videatur. Hoc aſſertum ſit, vt hi, quorum corda aliquo diuinæ pietatis, eiusq; religionis iaculo feriuntur, reminiſcantur, ad mortem eos extenſa manu vocari, nec animum demittant, cùm procul dubio beatior ille ſit, qui vitam effundit pro antiqua Religione, atque doctrina, qui ve ſanctam tuetur Eccleſiam, quàm ille, qui multa cum prudentia carnis eam deſerit, ſuę tranquillitati, ac quie-

ti attendendo: nam iste cælestem æternamqúe patriam, atque Deum ipsum amiserit, ille verò tanquam bonus miles, vitam suam cùm obtulerit Deo, sempiterna illa, ac beata fruetur in cęlo.

Quonam modo Confeßarius se gerere debeat in administrando Pœnitentiæ Sacramento, & quomodo suscipere debeat pœnitentem.

HVc vsque disseruimus quomodo se gerere debeat Confessarius quoad se ipsum, ac quid exequi deberet tanquam bonus, ac peritus medicus, paratus, ac promptus quacũque medicina mederi. Nunc verò videamus quomodo se gerere debeat cum pœnitente, ac quonam modo ei debeat opem ferre, eumqúe inducere, vt faceret quod tenetur: nempe tres illos actus, tanquam vomitus animæ, qui sunt Contritio, Confessio, ac Satisfactio. Aduertatqúe Confessarius, quòd in hac medela applicanda totum negotium animas curandi consistit. Nam parum prodest scire varias, ac quamplurimas animæ medicinas, si cùm applicare illas debet, non bene tangit infirmi pulsum, ac iuxta infirmitatis dispositionem, & qualitatem, omni cum vigilantia, ac diligentia, non applicat animæ medicinam. Iuxta hoc igitur primum, quod agere Confessarius debet, cùm ad audiendam confessionem accesserit, est Deo se commendare, atque ad tam magnum ministerium peragendum accingere, vtens illis verbis Dauid: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Auxiliare Do-

re Domine, vt nullum peccatum, ex his, quæ audiero, occaſio ſit damnationis meę, ſed tribue, atque conſerua mihi cor mundum, ac purum, ſpiritumqúe veritatis, vt nulla occaſione adueniente veritatem deſeram, nec ab opere veritatis operando deſiſtam. *Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Præbe mihi iucunditatem tuam, vt ſpiritu principali munitus, vera fatear, & quamuis omnes mihi aduerſari videantur, à veritate dicenda nunquam deſiſtam. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Conuertam eum, qui ſe ad meos proiecerit pedes, ac ex filio iræ, atque dæmonis, gratia tua fretus, faciam amicum tuum. Septus ergo iſtis, ac ſimilibus conſiderationibus, cùm ad illum acceſſerit pœnitens, faciem grauem oſtendat, ſed hilarem, atque iucundam, eumqúe viſceribus illis ſuſcipiat, quibus Chriſtus Ieſus, Redemptor noſter, ſcutum, atque adminiculum peccatorum, ſuſcipiebat eos, ac Magdalenam ad illius pedes proſtratam ſuſcepit. Debet Cōfeſſarius, vt Paulus ait, infirmari, cùm ille dixerit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* nam & medicus, qui cum infirmo non infirmatur, non poteſt infirmo ſanitatem conferre. Infirmari igitur debet, vt animam illam Deo adipiſceretur: nam illius delinquentis anima, quæ ad Deum redire peroptat, debet ſua gloria eſſe, ſuaqúe corona, nec deſiſtere vnquam debet, donec illa Dei amica conſtituatur. At

vt melius misericordię huius, atque charitatis affectum induat erga peccatorem, non ab re esse videbitur, hîc nonnulla Apostoli Pauli verba contexere, quibus mirum in modum huiusmodi affectus exprimitur, quo Confessarij desiderio quodam teneantur lucrandi animas Deo. In epistola, quam Diuus Paulus scribit ad Galatas, sic ait: *Filioli mei, quos in Christo Iesu semel genui, non absque magna molestia, nunc vos in errores, atque peccata prolapsos, enitor partus dolore, nempe gemitu, atque sollicitudine, & labore, denuò ad metam illam conducere, donec firmetur Christus in vobis. Vellem nunc apud vos esse, meamqúe mutare vocem, aliquando lenitate, aliquando autem minis, nunc protestando, nunc corripiendo, nunc verò flendo docere, ac prædicare vobis quod decet, cùm ex damnatione vestra consequar ego confusionem, & dedecus.* Cuncta hæc admirabilem ostendunt affectum, quem imitari profectò debent, qui animas adipisci voluerint. Alibi huiusmodi affectus exprimitur ab eodem Apostolo scribente ad Philippenses his verbis: *Si mihi hoc concederet Deus, vt immolarer supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gauderem, atque congratularer omnibus vobis.* In quarto capite eiusdem epistolæ discipulos, quos Christo genuerat, nonnullis verbis suauissimis, atque amoris plenis vocat, sic dicens: *Fratres mei charißimi, atque desideratißimi, gloria mea, & corona mea.* Sed in prima ad Thessalonicẽses miris affectibus cor exprimit Christianũ, quod habere debet, qui negotium

hoc

hoc animarum susceperit, ac ita loquitur: *Exhortatio enim vestra nõ de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ; Deus testis est; neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs: cùm possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli, sed facti sumus paruuli in medio vestri, tanquã si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis nõ solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniã charißimi nobis facti estis. Memores enim estis fratres laboris nostri, & fatigationis; nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei, vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querela vobis, qui credidistis, affuimus, sicut scitis qualiter vnumquemque vestrum, sicut pater filios suos, deprecantes vos, & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suum regnum, & gloriam.* Ac alio in loco ait; *Ego enim libentißimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* In epistola verò, quã ipse scribit ad Romanos, mirum in modum exprimit eundem affectum, dicens: *Optabam enim ego ipse, si fieri posset, anathema esse à Christo,* non ab eius amore, & gratia, sed à participatione gloriæ suæ, ac felicitatis, quã expectant qui seruiunt Christo, *vt fratres mei salui fiant.* O beatum Apostolum, ô diuinum pectus, & cor, quod conspicitur etiam in alia eius sententia, cùm ad Corinthios scribit, sic dicendo:

Vos estis in corde meo, vt vnà simul & viuamus, & moriamur. Modus iste loquendi amicitiam explicat violentam, atque coniunctissimam. Ego, dicere ille volebat, accinctus sum, atque paratus, & vitam degere, & mortem adire vobiscum. Hoc amicitiæ genus inter priscos illos, ac veteres esse solebat, quòd altero amico moriente, alter lubẽter se traderet morti, vt cum illo postea viueret. Apostolus Paulus in isto loco non hoc intendit, sed huiusmodi verbis amorem maximũ, præcipuamq; charitatem erga illos ostendit. At totum hoc melius dignoscitur alio in loco, cùm idem Apostolus ad Corinthios scribit, sic dicens: Cogit charitas, vt non nobis ipsis attendamus, sed Dei gloriam quærere debeamus, atque animarum salutem, considerantes Christum pro peccatoribus, ac impijs mortuum esse, & vt impij, ac peccatores vitam haberẽt, ipse morti se tradidit: ille verò vitam posuit, vt peccatores recuperarent vitam, nos nonne pro eo vitam dabimus, q mortuus est, vt daret nobis vitã? Super hoc asserit quidã Sanctus: Si tanto pretioso sanguine mũdus redemptus est, cur nos præcipuo amore non accendimur, cur dulci & amorosa insania non inflammamur, magnopere cupiẽtes, vt tam copiosa redemptio, tam inæstimabile pretium omnes attingat? ô quantum cupio, quamuis insanum me esse omnes sentiant, mori pro mundo isto, pro quo Christus meus Redemptor & Deus fuit crucifixus. Veniat mors, veniat crux, veniãt ferri lamina, ignis, totius corporis contritio,

ossium confractio, cuncta diaboli tormenta in me veniant, omnibus me periculis obijciá, contuens Christum mortuum esse, vt omnes per eum, ac in illo postmodum vincere debe-remus. Hoc inspicere, ac contueri debet Confessarius, hoc spiritu, animoqúe munitus ad audiendas confessiones debet accedere. Pœnitentem verò illic audiat, vbi quietè pœnitens ipse cõfiteri, & ipse audire confessionem valeat, ac animare, aut reprimere pœnitẽtem cùm opus fuerit; nec aliquo modo sinat, vt quis circunstet, cùm possibile nequaquam erit, vt dum ille gente circundatus est, vt fieri assolet, non audiant circumstantes quicquid dixerit pœnitẽs, aut ipse loqueretur. Cùm pœnitentem susceperit Cõfessarius, faciat vt ille flexis genibus confiteatur, capiteq; detecto, ac deposito ense, si fortè illo esset accinctus, vultuq; demisso, vtq; ipse Confessarius conuenienter sedere videatur, cùm ibi Christum repræsentet. Præcipiat ilicò, vt crucis signo se muniat, siq; nescierit, edoceat eum: aduertat præterea, non oportere, vt dicat ille per signũ crucis, nam satis est dicere: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Dicat postea generalem Confessionem, quæ nimis longior non sit, ac de rebus impertinentibus, siq; longa foret, vt illa, quam Parochi dicunt, doceat aliquam breuem, in qua quicquid contineatur, quod homo admittere potuisset: quoniam prolixam illam dicendo, quæ communiter à curatis dici solet, aliquando mentiretur in eo quod dixerit; nam exempli gratia fatetur se peccas-

peccasse ludendo, iurando, aut maledicendo, &c. cùm minimè iurauerit, aut luserit, &c. doceat ergo eum huiusmodi breuem dicere confessionem.

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beatis Apostolis Petro, & Paulo, Michaeli Archangelo, & tibi Pater, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere, ac omißione obseruationis præceptorum Dei, atque eius sanctæ Ecclesiæ, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideo precor te audire pœnitentiam meam, ac orare Dominum Deum nostrum. Nec mulieribus consentiat dicere, ego peccatrix: sed, *Confiteor Deo omnipotenti.* Aduertatq; Confessarius, quòd cùm quis confessus fuerit heri, aut hodie, seq; recõciliare Deo voluerit, non opus est tempus conterere in confessione generali facienda, sed dicere: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* confiteatur quidnam admiserit, Deum offendendo.

De Interrogationibus, quibus Confessarius vti debet erga Pœnitentem. Cap. 6.

POSTEA Confessarius interroget pœnitentem de nonnullis rebus, quę sunt quædã præludia ad confessionem, vt agnoscere vitam incipiat pœnitentis, ac ea, quæ illi opus sint.

Primum quærat, qualem viuendi modum, ac statum ipse teneat, vt sic non ignoret, atque dignoscat confessionem, ac remedia, quæ illi iuxta suum statum essent adhibenda.

At huiusmodi interrogatio omittenda est, quando Confessarius clarè pœnitentis statum cogno-

cognoſceret, vt ſi qui confitetur religioſus, aut monialis eſſet.

Secundo loco inquirat, quantum tempus ſit, quo non cõfeſſus eſt, & hoc duabus ex cauſis.

Primò, cùm vnuſquiſq; Chriſtianus fidelis ſemel in anno cõfiteri teneatur, modò diſcretionis annos attigerit: atque communicare, ſi rationis ſufficiens vſus ſibi fuerit, vt ad altaris Sacramentum accederet.

Vt ſciat ergo, an ille iſta præcepta adimpleuerit, oportet illũ interrogare, à quo tempore confeſſus non eſt.

Sed afferri etiam altera cauſa poteſt: nam alio modo ſe gerere debet Confeſſarius cum eo, qui abhinc octo, aut quindecim diebus confeſſus eſt; alio verò cum illo, cuius confeſſionem abhinc ſex menſibus audiuiſſet.

Tertiò quærat, an in præterita cõfeſſione ſeruauerit quod debebat, aut ſi peccatũ aliquod ob verecundiam omiſerit confiteri, vel cum diligentia conſcientiam ſuam non diſcuſſerit. Si tunc pœnitens ſe mentitũ eſſe, aut nõ cuncta peccata in confeſſione dixiſſe, confitetur, Confeſſarius non amplius audiendo, dicat omnes eius confeſſiones fuiſſe inualidas, ac nullius effectus, eumq; peccaſſe mortaliter in omnibus illis, atque oportere omnia errata præterita confiteri, ideo illum adhortetur, ac ſtatuat ei tempus, quo ſuam diſcutiat conſcientiam, recteq; peccata, quæ commiſiſſet, excogitet, vtq; beneficium inſpiciat, quod illi præſtiterit Deus, ſuas illuminans tenebras, ac iter oſtendẽs, à quo ipſe diuertiſſet. Dicat etiam,

am, vt post confessionem hanc ritè, rectequé factam cum multa quiete, ac animi consolatione sit, multasqúe spirituali medico gratias agat, cùm eum ab æterna morte liberarit. Huiusmodi documentum intelligẽdum est, cùm pœnitens in mortis articulo nequaquam fuerit. Nam si in tali statu esset, debet illum Confessarius adhortari, vt quicquid recordatur, velit confiteri, illumq́ interrogare debet, vt tali modo adiutus breuiter confiteatur quicquid reminiscitur, non tanto onere, atq́ labore grauatus. Circa doctrinam huiusmodi hoc offertur dubium: Si quis, qui cùm elapsis temporibus malè confessus sit, atque dolosè, dicit Confessario, vt eius audiat confessionẽ, primùm se accusans non veritatem seruasse in præteritis confessionibus, Cõfessarius autem dignoscit, quòd si tunc eum non audierit, ille non amplius reuertetur, nec cõfitebitur: quęritur an Confessarius ille possit pœnitentem istum audire, quamuis amplius sua peccata nequaquam excogitet, veluti de illo asseruimus, qui in mortis articulo constitutus videretur? Videtur quòd sic, cùm ex duobus malis minus sit eligendum. Nunc duo mala sunt, aut quòd iste confiteatur adiutus à Cõfessario, qui illum interroget ea, quæ sibi interrogãda forent, vt conscientiam eius exoneret; quamuis re vera adeò sit breue tempus, quo cuncta præterita recordari ille non poterit, sicq́ nonnulla peccata confitenda remaneant. Aliud malum est, quòd si ille à pedibus discesserit Confessarij, nõ reuertetur amplius, ac in peccatis

catis

catis persistet: ex malis illis duobus, minus videtur primum, ideo primum est eligẽdum. Ab huiusmodi ratione conuictum ego conspexi quendam disertum virum, dicentem tali casu pœnitentem illum audiendum fore, atque absoluẽdum absque alia dispositione, ac examine. Sed falsum nimis hoc mihi videtur, cùm ille dispositionem non habeat, quam habere tenetur, ergo peccaret Confessarius, eũ absoluẽdo, sicuti absolueret eum, qui nollet, neque proponeret peccatũ relinquere. Quòd ille dispositionem necessariam non haberet, clarè dignoscitur, cùm tam breui tempore nõ possit moraliter reminisci quid fecerit, quidve dixerit in præteritis confessionibus, valeatqúe, si rectè excogitaret, ac suam conscientiam excuteret, rectè recordari, atque confiteri, ergo ad se bene disponendum obnoxius esse videretur. Quamobrem talis iste non est tunc absoluendus, si prius præasserta diligentia ad vsus fuerit, nisi in articulo mortis constitueretur, cùm in tali casu effici non possit amplius, ac ius diuinum ad impossibilia non obligare videatur: sicq; prædictus pœnitens haud reuertetur, sibi ipsi imputabitur, suaq; culpa erit, non autem prudentis medici, qui ei dixerit veritatem.

Ex hac doctrina colligitur, quid agendum sit in hoc, quod aliquando solet contingere. Quidam Gallus, aut Germanus ad hunc conuentum se conferens, cõfitetur sacerdoti eius linguam non rectè intelligenti, itaque in confessione ab illo non audiuit nisi hoc, aut illud pec-

peccatum, quæritur an illius confeſſionẽ audire valeat, eiq́; abſolutionem impendere? Ex præaſſertis dignoſcitur, poſſe eum, ac debere hoc in articulo mortis efficere, cùm aliud nõ videatur ineſſe, dum pœnitens de eo, quod dixit aut fecit, dolorem ſe concepiſſe demonſtrat. At cùm talis neceſſitas non adeſſet, non debet eum abſoluere, ſed ad aliũ mittere, qui eum poſſit audire, ſiq́; in cõuentu illo non inueniretur, ſatagat vt inueniatur in alio: ſecus etenim peccaret Confeſſarius, abſoluens illũ: nam periculo ſe obijceret eum abſoluendo à peccatis, quæ ipſe ignorat, cumq́; etiam neſciret, an pœnitens bene ſe diſpoſuerit.

Quapropter audiẽs Indorum confeſſionẽ, non rectè ſciens linguam illorum, ſi Indi neſciunt Hiſpanum ſermonem, aut aliũ, in quo confitentur, nequaquam culpa vacaret, ob allatas rationes.

Quarta præambularis interrogatio eſt, an impoſitam ſibi pœnitentiam in præterita cõfeſſione egerit: nam ſi eam non egit, mortaliter peccauit, dum ob peccata mortalia fuerit impoſita. Hoc intelligitur, ſi commodè potuit, nec ſtatim egit, cùm illam agere potuiſſet: quemadmodum dicitur de præcepto reſtitutionem alienorum bonorum præcipiente, quod obligat ad ſtatim reſtituẽdum, cùm reſtitutio commodè fieri poteſt. Sed circa huiuſmodi petitionem aduertat prudens Confeſſarius hæc quæ ſequuntur.

Primò, Quòd licet pœnitens iniunctam pœnitentiam non impleuerit, non ideo præ-

terita

terita confessio fuit inualida, nec iteranda est, cùm illa ab eo, quod futurum erat, nequaquã dependerit, sed à dispositione, quam tunc habebat verus pœnitens, sicq; confessio atq; absolutio suũ consequutæ fuerunt effectũ. Itaq; in tali casu non debet ei præcipere Confessarius, vt iterũ confiteatur quicquid in præterita confessione dixerit, sed tantùm vt adimpleat pœnitentiam iniunctam sibi in alia confessione, ac ob peccata, quæ in ista confessione dixerit, iniungere ei debet aliam pœnitentiam. Sic etiam animaduertẽdum est, quòd si pœnitentiam in prçterita confessione iniunctã oblitus fuit, facilius remediũ erit, iterum eadem peccata confiteri, vt Confessarius iniungat ei pœnitentiam, quæ iuxta suas culpas decere videretur. Esset quoque remedium, cõijcere postmodum pœnitentiam, quæ illi imponenda sit, semperq;, vt se non decipiat, maiorem intendat imponere pœnitentiam, nisi cùm Iubilæa, atque plenariæ indulgentiæ conceduntur: nam quando illas pœnitens suscipit, ac legitimè eas consequitur, est absoluendus ab omnibus impositis sibi pœnitentijs, cùm hoc verè sit Iubilæum consequi, ac plenarias indulgentias, dummodò pœnitentia à Cõfessario iniuncta non fuerit præseruatiua, vt deinceps occasiones peccandi euitaret, & amplius non delinqueret: velut si pœnitentia imponeretur, vt in hanc, aut illam domum non ingrederetur, vt commerciũ illud non haberet: nam ab huiusmodi pœnitentijs nũquam absoluere debet, nec potest Confessarius, donec

periculum ablatum sit, atque occasio peccandi. Oportet etiam, vt dignoscat Confessarius, quòd si ille pœnitentiā impleuerit, dum peccato irretitus esset, satisfecit Confessario, cùm ille nil aliud, nisi ieiuniū, aut disciplinā præcepisset, quod ab eo adimpletum est, quamuis in gratia, aut amicitia non inueniretur. At verum est illum non satisfecisse coram Deo propter pœnam, quam in diuino iudicio debebat, cùm peccator inimicus Dei nihil agat, quod Deo gratum sit, aut valeat apud eum. Sed ad peccatorum consolationē nonnulli graues Theologi asserunt, ꝙ fictione recedente, nempe, cùm pœnitens peccatum deserit, illius pœnitudinem concipiendo, consequitur satisfactionis effectū, non secus ac si manēs in gratia satisfecisset: nam à Cōfessario imposita pœnitētia pars est Sacramēti Cōfessionis, ac omnia Sacramenta istius sunt cōditionis. Quòd si verè suscipiūtur, ac ob aliquod mortale peccatū præpeditur effectus Sacramenti, quādo postea quis peccatū detestabitur, ac aufert impedimentū, tunc Sacramenta in anima producent effectum, quē à principio producere debebāt.

Quinta interrogatio, an diligētiam adhibuerit, conscientiamq; discusserit suam, vt oportet, ad reminiscēda peccata, vt de eis rationem reddere valeat coram Deo. Nam si nequaquā se disposuit, nec secum peccata meditatus est, illorum pœnitudinem concipiendo, atque à Deo veniam postulando, confessio esset inualida, actusq; nullus foret, imò ridiculum, atque derisio coram Deo.

Qua de re, si mercator vellet confiteri, qui se excutiendo maiorem non adhibuisset diligentiam, quàm à domo ad templum se conferendo, Confessarius audire illum non debet, sed dulciter admonere, ac tempus illi constituere, vt se possit disponere. Idem dicendum puto de quocũque alio, qui per aliquot menses non confessus est. Ratio videtur: nam moraliter loquendo certum esse conspicitur, hũc non posse omnia peccata confiteri, nec rationem integram de eis reddere, cùm illorũ non reminiscatur, & hoc ex culpa sua, cuius crassa est ignorãtia, atque absq; aliqua excusatione, quam Theologi affectatã atq; optatã vocant, cùm idem sit, ac si in peccatis vellet immorari, illorumquẽ non rectè reddere rationem.

Confessarius ergo constituat ei terminum aliquorum dierum, vt conscientiam suam examinet, præbeatq; illi modum, quo facile sua peccata possit reminisci, nempe vt decem præcepta excogitet, mortiferaquẽ peccata, ac malas societates, præcipuè verò seipsum interroget de peccato, in quod facilius prolapsus est, cùm omnia quasi habeant eandem ruinam, idemquẽ exitium, quod perducit nos ad perditionem.

Duos tantùm casus Theologi solent excipere, quibus nequaquam opus est, vt pœnitens, qui diligenter suam minimè discusserit conscientiam, sua velit excogitare peccata.

Primò, quando tam aptus est, atq; expertus Cõfessarius, vt suis interrogationibus omnia peccata ex radice propria non ignoret colli-

gere, sed hoc rarò contingere solet, ac pauci sunt, qui illud agere sciunt.

Secundò, cùm pœnitens est in articulo mortis: nam tali casu, quamuis ille conscientiam suam haud discusserit, audienda est eius Confessio, ac adiuuandus erit ad extricãdam eius conscientiam, vt melius poterit in eo statu, vt dictum est in tertia interrogatione. Exceptis casibus istis, neminem, quãuis proprius esset Rex, debet in Confessione audire, si nondum sufficientem adhibuerit diligentiam. In istis duobus casibus debet se gerere Confessarius magnanimitate, ac longanimitate, nisi secus fieret, & ægrotus damnetur, & medicus.

Præparatio necessaria, ac sufficiens conscientiæ consideratio, atque discussio est, vt tanta adhibeatur diligentia, quanta in re aliqua graui, quæve magni refert, adhiberetur. Inuenitur etiam alius diligentior, atque accuratior modus discutiendi conscientiam, ad quem nos nõ obligat lex diuina, sed est perfectionis consilium, vt tanta adhibeatur diligentia in bene reddenda ratione, quantã adhibere deberet, qui statim esset moriturus.

Vltima interrogatio est, an in aliquã incideerit excommunicationem, à qua eum absoluere non possit Confessarius; aut si casum habet reseruatum, aut aliud impedimentum, ob quod non possit illi pœnitentiæ Sacramentum administrari. Si hoc esset, dicat vt ab eo licentiam expostulet, à quo debet, aut Iubileum expectet, vel aliquam suscipiat Bullam, ob quam possit absolui, siqúe Confessarius

chari-

charitate vti voluerit, ipſe poterit veniam petere abſoluendi pœnitentem ab excommunicatione, vel à reſeruatis caſibus: aduertatq́ue, quòd cùm res erit occulta, debet licentiam petere abſoluendi pœnitẽtem in foro conſcientiæ ab illo caſu, nullo modo eum detegendo. At dum res publica eſt, nempe quòd pœnitẽs ab ordinario fuerit excommunicatus, aut nõ ignoratur illum publicè in caſum aliquẽ reſeruatum incidiſſe, non dedecet tunc perſonã detegere. Animaduertat præterea Confeſſarius, quòd & ſi cum pœnitente loquatur, priuſquam ille incipiat confiteri, quamuis excommunicatione ſit irretitus, non incidit in excõmunicationem eum alloquendo: nam, vt diximus, cùm de excommunicationis materia loqueremur, rectè poterit non ſolùm cum Confeſſario loqui excommunicatus, ſed cum quolibet alio de rebus, quæ ad ipſius animæ ſalutem ſpectare viderentur, præcipuè verò, vt à peccato, atq; ab excommunicatione abſoluatur. Oportet etiam non ignorare Confeſſarium, quòd tenetur ipſe habere ſecretum quicquid inter eum, ac pœnitentẽ in præambulo ante Cõfeſſionem dictum fuerit, non ſecus ac ſi in Confeſſione eſſet auditũ: nam nullo caſu, neque aliquo modo, nec iuſſu aliquo detecturus eſt, quod in iſto Confeſſionis ingreſſu actum fuit.

Quod hoc verum ſit, monſtratum eſt ſuperiori libro. Circa huiuſmodi interrogationẽ ſic explicitam quædam magna quæſtio ſolet oriri: nempe ſi pœnitens, cùm ab eo expoſce-

ret Confessarius priusquam confiteatur, an aliquod graue peccatũ admiserit, nec illud relinquere firmiter proposuerit, dicat se peccatum huiusmodi admisisse, nec propositũ habere illud relinquendi, sit in Confessione audiendus, aut adhortãdus, vt se bene disponat. Caietanus in sua Summa videtur dicere, quòd non debet Confessionẽ eius audire, imò eum Dei gratiæ cõmendare. Sed verum est, Cõfessarium illum audire debere. Primò: nam, vt solet sæpe cõtingere, rectè eum admonendo, præcipuè verò cùm in actu illo Deus cor eius attingat, mutat ille sententiam, q̃ habebat: deinde verò, cùm suos ille confiteretur errores, suaq́ peccata, quãuis absolutio differatur, cũ dispositus non accesserit, nõ ideo remanet excommunicatus, licet Episcopus eos excõmunicet, qui nequaquam cõfessi sunt, cùm iste re vera confessus sit, quamuis Confessarius differat absolutionẽ, queãdmodum superiori libro fuit assertũ, cùm de Ecclesiæ præcepto disseruimus, quod cunctos Christi fideles, vt semel in anno confiteantur, obligare videtur.

Quonam modo pœnitens se incusare debeat, & Confessarius in hoc opem ferre teneatur. Cap. 8.


VM per interrogationes præambulares necessarias quidẽ ante cõfessionem Confessarius pœnitentem examinauerit, q̃ sunt istæ videlicet: Qualisnã eius status sit,

A quo tempore non confessus est.

An pœnitentiam illi iniunctam in præterita confessione compleuerit,

An in præteritis cõfeſſionibus verũ dixerit.
An ſe diſpoſuerit, ac conſcientiam diſcuſſerit, vt coram Deo confiteretur.
Vtrum in aliquam inciderit excõmunicationem, aut reſeruatũ caſum, à quo non poſſit eũ abſoluere Cõfeſſarius, cùm in omnibus his rectè ſe geſſerit pœnitẽs in reddẽda ratiõe, ſtatim ſua debet confiteri peccata, ſic aggrediẽdo.
Confiteor me deliquiſſe Pater, cùm ad pœnitentiæ Sacramẽtum non acceſſerim illa animi, qua debeo, promptitudine, meꝗ; tantum non concepiſſe dolorẽ offendiſſe Deum, quantum me habere dignoſco, nec me tam firmiter ſtatuiſſe nunquã eum offendẽdi, quẽadmodũ ad id ſum obnoxius. Confiteor etiam me Deo nequaquã cõmendaſſe, vt ope ipſius adiutus confiteri non ignorarem, atꝗ; me peccaſſe incuſare. Poſtea confiteatur peccata in particulari eo, quo poterit, modo, ac ordine deſcripto ſuperius, nempe ad decẽ præcepta deſcendendo, & quãuis nõ bene cõfiteatur, at tamen, vt melius ſcierit, ſua detegat vulnera peccatorum, atque neceſſitates: at ſi pœnitens diceret Cõfeſſario, vt ipſe eũ interroget, cùm ſemper ab alijs Confeſſarijs in confeſſione fuiſſet interrogatus, nõ debet id facere: nam magis expedit, vt pœnitens ſe ipſum humiliaret, & Confeſſarius melius peccatoris confuſionem agnoſceret, ꝙ ipſemet ſe accuſet, ac ꝓprio ore ſua peccata, atque ea, quibus indiget, fateatur.
Hoc peracto, ſtatim Confeſſarius debet eũ examinare, recteqúe eius interrogare conſcientiã in omnibus, quę dignoſceret illũ obliuientiã

sci, aut nolle confiteri præ verecundia, aut ob ignorantiam: quod fieri debet per præcepta. At interrogandus non est de omnibus his, quę circa Dei præcepta explicita fuêre, sed iuxta statum, ac qualitatem pœnitentis. Itaq; tamquam sapiens, ac peritus medicus expostulet cuncta, quæ ad suæ infirmitatis salutem necessaria esse cognosceret, nisi periculū mortis timeretur, aut phrænesis, aut infirmus ille loquelam amitteret, cùm hoc tempore ordo sit, ordinē non seruare, sed magis necessaria prouidere; vt si iuuenis est, exposcat, an ille luserit, iurauerit, aut malas habuerit societates, aut cum mulieribus rem habuerit. Aduertendum etiā est, quòd si pœnitens malè ægrotaret, atq; in magna constitutus esset necessitate, si dum ille confitetur peccata, in medio confessionis lassus videretur, ac diceret, se iterum velle confiteri, cùm adhuc q̄ plurima peccata confitenda sint, tali casu debet eum absoluere Confessarius, non differendo absolutionē, & si cuncta non dixerit peccata, cùm re vera cūcta, quæ poterat, confessus sit. Dico igitur, & iterum dico, vt non ei contingat, quod semel contigit Confessario parum experto, qui audiens cuiusdam ægroti confessionem, quia labore vincebatur, dignoscēs ad omnia tempus sufficere, non impendit absolutionem, cumq; rediret, inuenit eum mortuum, & sic ille non absolutus ex hac vita decessit. Ad euitandum ergo huiusmodi tam grande periculum, efficiat vt pœnitens hoc modo confiteatur: *Incuso me de omnibus, quæ dixi, deqúe*

alijs quàm plurimis peccatis, quæ, cùm mihi nec tempus, nec vires sufficiant, nequaquã confiteor, nec possum confiteri, ideo peto, vt misericordia, atque amore Iesu Christi mihi condonentur. Et tunc illi absolutio impendatur. At si ęgrotus tam in extremo vitę videretur, quòd timet Confessarius, ne tunc moriatur, non debet in aliqua interrogatione immorari, sed dum aliqua peccata confitetur, absoluat eum tali modo, nuper à nobis asserto: si autem aliquod non confitetur peccatum, sed tantùm in generali contritionis indicat signum, nõ potest absolui, quamuis nonnulli Doctores secus asseuerent, quia sufficiẽs ac legitima non adest materia, super quam Sacramenti forma constitui posse videretur.

Legitima huius Sacramenti materia est, cùm pœnitens in particulare se Deum offendisse incusat, nec sufficit in generali signa cõtritionis ostendere: nam oportet, vt omnes, quamuis iustissimi sint, huius contritionis modum habeant. Vnde modus iste non sufficit, cùm dignoscere nequaquam possit Confessarius, quidnam pœnitens admiserit contra Deum, & ex consequenti in tali causa iudex esse non potest. At Confessarius aduertat, atque inspiciat, vt cùm pœnitens se incusauerit, interroget eum de numero peccatorum, dum ipse non diceret, nempe quoties istud, aut illud peccatum commiserit: nam si numerus iste non explicaretur, nequaquam integra foret confessio. Non debet esse pœnitens nimis scrupulosus in peccatis asserendis ab eo

admissis, satis est dicere, plus, aut minus, si non ritè reminiscitur, siqúe id recordari nec etiam potest, peccatumqúe est, quod longo tempore perdurauerit, vt in inimicitijs, aut in peccatis, quæ carnaliter committuntur, explicet saltem quantum in illo fuerit immoratus: nam ex hoc, si prudens erit Confessarius, dignosceret eius infirmitatem, atque opportunam adhiberet medelam. Si verò peccatum esset, in quo non sic ille perstitisset, quippe in illo diu perseuerando, sed sæpius admitteretur, veluti periurium, proximi detractio, vel huiusmodi, nec quoties peccauerit reminisci potest, dicat saltem an ex consuetudine huiusmodi peccata commiserit, quotiescunque illi præbebatur occasio, aut si tunc ad se reuertendo obsistebat; vt hoc modo dignoscat medicus dispositionem infirmi, vt curare eum valeat. Circa hoc magnum offertur dubium, quod est: An si alicui confitenti diceretur vt numerum explicet peccatorum, qui respondeat se nolle dicere, cùm nequaquam dixisset quotiescumque confessus est, nec interrogatus de hoc vnquam fuerit, sint istius reiterandæ confessiones præteritæ? Videtur quòd sic, cùm nonnulla omiserit confiteri peccata, ad quæ confitenda tenebatur, nec ideo integras fecerit confessiones: ergo inualidæ illæ fuerunt, propterea reiterandæ. Huic dubio respondetur, quòd si hoc ex proposito omisit, tenetur reiterare præteritas confessiones: si autem paratus erat illas dicere, quando esset interrogatus, non videtur mihi præteritas

con-

confessiones illas fuisse inualidas, satis nunc erit negligentiam confiteri, qua vsus est cùm sic confitebatur. Dicat insuper quoties illa commiserit peccata, quorum numerum confessus non fuit in preteritis confessionibus: siq́ue commodè poterit reminisci, sufficere videretur, quamuis tutius remedium esset cuncta peccata generaliter confiteri. Vbi Confessarius peccati substantiam cum numero, ac illius circunstantias agnouerit, non amplius ad particulare descendat, præcipuè verò circa peccata carnis, ob periculum, cui objicit se, perdendi tempus in rebus haud necessarijs interrogandis.

Ex quo dignoscitur, non oportere ad asserendum peccatum totam enarrare historiam, sed satis est nominare peccatum, & quoties illud admiserit, totius facti historiam nō enarrando.

Ex hoc colligitur etiam, non opus esse strictè atque minutim explicare modos, ac genera, quibus peccatū admisisset, præsertim cùm carnale fuerit, vt dictum est.

Ad hoc dignoscendum non ignorari debet, inhonestum peccatum quatuor modis admitti posse, aut opere, aut tactu, aut cogitatione, aut verbis. Si quis inhonestatis peccatum admiserit, satis est dicere, toties peccaui cum coniugata, aut cum soluta, aut cum virgine; nec opus est modum, aut historiam texere, quonam modo res se habuerit, dummodò non sit illa tam extraordinaria, ac turpis, quòd secum afferret nouam circunstantiam,

aut

aut extraordinariam inhonestatem. Idem in tactibus, verbis, ac cogitationibus obseruetur: satis est enim dicere, toties huiusmodi habui inhonestas cogitationes cum maritata, aut cum virgine, nec dicere oporteret, aut diffusè cogitationem enarrare, nec modum, quo excogitauerit, nisi cùm adesset aliqua circunstantia mutans, aut aggrauans speciem: neque immoretur in personis asserẽdis, quibuscum ille peccauerit: sufficeret enim dicere: Incuso me tot inhonestas habuisse cogitationes cum maritatis, tot verò cum virgine, &c. & quamuis pœnitens dicat suam conscientiam non quiescere, ni totum illud assereret, quod aliâs asserebat, est audiendus: sed dicendum illi erit, vt verè, atque Christianè confiteatur, quemadmodum sapientes edocent, ac diserti viri; quodve ille non sit impertinentes historias dicturus, sed sua peccata, de quibus veniam debet à Deo exposcere: & quoniam maior difficultas esse videtur in excogitandis peccatis, quę cogitatione committuntur, diligenter illum examinet per regulas in superiori libro positas. Expleta huiusmodi interrogatione, dicat pœnitens de omnibus peccatis istis, ac de quàm plurimis alijs, quæ nequaquam dignosco, nec reminiscor, veniam à Christo Iesu peto Redemptore nostro, atque à te Pater, vt absolutionem, atque pœnitentiam mihi impendas.

Quonam modo Cõfessarius opem ferre debet pœnitenti, illumq; edocere, vt rectè valeat coram Deo confiteri. Caput 9.


VONIAM contingere sępe solet, quòd pœnitens nesciat confiteri, opus est vt eum edoceat Confessarius, eiq; nimia charitate opituletur ad hoc efficiendum, ideoq; nunc quædam ponentur monita, quibus ipse instituere poterit pœnitentem.

Monitiones pro Confeßione.

TRia sunt consideranda, vt quis rectè confiteatur.

Primum continet quicquid ante confessionem sit peragendum.

Secundum continet dicendi modum, atque declarandi peccata.

Tertium quid faciendum sit post confessionem.

Primus punctus septem continet monita.

Primum, quod statuat aliquibus diebus secum meditari, quidnam cogitauerit, loquutus fuerit, aut effecerit, vel in quo deliquerit.

Secundum, humiliter Spiritus sancti gratiam exposcere, vt in hoc tam graui negotio peragendo rectè se gerere valeat.

Tertium, reminisci à quonam tempore ille confessus sit, excutiens se, an aliquid oblitus fuerit, aut ex proposito illud omiserit, vt cuncta hæc ilicò in primis diceret Confessario.

Quartum, decet eum reminisci, in quonam statu ille sit à Deo constitutus, nempe an sit Ecclesiasticus, an nobilis, aut Doctor, vel mercator, aut religiosus: nam ex hoc melius poterit

rit ille colligere, in quo deliquerit.

Quintum, licet delicta reminisci societates excogitando, quas habuit, cùm hoc multum profecerit ad reminiscenda peccata.

Sextum, quoniam nonnulli magis proni sunt ad istud peccatum patrandum, quàm ad illud, expedit ea nos excutere, ad quæ magis prolabi dignoscimus, vt primum valeamus inspicere nostra vulnera, atque illa curare, quæ periculosa esse dignoscuntur.

Septimum, cùm huiusmodi adhibetur diligentia discutienda, nõ debet id fieri cum mœstitia, atq; anxietate quadam, & scrupulis, sed humilitate, atque magnanimitate, confidentia, ac spiritus libertate: nam etsi grauia sint peccata, quæ admiserit ille, tamen in medio est Iesus Christus, qui pro eo mortuus est, aliud non expectans, nisi vt conuertatur, & eius amicus efficiatur. Aduertatq; huius Christianæ confessionis finem non esse alium, quàm ad consequendam veniam peccatorum, vtque amicus, ac Filius Dei eius gratia constituatur.

Secundus punctus quatuor continet monitiones.

Prima, vt pœnitens prudentem eligat sibi Confessarium, atque peritum, qui eius conscientiam discutere, atque curare vulnera sciat, efficiendo vt amicus Dei fiat, tribuens illi regulas aliquas, quibus se possit gerere, ne gratiam Dei amittat ęternam. Quippe dolendum est, atque sanguineis lachrymis deplorandum, cùm videatur homines tanta cum solicitu-

citudine, tantaćq; cura peritiorem medicum, atque chirurgum quærere, vt infirma eorum corpora, atque vulnera medeantur, ſiq; præſens non inueniretur, è regione longinqua illum venire ſatagunt, non parcentes ſumptibus, neque laboribus : in animarum autem infirmitatibus, quæ abſque comparatione aliqua magis timendæ ſunt, cùm animæ ſempiternam mortem afferre videantur, nequaquã adhibetur diligentia quęrendi idoneum medicum, ſed primo, quem inuenerit homo, cõfitetur, quaſi infirmitatem paruipendens, atque illius periculum, illi verò, cui aliquod graue, magniq; momenti nequaquam confideret, ſua confidit ſecreta, & animam, & vitam. O grandis ſtultitia, ô magna infidelitas omnium infidelitatum infideliſſima, carens omni iudicio.

Secunda, quòd pœnitens, ſtans ante Confeſſarium, pro certo ſciat ſe ante iudicem cæleſtem, non ante terreſtrem eſſe, miſericordẽ, non ſeuerum, & ideo quò clarius confitebitur, eò mitius Deus ſe inclinauerit ad eius ignoſcenda peccata, ſicq; Dauid nos admonet, cùm dicit: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.*

Tertia, vt iſtis conditionibus ſit pręmunita confeſſio.

Prima, quòd ſit humilis, tantaqúe ſit humilitas, quantam explicat Dauid in Pſalmo, dicens: *De profundis* peccatorum meorum *clamaui ad te Domine, Domine exaudi orationem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecatio-*

nis

nis meæ. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit iudicium tuum? iam condemnatus essem.

Secunda, vt sit pura, quemadmodum in alio Psalmo loquitur Dauid istis verbis: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus*. In his vltimis verbis sinceritas declaratur, & puritas, qua pœnitens coram Domino debeat confiteri.

Tertia, vt sit vera, nempe vt verè confiteatur quicquid gesserit.

Quarta, vt sit honesta, vt verbis Confessarium non offendat.

Quinta, vt sit fortis, id est, fortitudine, atque animi robore munita, adeò quòd nihil confitēdo prętermittat ob verecundiam, aut ob aliam humanam rationem.

Vltima conditio est, vt exterior confessio, quæ fit Confessario, ex vero, ac interiori cordis proficiscatur, quæ ante Deum se incuset.

Quamobrem intelligendum est, duplicem esse peccatoris confessionem: altera interior, quæ Deo fit; altera verò exterior, quæ fit homini, iuxta pręceptum, ac ritum à Deo institutum. Quæ fit Deo, fuit semper, ac erit necessaria. At in Euangelica lege, ad remedium, atque consolationem peccatoris, talis confessio non satis per se est, sed quòd pręter contritionem, atque interiorem coram Deo confessionem, accedat pœnitens ad Confessarium, Christi ministrum, atque Ecclesię, apud quem pote-

potestas est largiẽdi illi veniam peccatorum, eiqúe consolationẽ afferendi: sicqúe præcipitur ei, vt ante Sacerdotem corde contrito, ac humiliato confiteatur peccata sua, quæ iam prius dixerat Deo.

Dico igitur, oportere confessionem exteriorem armatam esse virtutibus, vt valida illa sit coram Deo, ex quibus cor contritum & humiliatum, quod Deus non despicit, præcipuum est: secus etenim tota erit exterior, & superficialis, nec Deo placebit.

Quarta admonitio, quòd vbi se signo crucis munierit, dicat generalem confessionem Latino, aut vulgari sermone, statimqúe suum statum cõfiteatur, quantumve temporis præterierit ab vltima confessione, siqúe pœnitentiam sibi iniunctam adimpleuerit, & quonam modo adimpleuit.

Postmodum aggrediatur confessionis substantiam, sic dicens: Ex proximiori mea confessione vsq; adhuc ista, aut illa peccata commisi. Sed illud aduertat Confessarius, quod sæpius dictum est, nempe quòd dum pœnitens sua confitetur, non debet illum interrũpere, nec expauescat, neque admiretur, vnde pœnitens perterritus videatur, qui in fine suę confessionis dicere poterit, de istis peccatis, ac de quàm plurimis alijs, quæ non agnosco, veniam à Iesu Christo peto, atque à te Pater, vt mihi pœnitentiam iniungas.

Tertius punctus post confessionem tria continet monita.

Primum, vt consilia attendat, quæ á Con-

fessario ei exhibentur.

Secundum, vt iniunctam sibi pœnitentiam cum humilitate suscipiat, atq; Deo gratias agat de præstito beneficio, cùm tempus illi concesserit confitendi peccata, ac æternas, quas merebatur, pœnas in pœnam temporalem atque ita leuem ac suauem commutauerit.

Tertium, vt quicquid ei iusserit Confessarius adimpleat, vel restituendi quod furatus sit, surripuerit, aut per vsuras lucratus est; aut si abstulit famam proximi: quod magnanimitate consequi debet, ac determinatione illa, illoq; proposito, ac si Deus id illi præcepisset.

Quartum, vt occasionem euitet, quę illi offendendi Deum causam prębet. Hoc est, quod ex se peragere debet pœnitens, atque Confessarius, vt eum edoceat, eiqúe ad hoc perficiendum opem ferat.

Quomodo Confessarius pœnitenti opitulari debeat ad contritionem concipiendam, dum eum absque contritione dignosceret. Cap. 10.

POSTQVAM pœnitens omnia sua peccata confessus est, atque ea, quæ gesserit, asseruisset, aditus à prudente, peritoq; Confessario, inquirendus est, an pœnitudinem se offendisse Deum conceperit, ac amplius eum non offendendi statuerit: siqúe illi videtur, huiusmodi dolorem eum non concepisse, nec propositum habere amplius non peccandi, debet summopere eniti, ac studere Confessarius, omnemqúe adhibere diligentiam ad hoc efficiendum. In hoc persua-
siones

siones atque monitiones seruentur, in hoc effundantur lachrymæ, omnesque extendantur vires: in hoc etenim clauis consistit ędificij.

Aduertat ergo Confessarius, num pœnitens formidine pœnæ, aut virtutis amore moueatur. Si ob metũ mouetur, proponat ei detestabilẽ multitudinẽ suorum peccatorũ, tanquã mortis aciem, atq; infernum, necnon & illorũ grauitatẽ, ac pœnas, quæ peccatoribus à Deo infliguntur: item asseueret quot mala à peccato proficiscantur. Quòd si hominem inspiceremus tot damna nobis afferentem, quot à peccato inferuntur, ne quidem videre illum possemus, nec nomen eius audire. Peccatum separat nos à Deo, qui maior, ac melior amicus est omnibus, quos habere iam peroptamus: aufert quicquid boni in hac vita gesserimus: efficit vt Spiritus sancti gratiam amittamus, charitatem, atque Dei amorem, qui eam semper comitatur. Siq; tam magni refert terreni Principis amittere amicitiã, quanto magis referre non deberet Regis regũ familiaritatẽ perdere? Aufert Spiritus sancti munera: aufert & ius, quod super cęlorum regna possidemus: necnon & filiorum mores, quibus vtitur Deus erga eos, quos in amicos suscipit, atque filios suos: efficit vt pacem amittamus atque bonę conscientiæ securitatem, Spiritus sancti delitias, & consolationes.

Præterea certiorem illum faciat quicquid ob peccatum adipiscatur, nempe quòd æternis inferni pœnis erit addictus, comitatus

dæmonibus in tormentis sempiternis, inimicus Angeli custodis constitutus, ac omnium aliorum Spirituum cælestium. Postremò admoneat, quòd suppliciorum omnium grauissimum est opprobrium illud, damnatio, & confusio sempiterna. Insuper peccatum rationis vsum adimit, vnde tot, tantisq; malis sumus obnoxij.

At si huiusmodi considerationes nequaquam sufficere viderentur, vltimum erit remedium adhibendum, quod Deus nobis exhibuit, nempe vt ei præponatur Christus pro nobis crucifixus, ac mortuus, quodq; in cruce illa quidnam sit mortale peccatum conspici poterit.

Aspice, oculos attolle peccator miserabilis, quàm graue detrimentum afferat peccatum, cùm ad illud perimendum oportuerit mori Christum, vnigenitum Filium Dei, cruci affixum. Attolle caput, ac tuæ infirmitatis grauitatem dignoscas super humeros Christi Iesu Dei nostri.

Conspice, quemadmodũ in ipso rectè tua dignoscatur infirmitas. Intuere quàm cæcus, quantumve perditus sis. Attendas quæso, quonã modo in cruce exoret pacificus; in ea distẽdit brachia, vt te amplexetur; in ea inclinat caput, vt te osculo pacis suscipiat; in ea latus, & cor aperit, vt tu intra pectus suum ingredi valeas, vtq; nunquã ab eius amoroso amplexu longè moreris; in ea pro te effudit sanguinẽ, vt si modò velles, ipso te lauare, atq; mundare potueris, ac in sancto renouare Spiritu &

veri-

veritate diuini amoris flamine. Hoc afferat Confessarius in Christum crucifixum tendẽs oculos, vehemẽti animo, & corde illũ exorãs magnopere, vt peccator ille conuertatur.

Si autem illum magis amore, quàm timore compungi, atq; conteri conspexerit, præstita illi à Domino beneficia proponenda curauerit, eiusq; bonitatẽ, maiestatẽ, virtutis pulchritudinem, illius quietem, quę securam tenet suam conscientiam, quantumve magnum sit, à Deo hominem diligi, atque suum amicũ haberi. Debet etiam persuadere Confessarius pœnitenti, quòd virtuti inuigilans, multam suscipit voluptatem, multamq; lætitiam, ob quam diligitur Deus, contemnuntur hæc infima mundi, atque omnia, quæ à mundo diliguntur: præterea quàm plurimi alij effectus à virtute proficiscuntur, atque ab eo, qui virtutem colit, & diligit.

At aduertat Confessarius, quòd non solùm huiusmodi generales persuasiones debet adducere, sed peculiares quasdam, nempe, quòd si pœnitens sensualis est, dicere debet eum alligari fune ad infernum illum trahente, aliaq; inconuenientia, quæ secum affert sensualitatis peccatum, de quibus supra asseruimus in tractatu de peccatis mortalibus.

Si quis fuerit, qui huiusmodi commisisset peccata, ob quæ suspendi deberet, vri, aut ad alia condemnari supplicia, opus est ante eius oculos cuncta ponere, vehementi quadam efficacia: sique adhibitis omnibus persuasionibus istis pœnitudinem sufficientem non con-

ciperet, nec propositum firmum haberet amplius Deum non offendendi, aut quia se emẽdare non statuit, aut quia ablatum nollet restituere, aut prauum suum statum derelinquere, aut castè viuere non confidit, vel officium linquere non vult, quod exercere absque peccato mortali nequaquàm potest, nullatenus est absoluendus, cùm sufficienter non se disposuerit ad Sacramentum suscipiendũ: ac tali casu dimittere illum debet, statuens viginti, aut triginta dierum terminum, veluti ei videbitur, vt eo elapso ad confitendum ei reuertatur, vt dignoscere possit, an ille se emendauerit. Debet etiam eum admonere, vt quicquid poterit agat, Deo se commendando, vt illuminet eum, ne prauam illam vitam degat, atque ad cor redeat. Debet quoque illum nonnullis deuotionibus premunire, nempe, vt Rosarium beatissimæ Virginis recitet, & his similia, vtq; mortem meditetur, iudicium, atque inferni pœnas.

Non debet illum absoluere, quamuis importunus sit, dum scandalum, aut se desperare monstrauerit: nam procul dubio committeret Sacrilegium, atque illum absolueret, quẽ non potest: vterque enim ad æternas inferni pœnas condemnaretur; scandalum verò suum æstimare minimè debet, cùm ipse illud suscipiat, sueq; nequitię secum illud portent, non autem Dei lex, nec sui medici consilium, qui ęquitate, ac amore plenus est.

Si autem Confessarius perspexerit illum contritionem nõ habere perfectam, sed attritionem

tionē tantùm, quæ dolor est imperfectus, tunc sic dicere poterit pœnitenti: Etsi verū sit, quòd hęc contritio tua dolor est imperfectus, ex se nōn sufficiens ad consequendam à Deo veniā, cùm illum offendisse nequaquam doleas, vt decet, attamen virtute Sacramenti, atq; ex meritis Iesu Christi, quamuis imperfectus sit tibi talis dolor, nec pœnitudinem Deum offendisse conceperis, vt opus foret, nihilominus confertur tibi gratia virtute Sacramenti, & cùm inimicus Dei esses, amicus Dei efficeris.

Vbi huiusmodi protulerit verba, imponat ei pœnitentiam, vt illi visum fuerit, ac absolutionem impendat suorum peccatorū iuxta formam, quæ in sequentibus capitibus exhibebitur.

Quomodo Confessarius salutares debeat imponere pœnitentias, atque ad eas exequendas adiuuare pœnitentem. *Cap. 11.*

POENITENTIA vera secum affert, quo ad eius partem, cuncta Spiritus sancti munera, simul & gratiam, ex qua cuncta bona proficiscuntur, præcipuè verò quædam noua Lux, ac notitia rerum spiritualium, circa quas velut cæcus antea videbatur homo, ac vt ille, qui in regione tenebrarum morabatur, & in vmbra mortis, secumqúe ducit nouam charitatem, nouumq; Dei amorem, qui veræ pœnitentiæ, ac omnium virtutum est forma, atque illa, quę in anima nostra mirabiles producit effectus.

Hæc igitur lux charitate coniuncta producit in anima detestabile odium peccatorum, magnumq́; Dei timorem, cùm tam excelsa, ac suprema Maiestas offensa fuerit: dedecus quoddam etiam producit extremū, ob quod homo, qui Deum offenderat, non audet se ante Deum conferre, timens ne ab eius oculis conspiciatur.

Talis erat spiritus pœnitentiæ, atque confusionis, quem publicanus habebat, qui ad cœlum oculos leuare non audebat: quemadmodum mulier, quæ cùm à viro deprehensa esset in adulterio, quamuis delicti veniam sit consequuta, non audet tamen illum aspicere præ verecundia. Talis spiritus pœnitentiæ à Iob illis verbis ostenditur, sic dicente: *Peccaui, quid faciam tibi ô custos hominum?* eodemque spiritu loquitur Dauid: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper*: ac si diceret, ecce paratus sum, sume iustitiæ gladium, ac vbi libuerit corpus incide, honorem, & vitam. Ad huiusmodi determinationem assequendam sequentes proficient monitiones.

Prima, veris gemitibus hoc lumen à Deo exposcere, vt dignoscatur, quidnam sit mortale peccatum, quo tanta Dei Maiestas fuit offensa, atque qualis sit pœna, quam meretur homo, qui ausus est Dei lædere Maiestatem, ac inimicum eius se efficere.

Ex hoc lumine solicitudines illæ nascebantur, quibus Dauid à Domino veniam postulabat suorum peccatorū, cùm dicebat:

Beati,

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Beatus homo, cui non imputauit Dominus peccatum. Et alibi ait: *Miserere mei Deus secundum magnã misericordiam tuam. Dele Domine iniquitatem meam. Ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Asperges me Domine hyssopo & mũdabor; lauabis me, & super niuem dealbabor. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis,* vt non amplius peccem tibi. Hæc verba, istosq; affectus edocet nos præassumdum lumen.

Secundo, diligenter inspicere, quàm magnũ beneficiũ præstet homini Deus, cùm ille contentus sit pro æterna pœna, quam soluere debebat homo ob offensam factam ipsi Deo, pœnam exposcere mitem, suauem, atque moderatam, Confessoris arbitrio, & aliquando ob gemitum cordis.

Tertio, intueri quemadmodum satisfaciat in cruce Christus pro peccatis nostris doloribus intolerabilibus, & tandem morte crucis, vt se huiusmodi meditatione præmuniat pœnitens, statuatq; pro suis peccatis generoso animo satisfacere, nec ab illis flendis vnquam desistat, nec pro illis desinat satisfacere pœnis illis à Deo sibi inflictis, atq; ab Ecclesia ordinatis: quæ licet ex se leues sint, ac momentaneæ, comparatione æternæ pœnæ, quam meretur, attamen sanguine Christi adiutæ, atque coniunctæ, sufficientissimum valorẽ sortiuntur, ad satisfactionem nostrorum peccatorũ. Dignum quippe est, atque maxima consideratinne, quòd pro peccatis nostris Christus satisfecerit, nec vltam postulet, nec veram impo-

nat mortem, quamuis eam non mereamur: sed tantùm à nobis quandam similitudinem mortis exposcit, nempe vt carnem nostram mortificaremus, ac desideria: nam sic nobis veteri vita mortificatis communicabitur affluentissima illa mortis Christi Redemptoris nostri satisfactio.

At vt hoc dignoscatur, sciendum est, quòd quemadmodum Reipublicę leges infringens, obnoxius est statutis pœnis contra huiusmodi transgressores: sic etiam qui diuinam legem infringeret, obnoxius quibusdam pœnis redditur, quæ ad effectum hunc à iustitia Dei fuerunt impositæ.

Huiusmodi pœnæ necessariò soluēdæ sunt, aut in ista, aut in alia vita, id est, aut in Inferno, aut in Purgatorio, aut in hoc mundo.

In inferno soluitur pœna æterna. In Purgatorio non æterna pœna, sed tam seuera, ac intensa, quòd, vt B. Augustinus ait, nulla pœna in hoc mundo est, quæ comparari illi possit, quamuis in hoc cunctæ Martyrum pœnæ ac tormenta æquiparentur, quæ omnibus alijs maiores exstiterunt, quæ in toto terrarū orbe sustineri possint.

Ex ista igitur tā magna, ac tam formidāda pœna liberant nos ieiunia, corporales afflictiones, ac castigationes, quamuis absque comparatione minores esse conspiciātur. Nam in rebus istis Deus non tam inspicit laboris magnitudinem, quàm sacrificij volūtatem, cùm voluntarium sit, quod in hoc mundo sustinetur, in alio autem necessarium. Hinc est, quòd

vna

vna voluntaria pœna huius vitæ absque comparatiõe magis valet, magisq́; satisfacit, quàm multæ necessariæ in alia. Sed dicet aliqs: Pœnitentiæ igitur Sacramentũ non valet ad hoc sicut valet baptismus, qui cuncta aufert, absoluens hominem à culpa, atque à pœna? Ad hoc respõdetur, nimis differre alterum ab altero Sacramentum: nam baptismi Sacramentum est quædã spiritualis regeneratio, ac interioris hominis noua natiuitas. Quamobrẽ, quemadmodum quod nouiter nascitur desinit esse quod erat antea, ac suscipit aliud nouum esse, non aliquo ex pristino remanente; veluti cùm ex semine nascitur arbor, semẽ desinit esse, at arbor suscipit nouum esse: sic cùm spiritualis homo nascitur, statim desinit esse homo ille vetus, qualis prius erat, cùm dãnationis filius erat, & iræ; ac incipit alter homo esse, nempe nouus, atq; filius gratiæ, sicque à culpa, atque à pœna remanet liber. Sacramentum verò pœnitentiæ non liberat à peccatis præteritis, tanquam regeneratio, sed tãquam medela quædam, quæ perfectè aliquando sanat, aliquando verò minimè, sed præteritarum infirmitatum nonnullæ reliquiæ remanent, quæ postmodum bono regimine tempore procedente sunt consumendæ. Hoc modo pœnitentia tũc perfectè sanat hominem à culpa atque à pœna liberando, cùm in ea aliqua perfectissima contritio videretur, quemadmodũ fuit illa Magdalenæ. At quando non est tam perfecta contritio, quamuis totam auferat culpam, non aufert totam pœnam, & illa, quæ

la, quæ remanet, aut in ista purganda erit, aut in altera vita. Ita sæpe solet contingere in pœnitentiæ Sacramento, in quo remittitur culpa, ac diuina adipiscitur gratia; sed obnoxius remanet homo ratione suæ imperfectæ cõtritionis quibusdã pœnæ gradibus, iuxta diuinæ iustitiæ taxas, quæ sacerdotibus fuere commissæ, qui sunt Confessarij.

Sed vt Confessarius circa hoc modestè prudenterq́ue se gerat, aduertat, vt reminiscatur Tridẽtini Concilij verba, quæ nostro sermone huiusmodi tenorem insonare videntur.

Debent sacerdotes Dei, quod Spiritus eos edocuerit, atque prudentia, imponere salutares, atq; decentes satisfactiones, iuxta delictorum qualitates, ac facultates pœnitentium; secús enim simulantes, ac remissè cum pœnitentibus se gerentes, pro grauissimis peccatis leuissimas satisfactiones imponendo, faciunt se peccatorum illorum participes. Et additur postea, vt præ oculis habeant, recteq́ue velint inspicere, vt pœnitentia, quam imponunt, non tantùm sit ad vitæ custodiam, ac humanæ fragilitatis remedium, sed ad satisfacienda quoq; atque castiganda peccata præterita. Præterea circa modum, quo vti sacerdotes Dei debent in ponendis pœnitentijs, sequentes regulas seruent.

Prima, debet dicere pœnitenti, vt restituat quod in confessione se contra consciẽtiã habere disseruit, dum restituẽdi modum habet. At aduertat, quòd si homo ille foret, cui adhibenda est fides, qui dixerit se velle restitu-

ere,

27. 7bris 1805.

R. P. Alexander in Er. Montis ~~Jovis~~ Fani

Fr. Theodorus Conversus Montis Coronæ.

Fr. Jeremias in monte Coronæ Convers - - -

ere, cùm semel, aut bis pollicitus, non debet illi denegare absolutionem, imò adhibere fidem; si autem pluries se restituturum dixisset, nec restituit, reminiscatur Confessarius quid Caietanus asseueret, nempe teneri illum dicere pœnitentibus, qui satisfactionem differunt ex altera confessione ad alteram, vt prius restituant, postea verò ad absolutionem suscipiendam reuertantur.

Secunda regula, vt in præiudiciũ tertij non fiat satisfactio, veluti si qui confitetur mancipium est, non debet illi imponere pœnitentiam, vt ad domum diuæ Mariæ de Loreto se conferat, cùm ex hoc domini detrimentum sequatur.

Tertia, vt occulta sit ipsa satisfactio, vt non detegatur confessio. Sed dicet quis: Ergo cùm aliquis in eadem domo habet occasionẽ peccandi, cùm se cum aliqua miscuerit consanguinea, aut serua, non est illi pœnitẽtia iniungenda, vt ex ea egrediatur domo, aut ex illa malam eijciat societatem: nam si ex duobus istis alterum adhiberetur remedium, statim suum detegeretur delictũ, suaq; fama perderetur. Respondeo, huic pœnitentiam esse imponendam, vt ex illa domo egrediatur; & cùm ex malitia, aut fragilitate peccauerit ille, imputetur sibi, non autem legi Dei, quæ sanctè iusteq; præcipit, vt peccandi periculosæ euitentur occasiones. Idem dicendum est, cùm quis habens casus reseruatos, quasi quotidie celebrat, ac prætẽdit, vt sibi absolutio impendatur, pro defensione sua rationem afferendo,

do, quòd si Missam non diceret, aut non communicet, suum detegeretur delictum. Abneganda erit isti absolutio, dicendumque est, quòd Confessarius lætaretur, si hoc suum crimē detectum esset, vt ille pœnas solueret, vtque afficeretur dedecore, cùm se non pudeat tam inhonestè ac impudenter Deum offendisse.

Ideo Christus ait in Euangelio: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum; si autem manus, aut pes te scandalizauerit, abscinde eos*: quod est, ac si diceret, quamuis chara, ac pernecessaria res aliqua tibi esse videatur, si tibi scandalum præbet, aut offendendi Deum ansam dederit, relinquere illā debes, vt Dei gratiā non amittas.

Quarta regula, vt pœnitentis vires attendat, ac iuxta illas pœnitentiā imponat, potius Dei misericordiam ostendendo, quàm rigorē iustitiæ.

Quinta regula, si superbus esset pœnitens, iniungat ei in pœnitētiam humilitatis aliquid; si inhonestus, vt cilicio, atque ieiunio carnem domet, ac maceret, &c.

Sexta regula, dum expedire videbitur, imponat in pœnitentiā, si dignosceret pœnitentem nimis delinquere, vt in festis diuæ Mariæ confiteatur, si que hoc opus non esse conspiceret, saltem vt semel in mense debeat confiteri. At si quis dixerit, quonam modo igitur ad satisfaciēdum confertur pœnitentię Sacramentū, dum principalius illud est satisfactione? Respondetur, quòd nunc nō cōfertur, quia magis, aut minus principale sit, sed tanquam opportuna medela, quæ animæ adhibeatur.

Septima regula, vt eum ad Bullarũ, aut Iubilæi indulgentias suscipiendas obliget, aut alio modo: nam si ritè non satisfecerit, vel oblitus est, reficiendo soluat huiusmodi indulgentijs.

Vltima regula, cùm absoluerit, præter pœnitentiam, quam imposuerit, dicat:

Quicquid boni feceris, & mali sustinueris, omnesq; labores sint tibi in remissionem peccatorum; & hoc melius est, quàm illud, quod aliqui faciunt, qui totum hoc applicant per modum precum, atque orationis.

Quonam modo Confessarius absoluere debeat Pœnitentem. Cap. 12.

CVM Sacramenti pœnitentiæ materiã disposuerit Confessarius, atq; pœnitens ad absolutionem suscipiendã adiutus fuerit, opus est vt ille nõ ignoret Sacramenti formam introducere, atq; sciat quonam modo eum absoluere debeat.

Forma essentialis absolutionis Sacramenti in illis verbis consistit: *Ego te absoluo*, illudq; pronomen *ego*, nõ est de essentia: quamobrem si quis diceret, *absoluo te*, verũ esset Sacramentum. Sed licet hoc verũ sit, decet vt sacerdos ante Sacramentalẽ formam nonnulla verba præambularia dicat, quibus Ecclesia vtitur, quæ sunt hæc: *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimißis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.* statimq; dicat: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, qua fungor, absoluo te ab omnibus peccatis tuis In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Sed aduertat, q

dicere

dicere nequaquam debet, vt aliqui dicunt: Ego te absoluo à peccatis tuis, de qbus habes contritionem: nam aliquando absoluere pœnitentem necesse est, quamuis solam habeat attritionem. Neque dicendum erit: Ego te absoluo à peccatis, quorum memoriã habes: quoniam cùm impêditur absolutio, absoluitur ab omnibus peccatis, quamuis aliquorũ non reminiscitur, cùm mortale peccatũ non condonetur, nisi omnia remittantur. Neque dicat: Ego te absoluo à peccatis, quæ mihi cõfessus es: nam aliquando pœnitentem absoluere opus erit ab aliquibus peccatis, quæ ille nequaquam confessus est, veluti quando circunstantiam tacere necesse fuerit, vt persona aliqua tertia non detegatur.

Præterea notandum est, quòd cùm auctoritatis gratia dicitur: *Nos te absoluimus*, pro: *Ego te absoluo*, aut Ego absoluo vos, Sacramentum verum est; minister autem peccat, cùm Ecclesiæ vsum non seruet, ac mutet verba. Oportet etiam vt aduertatur, quòd huiusmodi absolutio aliquando sub conditione solet impêdi.

Pro huius intelligentia notandũ est, quòd conditiones istæ aut sunt de præterito, aut de præsenti, aut de futuro. Absoluere sub conditione de præterito licet, vt si sacerdos diceret: Ego te absoluo, si non es absolutus; aut si es absolutus, ego te non absoluo.

Huiusmodi forma vti solent sacerdotes, cùm non recordantur, an absolutionem impenderint. Absoluere conditione de præsenti, ait Caietanus non licere, veluti si diceret

Con-

Confessarius: Ego te absoluo, si habes dolorem, aut propositum emendandi. Nam absolutio cum huiusmodi conditionibus turbatio foret, atque afflictio conscientiæ pœnitentis, vnde absque conscientiæ pace, ac tranquillitate ille sic reuerteretur, vt venit. At casibus istis exceptis, qui à Caietano ponuntur, licitum est absoluere sub conditione de præsenti, vt sub duobus exemplis videbitur, quæ non ignorare nimis refert.

Primò, dubitat Confessarius, an puer, qui confitetur, vsum habeat rationis, vel ne, vtrū liceat dicere: Ego te absoluo, si vsum habes rationis.

Secundò, quidam tam bonus ac timens Deum confitetur, quòd vix dignoscitur, an ille peccauerit, an liceat eum absoluere hoc modo: Ego te absoluo, si hæc, quæ confiteris, peccata sunt, potestq; hanc conditionem interius, atque exterius dicere, vt ei videbitur, sed melius est dicere interius, vt eum non audiat pœnitens.

Dico licitum esse, istis vti conditionibus: quia in hoc non excruciatur, neq; conturbatur conscientia pœnitentis, imò contrarium sequeretur, si impensa non esset absolutio.

Absoluere conditione de futuro, semper illicitum fuit, veluti si diceretur: Ego te absoluo, si restitues, hoc nullatenus fieri potest. Primùm, cùm sacerdos Sacramenti effectū suspendere nequaquā possit: deinde verò, cùm obligetur pœnitentem absoluere iuxta propositū, quod ipse habet, quod tūc adesse vide-

tur, cùm accusator, ac testis sit suæ volũtatis.

Tenetur etiã hac de causa absolutionẽ impendere: nam quemadmodũ ad sanctissimum altaris Sacramentum adorandũ moralis satis est certitudo, quæ sufficiens sit; ita etiam ad pœnitentem absoluendum sine conditione de futuro sufficit moralis certitudo, quam exhibet pœnitens propositi, ac voluntatis suæ.

Postmodum notandum est circa absolutionis renouationem: nam quæritur, an licitũ sit iterum renouare absolutionis formam super eadem peccata.

Respondetur quòd sic, cùm peccata sint remota materia: & hoc intelligitur, cùm absolutionis forma in distinctis datur cõfessionibus: nam tũc propinqua materia, nempe confessio, distincta est. At si in eadem confessiõne ab eisdem peccatis sæpius absolueret, mortiferè peccaret, atque committeret sacrilegium: veluti in Baptismo quàm plurimi baptizari in eadem aqua possunt, cùm aqua sit remota materia, propinqua verò sit ablutio: sicqúe si eadem ablutio iterũ daretur, Baptismi forma sacrilegium esset.

Ex hoc colligitur, quòd bene quis poterit sua peccata sæpius confiteri, & eadem peccata, quia materia sunt remota.

Circa modum pronuntiandæ absolutionis formã, aduertat nõ oportere vocem mutare, nec nimis os aperire, nec particularia quædam facere, quæ nonnulli faciunt.

Circa excommunicationes notandum est, non esse determinatam formam absoluendi, sed

ſed poteſt rectè dicere Confeſſarius: *Ego te abſoluo à vinculo excommunicationis*, aut: Ego te libero, &c. Ego te benedico.

Poteſt etiam interiori actu abſoluere, dum pœnitens hæc percipere poſſet, vnde dignoſcat ille, quòd nollet Confeſſarius, vt excommunicatus remaneret, imò vt Eccleſiæ ſuffragijs deinceps frueretur.

Etſi verum ſit, omnes Eccleſiaſticas cenſuras non habere determinatam formam, nihilominus ſeruanda eſt forma, atque ritus ab Eccleſia ordinatus. Sed ad hoc dignoſcendum, notandum eſt quatuor eſſe neceſſaria ad abſoluendum ab excommunicatione.

Primum eſt iuramentũ, quod pœnitens præſtaturus eſt obediẽdi Eccleſiæ, atque ſuorũ Prælatorũ præceptis, ac nũquam amplius cõmittendi peccata, ob quę excõmunicatus ille erat.

In alijs caſibus haud neceſſarium eſt iuramentum.

Secundum ſatisfactio, quæ facienda eſt priuſquam abſoluatur, & circa hoc tria ſunt adnotanda.

Primum eſt, aut abſoluens id faciat ordinaria poteſtate, aut priuilegio. Si ex poteſtate ordinaria, valida eſt abſolutio, quamuis parti non ſatisfiat, ſed mortiferè peccat.

Quemadmodũ, ſi Epiſcopus excommunicauit Petrum, quia Ioannis pecuniam quandam furatus eſt, poſtea verò, cùm nõdum ille parti ſatisfecerit, abſolueret eum, valet abſolutio: nam veluti excommunicationem tulit, ita eam auferre poteſt; ſed iniuriam illi, ac de-

trimentum infert, à quo pecunia surrepta fuit, & peccat mortaliter.

At qui absolueret ex priuilegio, necesse est, vt quicquid in priuilegio concedatur, cōsideret, illudq; obseruet. Si in eo diceretur, quòd absoluere à quacunq; excōmunicatione possit satisfacta parte, non potest absoluere, si prius pœnitens non satisfecerit: siq; secus fecerit, nō tenet absolutio. Sed hîc animaduertere opus est, quòd si pœnitens veram, ac sufficientē obtulerit satisfactionē ei, qui affectus fuit iniuria, bene poterit absolui, quamuis ille satisfactionem non acceptauerit, cùm ipse ex parte sua egerit, quod debebat, atque paratus extiterit parti satisfacere, si pars illa voluisset: at si ficta, ac solùm verbis satisfactio esset, vt ordinariè contingere solet, nō est ille absoluendus. Ita considerandum est, quòd si quis, cùm sit excommunicatus, absolutionē virtute Bullæ, aut Iubilæi èxposceret, asserens se satisfacere nequaquam posse, sed paratum esse cùm poterit, tali casu inter Doctores dubitatur, an iste possit absolui. Pater Magister Sotus sentit q; non, cùm Bulla dicat vt absoluatur, si parti prius satisfecerit: hic non satisfecit, ergo non est absoluendus. Sed quamuis huiusmodi opinio nimis probabilis esse videatur, probatur etiam quòd potest absolui, cùm Bulla intelligenda sit, vt satisfaciat parti, dum satisfacere potest. Hæc opinio mitis est, & pia, atque probabilis, & ideo exequenda.

Tertium, quod ad absoluendū excommunicatum à maiori excōmunicatione necessariū, opor-

oportet, vt seruetur modus, & forma statuta, & ordinata ab Ecclesia, quæ huiusmodi est. Primùm dicat Confessarius vnum ex septem Psalmis pœnitentialibus, *Miserere*, aut alium. Quo finito, dicat: *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson,* cum versibus istis: *Saluum fac seruum tuum Domine.* Respond. *Deus meus sperantem in te.* Vers. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* Resp. *A facie inimici.* Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo.* Resp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Vers. *Domine exaudi orationē meam.* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.* Oremus: *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulū tuum, quem excommunicationis cathena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat:* statimq; dixerit: *Ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quā incurristi,* siqúe sunt multæ, *toties quoties incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni, & vnitati fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

Dum dicitur Psalmus, percutiēdus est pœnitens super humeris quadā virga disciplinæ, aut cingulo, sed hoc nō vtitur in mulieribus, nec etiam cum hominibus, cùm in loco publico confitentur.

Quartum aduertendū est, quòd in aliquo peculiari casu, cùm excommunicatus ad cōfessionem accesserit, si postquam ei dictum fuit, vt damnum satisfaciat parti, dixerit se modū satisfaciendi non habere, dicat Confessarius vt cautionem securam præstet soluendi infra certum tempus, siqúe id efficere non potest,

iuret, & sic eum absoluat, secus verò minimè.

Hoc intelligitur in aliquo particulari casu, cùm qui confitetur excommunicatus est, atque publicus vsurarius, vt dictum est superius in materia de vsuris.

At animaduertere debet, quòd cùm quis aliquem absoluit in articulo mortis à censuris excommunicationis, quæ erant superiori reseruatæ, tenetur ei dicere vt se Prælato repræsentet, cùm bene valuerit, non quia ab eo absoluatur, cùm absolutus sit, sed vt seipsum Prælati præceptis exhibeat.

Sed hoc intelligitur, si absoluitur ille in mortis articulo: nam si absolueretur ratione alicuius priuilegij aut Bullæ dicentis, vt semel in vita, ratione alicuius, ac semel in morte possit à qualibet censura absolui, nõ oportet vt se pręsentet Prælato, cùm incolumis euaserit, cùm hoc à Bulla non exprimatur.

Cùm dixerimus quicquid oporteat obseruari circa absolutionem ab excommunicationibus, necesse est non ignorari, quisnam ab eis possit absoluere. Dicam igitur quemlibet sacerdotem, quamuis non expositum, posse in articulo mortis absoluere ab omnibus præassertis, dum quicquid tractatum est, obseruauerit.

Si autem mortis articulus non adesset, considerandа est priuilegij auctoritas, atque excommunicantis, ac iuxta illam se gerere poterit. Velut si Episcopus diceret, quòd quilibet sacerdos absoluat, potest eum quilibet sacerdos absoluere.

At si

At si diceret, quòd sacerdos sit expositus, nõ potest absoluere, si expositus ille non fuerit. Possumus etiam absoluere mortuos, tum vt sepeliatur corpus, tum etiam vt viui pro mortuis preces effundant.

Circa modum in absolutione seruandum, prius oportet absoluere ab excommunicatione, quàm à peccatis, cùm excommunicatus prohibeatur Sacramẽta suscipere: ideoq; mortiferè peccaret tam pœnitens, quàm Confessarius, si primùm à peccatis absolueret, postea verò ab excommunicatione.

Si autem absolueret, absolutio atque confessio nequaquam esset valida in quibusdam casibus, vt in materia excommunicationis declaratum est.

Secundò, si pro certo scit pœnitentem esse excommunicatum, non debet eum sub conditione absoluere, dicens: Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, sed hoc modo: *Ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quod incurristi.*

At si pro comperto nõ habet, an sit excommunicatus, semper dicere debet, *si teneris aliquo vinculo, &c.*

Absolutio ordinaria ab irregularitate hęc est: *Dispenso tecum super irregularitate, si quam incurristi*: si autem certa erit, dicetur: *quam incurristi, & habilito te ad actus legitimos in nomine Patris, &c.* si verò in multas incurrerit irregularitates, dicat: *Dispenso tecum super irregularitatibus, quas incurristi.*

Sed quoniam diximus censuras non habe-

re determinatas formas, cùm quis absoluerit ab aliqua irregularitate vigore Bullæ, aut Iubilæi, ꝓbabilem sequens opinioné, quòd per eam potest ab irregularitate absoluere, verbis vti debet, quæ exprimuntur in Bulla, nempe vt possit ab omnibus censuris absoluere, & sic poterit ob id absoluere ab irregularitate, tantùm propter delictũ contracta, sic dicédo: *Ego te absoluo ab irregularitate, quam incurristi.*

Præterea notandũ est, quòd si quis excommunicatus erat pro centum argéteis nummis, & eos soluit, non ideo erit absolutus, ac liber ab excommunicatione, sed oportet, vt absoluatur: & circa hoc aduertendum est, nam error committitur.

Hoc præsupposito, absolutionis forma pro breuibus confessionibus hæc est:

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, qua fungor, absoluo te à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen.

Sed cùm de peccatis mortalibus esset cõfessio, si excommunicatus fuerit ille, opus est prius dicere: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius absoluo te à vinculo, vel à vinculis excommunicationis quæ incurristi. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen.* Item: *Eadem auctoritate absoluo te à peccatis tuis In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen.*

At cùm certus nõ est, an sit excõmunicatus, dicere debet: *Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, à quo, vel à quibus ego te possum absoluere: Ego absoluo te, & restituo*

stituo te Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Postmodum verò à peccatis absoluere, vt superius dictum fuit, nec opus est dicere: *Paßio Domini N. I. Christi, &c.* vt dicunt aliqui clerici. Sed quòd per supplicationis modum asseuerant applicare, vt supra fuit assertum: nam applicatum virtutem habet, ac effectum, ob idem opus, quod aiunt Theologi, ex opere operato, quod non tenet per modum supplicationis.

Notandum est etiam, quòd cùm quis in articulo mortis aliquẽ absoluit, ac vigore Bullæ, aut Iubilæi Papa concedit licentiam applicandi indulgentias à Papa concessas, cùm ipse nullam applicauerit, sed tribuit illi applicandi facultatem, in hunc modum dicat absoluendo eum à peccatis; *Item auctoritate Summi Pontificis concedo tibi indulgentiam, & remißionem omnium peccatorum tuorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: siquè ex hac infirmitate incolumis euaseris, hanc eandem seruo auctoritatem in hora mortis.* Atque hoc nimis aduertatur, vt infirmus tanto non priuetur bono ex ignorantia Confessarij.

Circa absolutionis modum animaduertẽdum erit, an excómmunicatio, in quam inciderit pœnitens, sit à Canone, aut ab aliquo Iudice. Si erit à Canone, qui auctoritatem habet, vt dictum est, potest eum absoluere: sed si ab aliquo Iudice lata fuit, ordinariè remittendus est ad suum Iudicem, vt ab eo absoluatur; sin minus, vt concedatur ei licentia, vt ab

alio possit absolui. At virtute Bullæ, aut Priuilegij poterit illum absoluere Confessarius, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro fori. Sed vt Iudex, qui excommunicat, afferre non possit calumniam, dum viderit eum interesse Missę, &c. Confessarius det ei schedulam manu sua subscriptam, ac nomine, qua eum absoluisse testetur virtute Bullæ, aut priuilegij, cùm parti satisfecerit. Siqúe Prælatus dixerit, eum non potuisse id facere, Respondeat se auctoritatem habuisse virtute Bullæ dicentis: Ab omni excommunicatione lata à iure, vel ab homine, satisfacta parte: sed hoc, quod dicitur, vt prius ille parti satisfaciat, non intelligitur iudex, aut eius officiales; sed ille, cui res debetur, ob quam lata fuit excommunicatio.

Quomodo Confessarius auxiliari debeat pœnitenti, vt huius Sacramenti fructus consequatur.

Cap. 13.



FRVCTVS huius Sacramẽti sunt tres:

Primus, reconciliatio, ac amicitia cum Deo: hęc ex dolore proficiscitur, atque contritione peccatorum, quam concipit homo, cùm offenderit Deum, sed magis peculiariter nascitur à sacramentali absolutione, quæ ob merita Redemptoris nostri Iesu Christi dignos nos gratia sua, atque amicitia efficit. Nam, etsi verum sit, quòd labores, ac dolores nostri nequaquã sufficere videntur, nec possunt ex se tantum adipisci bonum, nempe Dei amicitiam; nihil-

hilominus cùm valorem ex ſanguine Chriſti, ac eius meritis ſuſceperint, ſufficientes ſunt ad tam ſublimem effectum conſequendum.

Quamobrem Paulus Apoſtolus ait: *Glorificauit nos in dilecto Filio ſuo.* Et quemadmodum fumus extinctæ candelæ ignis non eſt, ſed fumus, ſiqúe altera candela accenſa admouetur, fumus ille in ignem conuertitur: ſic etiam labores noſtri ex ſe fumus ſunt, paruiq; valoris, ſed in ignem vertuntur, cùm Chriſti laboribus erunt adiuncti.

Secundus effectus, ſeu fructus, eſt firmum pœnitentis propoſitum nunquam amplius Deum offendendi, dum vixerit.

Ad hunc exequendum effectum, quatuor ſunt media conuenientia.

Primum, vt malum agnoſcat, quòd animæ infert peccatum, ac damna, quæ ſecum affert, vt ſupra tactum fuit.

Secundum euitare propinquas occaſiones peccati, vt prauas ſocietates, periculoſas conuerſationes, ac hominum viſitationes atque mulierum, obſcœnos, ac inhoneſtos libros legere, potiſſimum verò mala fugere commertia. Qua de re Dauid 1. Pſalmo canens viri probi, atque virtutibus præditi beatitudines, canit primùm fugam malarum conuerſationũ, quæ periculoſæ videntur.

Hoc primum conſuluit Sapiens primo Prouerbiorum, tanquam illud, quod multum referre conſpicitur, dicens: *Fili ſi te lactauerint peccatores*, ac blanditijs te ad conuerſandum cum eis adducere conati fuerint, *ne acquie-*

quiescas eis : pedes illorum ad mortem currunt.

Tertium, strenuè tentationibus obsistere in principio: nam tanquam scintilla est tentatio, quæ cùm semel quem apprehenderit, amplectitur eum: estq; tanquam venenum, quod nō suscipere in arbitrio hominis est, sed postquam ille biberit, necesse est ei oleum sumere, ac vomere; atque Dei gratia indiget, & auxilio. Ita & tentatio est: nam si nos ilicò ei obsisterimus, non obest; si verò illi cedimus, atq; ea delectamur, occidit animam, cùm ob eam mortale peccatum admittimus.

Quartum est, quotidie discutere conscientiam: quod duplici modo fieri potest, generali, ac peculiari. Generalis cuilibet Christiano potest persuaderi, nempe, vt priusquam cubitum vadat, aliquantulum meditetur, atque vbi se signo crucis munierit, primùm Deo gratias agat Redemptori Iesu Christo de collatis beneficijs, aut spiritualia illa sint, aut tēporalia, ex quibus aliqua & mente concipere, & verbis exprimere poterit, animi gratitudine illa dignoscendo.

Secundò, postquam id effecerit, ipse secum meditando consideret, quid contra Deum admiserit, opera conspiciendo, quæ fecit; familiaritates, quibus vsus est: siqúe aduerterit Deum offendisse, humilitatem ostendat, ac prostratus ante illius celsitudinem, ac maiestatem, vt illi ignoscatur, exposcat. At si Dei offensam non agnosceret, vel si agnoscit, talis non est, qualis olim extitisset, de hoc singulares ei gratias agat, à quo precibus expetat, vt ipsum

ipſum in ſua gratia ſeruare dignaretur, vtqúe auxilium illi præſtet, illumq́ bona muniat voluntate, vt nunquam amplius eius bonitatem offendat. Poſtremò Apoſtolorum Symbolum dicat, Dominicalem orationem, ac ſalutationem Angelicam, atque Beatiſſimæ Virgini ſe commendet, ac Angelo cuſtodi, ſicqúe completo examine ad dormiendum ire poterit.

Peculiaris examinandi modus tria habet tempora: Horam matutinam, horam nonam, atque nocturnam. Matutina hora oportet vt quis offerat ſe Deo in tota illa die, ac ſtatuere fortiter decertare gratia, ac auxilio Dei adiutus, tanquam ſtrenuus miles contra vitia, ac peccata, atque prauas cupiditates: pręcipuè verò ex illis, quæ ipſum magis infeſtarent, vnum eſt eligendum, contra quod pugnare ille deberet, atque Deum exorare, vt illi opem ferat, ſuam fragilitatem, ac puſillanimitatem agnoſcendo, poſtea dicat Pater noſter, Aue Maria.

Hora nona, excogitare ille debet quonam modo vſque ad horam illam ſe geſſerit contra vitia, ac peccata, atque an vitium illud vicerit, contra quod prælium ſumpſit: ſi cognouit ſe illud ſuperaſſe, ac rem melius ſe habere, Deo gratias agat, & iterum vſque ad noctem fortiter decertauerit. At ſi tentatione proſtratum ſe eſſe iam ſenſerit, ac peiorem ſe fuiſſe dignoſcit, quàm prius, humiliare ſe debet ante Dominum, ſuamq́ fragilitatem agnoſcere, ac impotentiam, atque per ſingulas horas aliquam

quam capiat disciplinam, aut aliquod aggrediatur ieiunium, panem & aquam sumendo, aut agat aliam pœnitentiam, & auxilium expetens, ad pugnam reuertatur; demumqúe dicat Pater noster, Aue Maria, Credo, istumq́ eundem ordinem noctu obseruet. Item ad hoc efficientem adiuuat, si veniale euitauerit peccatum. Itaque non solùm satagere debet, vt fugiat mortifera peccata, sed etiam venialia, vt edere magis lautè, otiosa proferre verba, otioseqúe viuere: nam cùm quis viuere cupit, non solùm mortem abhorret, sed etiã febrim, quę disponit ad mortem.

Peccata venialia, quamuis animam non occidant, nec gratiam auferant, neque charitatem, quæ ipsius animæ est vita, disponunt tamen ad mortalia, quæ illam auferunt, ac dirimunt, disponunt etiam peccata venialia hominem ad periculum admittendi mortifera peccata. Qui profectò proposuerit peccatum mortiferum non committere, sed venialia paruifacit, in periculo est prolabendi in mortalia. Quemadmodum etiam eques, qui equitans vult se strenuum, animosumq́ ostendere metam non egrediendo, quam sibi proposuit, sæpe se in periculo metam illam progrediendi cognouerit, nimiaq́ industria vti debet ne progrediatur: ita etiam est qui venialia peccata contemnit, ea paruifaciendo, atque in hoc liberam degit vitam, quamuis iudicio suo firmè statuerit ex linea non egredi venialium peccatorum.

Præterea multum proderit ad hoc exequen-

quendum carnem domare pœnitentijs, ieiunijs, atque alijs asperitatibus. Hoc nimis proficit, cùm caro fons sit, atque origo, ex qua cũcta peccata proficiscuntur, & ideo quò magis illa debilis erit, eò magis debiles eius erunt passiones: nam qui huiusmodi prauos affectus debiles reddere voluerit, opus est vt nimis nitatur, atque studeat macerare carnem, illamqúe domare, quæ illorum causa existit.

Non etiam ignorare debemus, nihil esse quòd magis virtutes infestare videtur, quàm caro ista, quæ suis cupiditatibus, desiderijs atque blanditijs impedit bona exercitia virtutum.

Proculdubio qui huiusmodi inimicum frænat, ex inimico amicum sibi iam reddit, atque virtuti deditum: ipse verò labore, disciplina, cilicio, & asperitate hilaris euadet, atque iucundus, iuxta id, quod Dauid asseuerat: *Sitiuit anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea*, nempe non solùm te anima mea peroptat, sed etiam multipliciter afflicta, atque castigata caro mea. Mortificans homo carnẽ suam non tantùm id efficit, sed spiritualis euadit, tanquam Angelus in pace viuendo, quæ quidem pax exuperat omnem sensum. Nimis etiam prodest refrænare linguam, magnaqúe eam tenere custodia, cùm nostri corporis pars illa sit, qua magis Deum offendimus, quum plurima, ac magna sint mala, quæ ob linguam eueniunt. Ex hac quippe murmuratio, iactantia, iuramenta, mendacia, falsa testimonia,

nia, ac adulationes oriuntur. Et ideo ait Sapiens: *In manibus linguæ mors & vita.*

Demum proderit, non inclinare cor immoderata cupiditate, & amore rebus istis visibilibus, vt sunt honores, bona, liberi, ac familiares, cùm huiusmodi amor magnus sit quidam motus, quasi ad omnia peccata, cogitationes, atque anxietates, quę sub cęlo sunt; nec est, quod animam magis perdat, ac damnet, quàm proprius amor, atque inordinatus rerum temporalium huius vitæ.

Considerationes ad hominem impellendum, vt firmiter statuat Deum amplius non offendere.

Cap. 14.

PRIMVM, quod agendum est, animaduertere debet homo, quòd ad res tam magnas, atque graues, quæqúe magni referre videntur, tempus exposcitur, animiqúe applicatio, ac aliqua meditatio: nam ad quodlibet negotium exequendum, quamuis paruum sit illud, idem requiritur, quanto magis in hoc, quod negotium ac opus supernaturale est? Facienda erit quàm magna deliberatio, vt opere compleatur quicquid asseritur, nec desistendum erit, cùm res sit adeò necessaria, tantiqúe ponderis, quæ ve tam bonos producat effectus, non solùm animæ, sed etiam corporis, cùm Deus vitam, atque incolumitatem corpori præbeat, ac tantùm ille hoc possit efficere.

Secundum est, vt totum tempus inter noctem, & diem ad hunc effectum addictum esse videa-

videatur. Manè è lecto surgens, ac media nocte quadam hora, quod ordinariè fiat, siqúe aliquo die id effici nequaquam poterit, alio fieri potest, ac satagat iterum complere illud, quod tunc omiserit.

Hac hora oportet genibus flexis inuigilare, aut astando, sedendo, iacendo, aut modo alio iuxta corporis sui dispositionem. Ac aduertendum est, quòd si dum genibus flexis meditatur, lassus euaserit, non sic perseueret, sed permutare debet modum meditandi, vt melius illi videbitur, aut sedens, vel surgens, aut aliquo modo iacens. Vt maiori cum attentione id possit efficere, in illa hora, non ex suo proprio intentu vocalem faciat orationem, sed multa meditetur attentione, minus in ea immorando, vt in re, quam corde suo retinere, atque intellectu conspicere nimis opus sit. Hoc præsupposito, prima consideratio sit hæc, quę sequitur.

Prima Consideratio.

BReuitas, incertitudo, deceptio, ac fragilitas huius vitæ, atque, vt verum est, vt nos in ea nequaquam confidemus, vtqúe nos parati simus, cùm illa deficere inceperit, ac meditari nos oportere, hanc vitam nobis à Deo exhibitam non esse, nisi ad conseruandam animam, illamqúe saluandam, non autem vt illam alijs in rebus insumere debeamus: nam causa ista excepta, nempe colendi, atque amore Deum prosequendi, istumq́; finem attingēdi, quicquid aliud excogitari poterit, malum est, nostrumq́; detrimentum.

Secunda Conſideratio.

SEcundò cōſiderare nimis ſenſatè debemus, omniqúe ſtudio, ac diligentia, nos in grauiſſima neceſſitate certaturos cum inimicis noſtris, atque nudos eſſe, cùm valere nec etiam poterunt noſtri corporis vires, quodve ex ærumnis illis nos eripere nil aliud poterit, niſi amor Dei, atque eius obſequium, ac ſua legis obſeruatio, illeqúe magis dilectus, ac periucundus erit, qui in hoc magis profecerit.

Tertia Conſideratio.

TErtiò præmeditari nullum eſſe tempus, locum, ac opus, quod nos peragimus, in quo non adſit dæmon, ob noſtra facinora, incuſans nos ante Deum ob pœnam, quam meremur; Dei autem iuſtitiam adeò rectam eſſe, quòd meritò ſeruanda eſt, quodqúe ſi pœnitentiam non egerimus, & mente, & corpore, Dei Maieſtas multa ſeueritate nos caſtigauerit, cauſam verò, ob quam familiaribus noſtris calamitates euenerunt, nullam eſſe, niſi offenſam Dei, cumq; illi Deum nec quæſierint, nec orauerint, neque ſuā legem ſeruauerint: ſiqúe nos huiuſmodi euadere mala voluerimus, neceſſe eſt hoc adhibere remedium, & non aliud.

Quarta Conſideratio.

QVartò, quòd cùm nos tantum inſumamus opus, tantamqúe induſtriam adhibeamus circa ea, quæ in alendis corporibus pertinent, nec vnquam inueſtigare deſiſtimus, quonammodo illis conſulere deberemus,

mus, magnopere oportet nos elaborare, ac inuigilare pro animæ incolumitate, & salute, cùm illa suapte natura nequaquam terrena sit, nec Angelica, sed diuina, ac templum Dei, & sponsa, pro qua nobis & corpus, & sanitas exhibetur. Quapropter mirum in modum opus est, vt peroptemus ea, quæ ad eius salutem spectare videntur.

Quinta Consideratio.

QVintò considerandum est, atque identidem contuendum, quotnam mala à peccato proficiscantur. Quòd si nos quempiam videremus, qui aliquod ex tantis damnis nobis intulisset, ex quo oritur in nobis peccatum, nequaquam eum aspicere possemus, nec eius nomen audire. Peccatum separat nos à Deo, quo melior ac maior amicus nobis non est, atque bonis omnibus, quę in nostra vita gesserimus, priuat: efficit nos inimicos Angeli nostri custodis, ac omnium aliorum cælestium spirituum. In manus dęmonis nos constituit, turbat adeo nos, ac inhabiles reddit, quòd si Dei misericordia, ac pietas nobis non opitularetur, nunquam ex eius manibus possemus euadere. Disponit, vt nos peiores, & miserabiliores euadamus omnibus, qui sub cælo sunt, vtqúe rationis vsum amittamus, ac obnoxij simus cunctis miserijs, ac vt omnes creaturę nos infestent, & persequantur.

Sexta Consideratio.

SExtò contueri, quàm faciliter peccatum admittimus, cùm adeò magnum detrimen-

tum sit nostrum, quod precibus, ac orationibus nos intenti, illud nos euitare poterimus, simul & vincere, quodve illi, qui obsecrationibus, atque gemitibus ad Deum non recurrunt, nonnullis peccatis irretiti videntur, ac in illa sępe collabuntur.

Septima Consideratio.

SEptimò, nimis attentè cogitare, quot serui Dei fuerint, qui summopere, summoq́; zelo legem eius custodierunt, honoremq́ue seruârunt, qui quasi, vt moraliter loquar, Deũ coegerũt vt preces, quas pro semetipsis, ac pro alijs effunderent, clementer exaudiret, adeoq́ue & gratiam, & fauorem à Deo consequuti fuêre, effeceruntq́ue, vt tanta Dei Maiestas mitem se ostenderet peccatoribus, qui illius bonitatem iniuria iam affecerant. Siq́; nos voluerimus, in omni statu idem consequi possemus, vt verè possibile est.

E contra scelestissimi fuerunt homines, qui malè vixerunt, maleq́ue ex hac vita decesserunt, qui seipsos damnauerunt, ac alios, cùm illi eorum sequuti vestigia fuerint, vnde in multas ærumnas, calamitatesq́ue inciderunt.

Octaua Consideratio.

OCtauò, excogitandum est, quot ab amore Dei effectus proficiscantur: nam filij Dei efficimur, nec non amor iste efficit, vt Deus illius satagat, qui gemmam hanc tenet, ac possidet: custos Angelus illi inseruire desiderat, illumq́; amplecti; omnia illi cooperantur in bonum, denique ærumnæ, ac illorum opera, or-

ra ordinantur ad illius emolumentum, atque profectum, qui Deum amat, efficiuntq́ue, vt nos tam corporalia, quàm spiritualia mala vitemus.

Nona Consideratio.

NOnò, meditandum sibi proponat locum aliquem dolorosum passionis Christi, & quemadmodum ob amorem illum eximium, quo nos prosequutus est, se tot passionibus obtulerit, atque doloribus, ac vt nos ab illis liberi essemus, & ab inferni pœnis, tot flagella, totq́ue mala perpeti voluit in suo delicato corpore. Vnusquisque hoc meditari deberet: velut si pro illo tantùm pati voluisset tanta Maiestas.

Decima Consideratio.

DEcimò, excogitandum est, quàm magnifaciat Deus, quantumve quęrat salutem nostram, cùm in cęlo ac in inferno etiam ex dæmonum operibus illis inuitis semper nobis opitulari satagat, vt nos salutem cõsequamur æternam; atque elementa, & quæ inspicimus, audimus, ac meditamur, opem nobis ferunt, vt meliores simus, ac fideles Deo, vtq́ue ei nos commendemus, quod certissimum est, nec vnquam dubitandum. At quoniam Deus sic inuigilat, tantumve cogitat de nobis, deq́ue nostris bonis, decet profectò, vt nos aliquid agamus, nec quod ex parte nostra agere possumus, relinquamus, vt à Deo sit agendum, & hoc procurandum, atque intelligendum est assidua oratione.

Vndecima Consideratio.

VNdecimò, considerandum est, totum corpus grauissimis ignibus esse adurendum, ac maiori, atque exquisitiori cruciatu, quã imaginari potuerit, quodve non tantùm ille, verùm etiam eius familiares iam dicti patiẽtur supplicia; nullumque medium esse, vt ab illis liberetur, nisi Deo se nunc commendare, priusquam in cruciatibus illis addictus sit, vereque, ac ardenter illum diligere: nam sic æternas pœnas euadere poterit.

Præmeditari etiam debet alio in loco esse, vbi & anima, & corpus maxima afficietur iucunditate, quę tam magna erit, quam considerare nemo poterit, quod manere, ac perseuerare in illo oritur ex Dei amore, quo illic manentes eum prosequuti fuêre, dum Deo se iugiter commendabant.

Adiuuant etiam ad hoc, hæc quæ sequuntur.

NOctu, cùm cubitum ierit, aliam insumere debet horam in eisdem rebus excogitandis, non modica attentione, vtque in nocte ad easdem matutinas meditationes reuertatur, nimis prodesse sentio, & quamuis nonnulla alia perutilia sint meditanda, magis tamen profecerit, maioremqúe producet effectum, si eisdem meditationibus vteretur, saltem donec prætereat annus, se ad alias non diuertendo.

Nimium quoque refert, vt vigesima prima hora nos satagamus cor nostrum, mentemque colligere aliquantum vt meditemur, quando diuina illa Maiestas in cruce expirauit pro nobis, quod eadem hora fuit, cui referre ingentes

gentes

gentes gratias deberemus, pro tã magno præstito nobis beneficio: tunc intuendum nobis eſt, eius pretioſo ſanguine nos eſſe redemptos, ablatamqúe fuiſſe à nobis iram Dei, in eo valorem noſtrum conſiſtere cogitemus, ac animarum noſtrarum puritatem, quam applicare debemus confidenter, atque tam pij, clementisqúe Domini amorem contuentes.

Exuentes nos veſtibus, lectumq́ꝫ ingredientes, commiſſa excogitare debemus peccata illius diei, atque occaſiones, quę nobis fuerunt, ea committendi, ex illis veniam à Deo poſtulantes, ac vero propoſito emendationem proponere, illamq́ꝫ obſeruandam.

In ſermone non modica eſt diligentia neceſſaria, ne murmur de aliquo oriatur quocunque modo, vt alter de nobis non murmuret, vtq́ꝫ pace, atque mentis tranquillitate fruamur.

Infra diem, in ſingulas horas, loquens interius cum Deo, dicere poterit: *Auxiliare Domine. Miſerere mei*: præcipuè verò, cùm quis ſaluti ſuæ conſulere cœperit.

Vltimum hoc quærendum eſt, quòd ſaltem quaque octaua die quis confiteatur, vt nimis proficiat, nullumq́ꝫ ſentiat laborem, huiuſmodi actum frequentando, nec multum temporis in confeſſione conſumpſerit, ſuamqúe conſcientiam puram, mundamq́ꝫ dignoſcat. Eodem die, quo confitetur, communicauerit, prius Domini Saluatoris paſſionem præmeditando, amorem, quo nos moriendo

prosequutus est, dolorem acerbissimũ, quem passus est, perseuerantiam, qua dilexit nos vsque ad mortem, diuitias maximas, quas nobis emit moriendo: siqúe nos bene dispositi ad Sacramentum accesserimus, thesaurum totum iucunditatum, atque cũcta bona mũdi nostris visceribus inseremus, cũctaq; bona cælestia. Cùm manè oramus, si quod vitiũ in nos præualere cognoscimus, humiliter à Domino obsecrando petamus, vt auferat illud à nobis.

Præterea, cùm occidente sole, dieq; inclinante aliqua nos apprehenderet tentatio, statim interius ad Dominum confugiamus, eum supplicantes, vt suum impendat auxilium. At si aliquo die ab hoc defecerimus, non ideo ad huiusmodi formam viuendi regredi desinamus.

Quomodo Confessarius tertium huius Sacramenti effectum debeat adiuuare, nempe augmentum virtutis, & gratiæ.

ALius effectus istius Sacramenti est augmẽtum gratiæ, ac virtutum. Ad hoc adiuuat Confessarius adhortando, atque edocendo pœnitentem, vt semper proficiat in virtute, quod agere magnanimo corde, & animo deliberato proponat. Ad hoc efficiendum valent monitiones in primo capite positæ, atque communia ista, quæ sequuntur.

Primò, eum adhortari, vt gratia, & virtutibus bene vtatur, cordis puritatem custodiẽdo, bonis operibus inuigilando, maximè charitati Dei, ac proximi operibus inhærendo, bene-

beneficia ſibi à Deo præſtita memoria complectendo.

Secundò, illũ adhortari ad inſatiabile quoddam deſiderium virtutum, ac incedendi in omni bonitate, & probitate, quibus ſe præditũ eſſe deſideret.

Tertiò, adhortari illum oportet, vt ſibi ipſi nequaquã confidat, ſed confidere audeat virtuti Chriſti Redemptoris noſtri, à quo auxilium poſtulet, clamore quodã interiori, cùm non ignoret nos in Chriſto, & per Chriſtum omnia bona poſſidere.

Quartò, vt indiligens non ſit, nec tepidus in virtutibus amplectendis, ſed ſemper in illis progrediẽdo, feruens, atque diligẽs videatur.

Quintò, vt gratiæ inſtrumenta exercere non pigeat, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, vt ſunt meditationes, lectiones, orationes, frequentare Sacramenta, confeſſionem, atque communionem.

Sextò, ordinariè Chriſtum Saluatorem meditando, illumq́ tanquam imaginem inſpiciendo, ad cuius normam debet vitam ſuã componere, cum eo familiaritatem habendo, non ſecus ac ille amicus, ac frater, ac pater eſſet, atque animæ ſuæ pax, quies, magnaqúe tranquillitas.

Septimò, ſæpius quàm nos poſſumus, meditari fontẽ illum, à quo omnes gratiæ manant, cunctaq́ bona, nempe Dei bonitatem, diuitias pietatis, atque miſericordiæ ſuæ, amoremq́ ſuum maximum, quo nos ille proſequitur.

Octauò, vt malas euitet ſocietates.

Nonò, vt os suum custodiat.

Decimò, vt sæpe orationibus inuigilet.

Oportet illum etiã admonere, qui se in excellentioribus operibus profecisse dignosceret, id est, in operibus consilij, vt sunt castitas, religio, paupertas spiritus, vt potissimum in eo sit charitas, & amor, iuxta id, quod Apostolus Paulus ait: Aliud vobis iter ostendo, quod excellentius est, nempe charitatis. & alibi sic asseuerat: Super omnia charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. Qui non diligit, nihil est, nihil valet, mortuus est.

Quædam Regulæ bene viuendi ex sacris Scripturis excerptæ, atque ad cõmunia loca ordinatæ, quas Confessarius non ignorare debet, vt illas cuicunque statui applicare sciat, Confeßione peracta.

PRimo loco ponendæ sunt admonitiones illæ, quæ commendari debent Episcopis, Parochis, Sacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis, cunctisq; clericis. At huiusmodi regulæ positæ sunt, ac diligenter ordinatæ, cùm nos edocuimus, quonammodo se gerere debeat Confessarius cum personis præassertis.

Quænam subditis commendari debeant erga suos Prælatos, Curatos, atque Concionatores.

PRIMVM est, vt pro eis rogent in spiritu, & veritate, vt concedat illis Deus verbum viuum, fortitudinem, ac robur prædicãdi Christi Dei Euangelium.

Ita nos admonet Paulus in epist. ad Ephes. 6. ac in illa ad Coloss. 4. atque etiam in Actibus Apostolor. 12.

Secundò admonendi sunt illi, vt Prælatis suis obediāt, cùm sic à Christo Iesu præcipiatur in Euangelio Diui Lucæ dicente: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*: ac si diceret, qui obedierit vobis, mihi quoque obediet; qui vobis non obedierit, nec mihi obedire videbitur.

Tertiò, quamuis Prælati non tam bonis moribus præditi videantur, non ideo contemnēdi: dignitas est, atq; officium, imò parere tenemur, cùm nobis prædicant veritatem. Ad confirmādum hoc verba illa Christi sunt colligenda, nempe cùm dicit: *Quodcunque dixerint vobis, seruate, & facite; secundùm autem opera eorum nolite facere.* Itaq; non debemus nos contemnere Dei ministros, sed eorum deplorare miseriam, cùm indignos se tanta dignitate ostendant, ac contra se prouocent iram Dei.

Quartò admonendi sunt, quòd Dei verbum audientes, memoria illud complectantur, & corde retineant, ac iuxta auditum verbū viuere satagant, fructumq; ex prædicatione suscipiant, vt inter eos non adnumerentur, de quibus scriptum est, quòd sæpe audiunt, sed nunquam veritatis scientiam attingunt.

Vltimò, quòd subditi nequaquam murmurare de suis Prælatis debeant, neque de illis malè loqui, imò eos debeant magnificare, reuereri, atque honorare, cùm vicem Dei illi gerant.

De quibus admonendi sunt Principes atq; superiores.

PRimò, vt cū timore, ac tremore Deo seruiant, quemadmodū Dauid Psal. 2. asseuerat,

Vtq; non contra suos fratres in superbiam elati dignoscantur, ac in nullo à Dei lege deficiant, sed illam præ oculis semper habeant, tanquam à sacerdotis manu eis exhibitam, vt timere Deum ediscant, atq; eius seruare præcepta. Ita præcepit Deus in Deut. cap. 13.

Rex, ac superior reminisci debet, omnem potestatem à Deo esse, atq; ab eius manu susceptam, & quicquid ordinatur à Deo, rectè ordinatũ esse. Ita ait Paulus in Epist. ad Rom. 13.

Reminiscatur etiam, hoc illis dictum esse: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.*

Principibus etiam, ac superioribus præcipitur, vt nemini iniuriam inferant, nec iniustè iudicent, nec personam pauperis attendãt, non honorem, nõ auctoritatem, diuitias, atq; prudentis potentiam velint inspicere, proximum iniustè iudicantes.

In Deuteronomio sic Deus quoq; præcipit: Aut ciuis ille sit, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiuscunq; personam, quia Dei iudicium est. Et in alio loco iudicem monet, vt personarũ non sit acceptator, cùm dicitur: Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, ac mutãt verba iustorum. Princeps, ac iudex debet pauperum, orphanorũ, & viduarũ onus suscipere, vt necessaria illis suppeditarentur. Et in Psal. 81. hoc præcipit Deus: Iudicate egeno & pupillo, humilem, & pauperem iustificate, eripite pauperem & egènum, de manu peccatoris liberate. & in eodem Psalmo dici-

tur,

tur, & in alio loco legitur: Quærite iudicium, & veritatẽ, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillum & orphanum, defendite viduam.

Quando igitur Cõfeſſarius à nobis edoctus ſpirituales filios habuerit, Regem, aut Principem, quod contingit rarò, oportet eum magnopere euitare, ac fugere adulationis vitiũ, vtq́ ipſe nunquam Regem tunc laudet, cùm præſens ille fuerit, cùm hoc nequaquam deceat Christi Dei miniſtrum, nec conuenit reprehendere illũ coram populo, nõ quia vana ex reprehenſione illa ſperetur correctio, ſed ne videatur ſeditionem, atque tumultum mouere, vel popularem quærere laudem.

Occaſionem quærat proponere ante illius oculos veras, ac reales virtutes, religionẽ, iuſtitiam, clemẽtiam, fortitudinẽ, atque temperantiam, vt tanquam pater ſubditos ſuos diligat: nam hoc dignum Rege opus eſt, Reipublicæ vtilitati, non autem ſuæ conſulere, ac inuigilare, ſubditos regere, qui Dei imaginem in terra repręſentat, auctoritate, pręmio, atque animaduerſione.

Dicere etiam non omittat, ad illum attinere ſuos ſubditos ad virtutes adhortari, atq; ad cæleſte Regnũ: ac magnã, eximiamq́ eſſe virtutem, ſeipſum in huiuſmodi potentia, atque maieſtate vincere & ſuperare, quam nimis neceſſariam Regi, ac Principibus eſſe viri ſapientes aſſeuerant.

De quibus admonendi ſunt ſubditi erga ſuos Prælatos, atque maiores.

Oportet,

OPortet, vt *primùm* considerent quidnam dicat Apostolus Paulus ad Roman. *Omnis anima superiorũ potestati subdita sit: nam qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem hoc facit, ipse sibi damnationem acquirit.*

Secundò admoneri illi debent, vt Regi, ac Principibus tributa soluant. Ita Paulus eodẽ capite ait: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Præterea ait Saluator noster in Euangelio: *Quod Cæsaris, Cæsari; quod Dei, Deo.* Et Apostolus Petrus ait: *Timete Deum, honorate Regem, subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; siue Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

Tertiò, vt commendent Deo superiores, velut diuus Paulus præcipit, scribẽs ad Timoth. 12. *Obsecro igitur primùm fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Domino.*

Quartò, vt parati sint ad omnia efficienda, quæ ab eorum superioribus præciperẽtur, vt mites, atque humiles sint, non litigiosi, non blasphemãtes. Ita Paulus ait scribens ad Tit. 3.

De quibus admonendi sunt viri erga coniuges.

PRIMVM, vt viri cum vxoribus habitent prudenter, vtq́ue illas honorẽt, atque existiment, vt Petrus Apost. 1. cap. 3. admonẽs dicit: Viri similiter cohabitent cum suis mulieri-

lieribus ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ æternæ, vt non impediantur eorum orationes.

Secundò tenentur illas diligere tanquam ſeipſos, ita ait Paulus ſcribens ad Epheſ. cap. 9. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et poſtmodum ſequitur, dicens: *Viri debent diligere vxores ſuas, vt corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam, ſic & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſic debet vir diligere vxorem ſuam; attendẽtes quòd ſunt duo in carne vna, & ideo quiſque vxorem ſuam diligere debet, non ſecus ac ſeipſum diligit.* In epiſt. ad Coloſſ. cap 3. ſic ait: *Viri diligite vxores veſtras, & nolite aſperi, ac amari eſſe ad illas.*

Quænam ſint, ad quæ debeant adhortari mulieres erga viros, atque domeſticos.

PRIMÒ, vt ſubditæ ſint, ac obedientes viris ſuis, vt qui Dei verbo non credunt, ob conuerſationem ſuarum vxorum ſalui fiant.

Ita nos admonet Apoſtolus Petrus. Paulus verò ad Epheſios ſcribẽs ſic ait: *Vxores ſubditæ ſint viris ſuis, ſicut domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: & ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus ſubditæ eſſe debent.*

Secundò, vt mulieres viros ſuos reuereantur, ac timeant, veluti Paulus eodem in loco dicit: *Mulier timeat virum ſuum.*

Tertiò, debent eas admonere, ne iuxta Apostoli dictum, se adornent, vaneq; se induant, cap.13. Non sit eis extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Sed qui absconditus est cordis homo in corruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subiectæ proprijs viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.

Apostolus Paulus scribens ad Timotheum 1.capitul.2. dicit: Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecũdia & sobrietate ornantes, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa; sed quòd decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

Quartò persuadendum eis est, ne nimiũ scire præsumant, cùm docere illæ vellent, iuxta id, quod Apostolus ait, scribens ad Timoth. ibid. *Mulier in silentio discat, cum omni subiectione: docere autem mulieri non permittas, neque dominari in virũ, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eua; & Adam non est seductus, mulier autem à serpente seducta in præuaricatione fuit.*

Demum edoceant illas, vt sint castæ, temperatæ, ac prudentes, domorum suarum curam habentes, velut Apostolus ait: *Mulieres sint pudicæ, non detrahentes, sobriæ, benignæ, subditæ viris suis, vt verbum Dei non vituperetur.*

De his, quæ edocendi sunt patres erga filios.

PRIMÒ edoceantur illi, vt asperi, atq; seueri nõ sint nimis erga suos filios, quos ad iram

non prouocent, quemadmodũ asseuerat Apostolus: *Vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correctione Domini.* & ad Colossenses cap. 3. scribẽdo ait: *Patres nolite ad indignationẽ prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.*

Secundò admoneat, vt filios suos diligãt, iuxta dictum Apostoli ad Tit. 3. *Admoneat mulieres, vt viros suos ament, ac filios suos.*

Quæ edoceri debeant filij erga patres.

PRIMÒ, vt patribus obediãt, eosq; venerentur: iuxta illud dictum Apost. Ephe. 9. *Filij obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est.*

Honorare patrem & matrẽ primũ mandatum est in promissione, cùm dicitur, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. & alibi Coloss 3. *Filioli obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est Domino.*

Quæ debeant edoceri serui, ac operarij erga suos dominos.

OMnes isti admonendi sunt, vt dominis suis subditi sint, iuxta id, quod Apostolus Petrus 1. cap. 2. asseuerat: *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis: hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitiam, patiens iniustè. Quæ enim est gratia, si peccatores, & colaphizati suffertis? sed si benefacientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Et Paulus Ephe. 5. sic ait: *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non*

ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus. scientes quoniam vnusquisq; quodcunque fecerit boni, hoc recipiet à Domino, siue seruus sit, siue liber. Et idem dicit, scribens ad Colossenses: *Serui obedite per omnia vestris dominis, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* & scribes ad Titum, sic ait: *Subditi estote dominis, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrina Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.*

Quæ agenda sint à dominis, patribus, ac Magistris erga suos subditos.

ADmonendi sunt isti, vt mites sint erga suos seruos, veluti Paulus, scribés ad Ephesios cap. 6. ait: *Vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quòd & illorum, & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud eum.*

Item, vt eis mercedes soluant, vt idem Apostolus ait: *Domini date vestris seruis quæ debetis, scientes vos in cœlis etiam Dominum habere.*

Qualiter sint milites admonendi.

ADmoneantur isti, ne calumnias machinentur, nec cuipiam damnum inferant, vt in Euangelio Lucæ legitur: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.*

De publicanis ac vectigalibus.

Debent

DEbent isti admoneri, vt nihil amplius, quàm quod illis constitutum est, faciant, nec dolis vtantur, aut fraudibus vt contrarium consequantur.

Quæ sint diuites edocendi.

PRimum edoceantur, ne superbire velint, neque in incertis istius vitæ diuitijs spem reponant: sed solum in Deo viuo, & vero, vt opera exerceant bona, vtque in bonis operibus diuites fiant, vt voluntariè ac faciliter eleemosynas largiantur, atque misericorditer operentur, vt deinceps thesaurizent in cælo, vt cælestem, æternamque vitam postea consequantur.

De quibus admonendi sint, qui ad degendam vitam habent necessaria.

PRimo, meditari magnum esse pietatis lucrum erga Deũ, tantum homini esse, quod ad eius vitam sustentandam sufficere videretur, quòd vel nihil in hunc mundum intulimus, nec decedentes aliquid auferemus. Præterea aliam admoneantur sententiam, quæ Pauli Apostoli est, cùm ille sic asseueret: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contẽti simus: Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem: radix verò omnium malorum est cupiditas, quam qui sequuntur, inserũt se doloribus multis.* Ita Paulus ait, scribẽs ad Timoth. 1. cap. 6. & alibi dicitur: *Paupertatem, & diuitias ne dederis mihi Domine, sed quæ sunt victui modò tribue necessaria.*

Quæ dicenda sunt mendicis, qui dum valēt sustinere laborem, otiosi, ac errabundi viuunt.

IN *sudore vultus tui vesceris pane tuo*, Genes. 3. *Qui furabatur, iam non furetur, magis autē laboret operando manibus suis, quod bonū est, vnde tribuat necessitatem patienti.* Ephes. 4. Ita Paulus in nonnullis locis asseuerat: Denuntiamus autē vobis fratres, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis: ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neq; gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec mãducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietē, nihil operantes, sed curiosè agentes: his autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt suum panem labore, atque silentio manducent.

De quibus admonendi sint senes.

SEnes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia, vt Paulus scribens ad Titum ait.

Quæ edoceri debeant iuuenes.

IVuenes adhortandi sunt ad sobrietatē, vtq; subditi sint, atq; obedientes maioribus, vt sint humiles, scientes Deum superbis resistere, humilibus autem gratiam conferre. Itaq; humili-

miliare se oportere sub potenti manu Dei, vt illos exaltet in tẽpore visitationis, sicut princeps Apostolorum ait prima sua Canonica.

Quæ sint dicenda vetulis.

ANus in habitu sancto incedant, non criminatrices, non multo vino seruientes, bene docentes, vt prudentiam doceant, vtqúe bene, recteqúe se gerant erga familiam.

Quænam sint dicenda viduis.

SI qua autem vidua filios, aut nepotes habet, primùm discat domum suã regere, & mutuam vicem reddere parentibus: nam hoc acceptum est coram Deo: quæ autem verè vidua est, atque desolata, speret in Deo, & instet obsecrationibus, & oratiõibus nocte & die. Nam quæ in delitijs est, viuens mortua est. Præcipiendum illis etiam erit, vt sic viuant, quòd in aliquo reprehẽdi nequaquam possint. Preterea Paulus 1. Timoth. 5. ait: Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia.

Quæ sint admonenda virgines.

QVi sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, & quomodo placeat Deo: mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore, & spiritu. Igitur si quę virgo nubit, benefacit: si autem nõ nupserit, melius facit. Sic Paulus asseuerat ad Corinth. scribens. Nec illa ignorare debet, quòd si virginitatem vouerit, aut castitatem, aut sit virgo, aut sit vidua, tenetur seruare votum: secus enim condemnaretur, tanquam illa, quæ

promissum Deo non seruauerit.

Admonitio generalis.

NOn reprehendat seuerè, atque asperè senem, sed illum obsecret tanquam patrē, iuuenes tanquā fratres, matronas veluti matres, iuuenes vt sorores in omni castitate; honoret viduas, quæ veræ viduæ sunt.

Ad has generales admonitiones rediguntur admonitiones illæ à nobis suprapositæ, cùm tractabamus quonam modo Confessarius debeat pœnitenti consulere, vt sit bonus.

Generales admonitiones pro mulieribus.

ADmonendæ sunt mulieres, vt sint modestæ in desiderijs suis, ne propriam sequantur sententiam, & cùm vehementes sint in eis, ad quæ applicantur, aut boni, aut mali, pietatem, ac charitatem sequi debent, vt ad deuotionem excitentur, ac naturali fragilitate, atque pietate cordis, lachrymarum donum, ac fletum excitent salutiferum.

Et quoniam illud, ob quod differre videntur viri à mulieribus, status est matrimonij, ac virginitatis, oportet eis rationibus efficacibus persuadere, longè nobiliorem esse virginitatem, digniorem q; vt illa cupiatur, cùm propinquior sit Angelicæ naturæ, ac per eam à quampluribus angustijs, ac perturbationibus homines liberentur.

At admoneat etiam virgines, vt coniugatas non spernant, periculumq; cōsiderent, in quo illæ sunt, cùm in altiori, ac sublimiori loco constituantur.

Aduertantq;, ne cadāt, atq; in hoc nimis ne-

uigilent, euitent otiũ omniũ vitiorum atque malorũ caput, orationibus semper incũbant, ac in bonis operibus tẽpus insumere debeant.

Doceat quoque mulieres, ornamentum, ac pompam illarum esse silentium, ac suarũ domorum curam, parta bona seruare, potissimũ verò esse honestatem, quæ mulierum principalis est virtus, cui contrarius est immoderatus corporis ornatus.

Studeat Confessarius prauum morem illũ à mulieribus tollere se fucãdi, vt vtitur hodie.

Verbis Tertulliani vtatur, quæ huiusmodi sunt: Qui tuã inspicit pulchritudinẽ, seipsum perdit, dum illam desiderat. cõsentitq; in corde suo prauo illi desiderio. Tu verò te fucans gladiũ teipsum efficis, quo debilis illius animam perimis, cùm faciem expolitam, atq; fucatam præbeas, vt intereant alij, vbi præceptũ est, Deum super omnia diligas, & proximum tuum sicut teipsum.

Naturalis pulchritudo reprehendi nequaquam potest, si qui tam turpibus medijs eam auget, culpa non vacat. Quare tibi displicet vultus quem ipse fecit?

Nonne intuemini vos in artifice, ac totius orbis terrarum creatore, & omnium facierũ defectum arguere, cùm emendare ac tegere figuram velitis, quam ipse fecit? dum aliquid additis, quasi ne defectus illius videantur?

Quonam modo Dei seruatis præcepta, si figuram, vultumq; vestrum nõ inspicitis? Quis ex vobis est, qui ex nigro capillo album potest efficere? vos autẽ cum Deo malitiosè con-

tenditis. Quærite simplicitatis pulchritudinem, honestatis honorem, verecundia oculos vestros illustrate, pro inauribus pendeāt in auribus vestris verba Dei, pro monili sit in collo vestro iugū Christi: subditæ estote vestris viris, & sic bene cōpositæ videbimini, ac pompis ornatæ.

Induite vos serico bonitatis, bysso sanctitatis, huiusmodi ornamētis vos adornate, amator vester Deus sit.

Persuadeat etiā eis Confessarius misericordiæ opera, infirmorum curam, vt peregrinos hospitio excipiant, sanctarum mulierum exempla illis ostendendo, velut illius Sunamitis, q̄ obtinuit à viro suo, vt sibi domi pro Helisęo cōstruerent hospitiū, vbi lectū, mensam, candelabrū posuit, & sellā, vt cùm illac Propheta transiret, illic suū haberet domicilium.

Exemplum quoque proponat illius viduæ, quę Heliam albergata est, cum q̄ aliud non haberet, vt Scriptura testatur, nisi parum farinę, & parum olei, ex vtroq; partem illi dedit, nō absque magno fœnore gratiarum.

At nihil tam efficax est ad excitandas, ac adhortādas mulieres ad cunctarū virtutū exercitiū, q̄ exemplum ipsius Beatissimę Virginis Matris Dei Mariæ, quæ cælorū Regina, ac totius orbis terræ Domina est dulcissima, & aduocata nostra. Ideo non abs re poterit Confessarius illa extrahere verba D. Ambrosij de libro Virginum, quorum compendiū hoc est:

Exemplum quippe fuit virginitas, vitaque B. Mariæ, non solùm à mulieribus, sed etiam à

toto humano genere inspiciendum: sit ergo omnibus illa, tamquam in imagine descripta, de qua velut speculo fulget species castitatis, & forma virtutis. Virgo fuit non solùm corpore, sed etiam mente, corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, nõ in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens; intenta pijs operibus, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere. Neminem lędere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, superbiam fugere, æqualibus non inuidere, rationem sequi, amare virtutem, ex domo egredi nesciebat, nisi cùm ad Ecclesiam se conferre volebat, parentibus, aut consanguineis comitata.

Confessarius ergo sanctos istos mores cõferens cum illis mulierum nostri temporis, reprehendere illas poterit, atque excitare, & impellere, vt Virginem hanc imitarentur, cui seruiant, cuius implorent auxilium, ob humilitatem, atque obedientiam, ex qua omnium mulierum opprobrium fuit ablatum.

Monitiones ad curandos scrupulosos, atque pusillanimes, eisquę remedium adhibendum.

Cap. 17.



NTER alias animæ infirmitates, quæ difficiles sunt vt curentur, magnisq; indigent remedijs, & medico nimis experto, nimisquę perito, illa est scrupulosorum, ac pusillanimum, ideoqũe mihi visum fuit hoc in loco præsertim non-

nulla remedia ponere, quæ ad curandũ illam exhiberentur.

Ad cuius intelligentiam noscere opus est, quænam sit infirmitas ista, quænam causa, ex qua oriatur, quę sint difficultates, & quibus regulis remedium sit adhibendum.

Scrupulus Latina est vox, parua petra, atque minutissima est, quæ cùm in calceos ingressa fuerit, vexat, atque exagitat, nec expeditè, ac liberè iter pedibus conficere sinit. Ex huiusmodi Latina voce, seu significatione, vocabulum istud proficiscitur, ad significãdum conscientiæ solicitudinem, atque angorem ex coniecturis fragilibus, atque incertis, aut ex metu, ac absque fundamento pusillanimitate procedere, in quo significatu sumitur illud nunc, quod circa scrupulos tractare intendimus.

Itaque scrupulus quædam est animæ solicitudo, aut quidam metus, aut pusillanimitas, quæ ex debilibus, atque incertis oritur coniecturis, ac iuxta id conscientia scrupulosa est mœsta quædam, ac exagitata, atque afflicta absque efficacibus rationibus conscientia.

Scrupulosi itaque nuncupantur, qui semper se intra se affligunt, atque exagitant, an illi cõsenserint, an recitauerint, vel necne confessi fuerint, vel an confiteri aliquid omiserint, & sic alia huiusmodi excogitare non desinentes, se macerant.

Rationes, seu causę scrupulorum diuersæ sunt: nam aliquando ex mœrore nascuntur,

qui humor eſt ad imaginationes mouendas paratus, ac promptus, atque ad appetitum excitandum diuerſis cum paſſionibus afflictionum; ac inordinati timoris, ac terroris, & vmbræ horribilis, vnde diuerſi oriuntur ſcrupuli, atque conſcientiæ reuolutiones.

Aliquando verò naſcuntur ab aliqua peręraui ægritudine, quæ ex inordinatis vigilijs, ieiunijs, ſtudijs, angoribus, ſolicitudinibus, ac profundis cogitationibus proficiſcitur.

In alijs ex proprio amore naſcuntur; atque cùm neſciat homo, in quonam à conſenſu differat ipſa cogitatio, quamobrem ſæpe aliud pro alio ſuſcipere videtur, atque vbi peccatum non eſt, credit ſe deliquiſſe: nam nimius amor, quo ſeipſum proſequitur homo, facit eum timere, magis quàm ſuum decet periculum: qui quidem immoderatus metus ſuperaſſertæ ignorantiæ iunctus, facit illum trepidare timore, vbi non eſt timor.

Naſcuntur quoque ex quadam occulta ſuperbia, quę tacitè credere hominem facit, quòd dum ſeipſum non regit iuxta ſuum intellectum, nequaquam res bene ſe habet. Ex hoc etiam contingit, quòd ſcrupuloſi capaces non rectè ſunt bonitatis Dei, atque amoris præcipui, ac deſiderij, quod ipſe totius humani generis ſalutis habet; neque hoc dignoſcunt, quod præſertim ab eis hac ratione depoſcit.

Profectò ſcrupuloſi quoad ſcrupulos, quos

habent, maxima afficiunt iniuria diuinam bonitatem, nec de illa sentiunt, vt sentire deceret, imò cum eo tractant, veluti cum aliquo iudice nimis callido tractarent, qui strictè rationes quęreret, atque calumniandi modum, vt reo iustitiam denegaret.

Itaque minimè dignoscunt quàm magnum sit desiderium, quod salutis humani generis Deus habet, quamuis tormentum non ignoremus, quod ab huiusmodi sibi patiebatur in cruce pendens, quam magis sentiebat, quàm crucem ipsam: nam cùm de cruce non querebatur, de illa conquestus est.

Nec etiam agnoscunt, quòd percipuè Deus deposcat ab homine, vt illi gratus sit, nempe cor ad bene agendum paratum, atque omni cruciatui dispositum, ac labori, potius quàm tantam lædere Maiestatem.

Nam saltem si hoc aduerteret homo, ac tali proposito, atque deliberatione muniretur, (quemadmodum ex Dei pietate multi sunt, qui vllo modo, etiam si totius mũdi opes adipiscerentur, peccatum vnum mortale non admitterent) qui istud in se inspicerent, nullam quippe ob causam scrupulos haberent, tam opulentam arrham amicitiæ, atque amoris Dei secum habere contuentes.

Nascuntur etiam scrupuli ob aliam rationem (quam minorem esse non credo) nempe ex errore intellectus, aut ob offensam apprehensiuę virtutis: hinc est, quòd scrupulosi impersuasibiles sunt. Nascitur quoque, quòd omnis medici cura in huiusmodi infirmitate,

ac

ac pugna, quæ habenda est, consistit in intellectu, vt persuadere illi possit: cumque aliud non poterit efficere, studeat agere, vt ille se infirmum esse cognoscat, vtque sibi ipsi credere non debet.

Nascuntur aliâs scrupuli, quando cum scrupulosis tractatur, qui strictam habent conscientiam: nam scrupulosus, præsertim si est Confessarius, aut Doctor, nonnullos scrupulosos facit.

Quamobrem Deus noster, cùm Israeliticus populus ad aliquod exibat bellum, præcipiebat, vt sic tuba publicaretur Deuteron. 20. Si quis est formidolosus, & corde pauido, vadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Quando autem Gedeon prẹliaturus erat, præcepit ei Deus, vt ita suis enũtiaret: Qui formidolosus, & timidus est, vadat, & reuertatur in domum suam.

Super hæc verba dicit glossa, formidolosum, ac timidum esse illum, qui cùm iuuenis sit, parumq; expertus, priusquã inspiciat malum, trepidat solum illud cogitando, & pauet, dum per membra algidus horror reuoluitur, ac miserabilis, adeo quòd antequam eueniat malum, metu solo perit, cùm illud meditetur. Accidit aliquando ex dolo, ac deceptione dæmonis, qui cùm ab anima Dei timorem auferre non valeat, enititur agere, ne illo rectè nos vteremur, nempe ne, vt deceret, timeamus pericula vera, sed falsa, atque apparentia.

Demum,

Demum, permittit nonnunquam Deus in suis passionem huiusmodi, quemadmodum alios dolores, aliasq; permittit ęrumnas, vt cuncta hæc sint tanquam lima, atque expiatio suorum peccatorum, vnde maius meritum, maioremq; coronam mereantur.

Hęc pusillanimitatis infirmitas, ac scrupulorum periculosissima est, differtque ab alijs multipliciter.

Primò, cùm aliæ tentationes infestent hominem exterius, nempe in exterioribus membris, sed ista penetrat ima cordis, iuxta illud Deuteron. 32. *Exterius destruit gladius, & intus timor.*

Secundò, quia aliæ tentationes ex paucis procedũt rationibus, atque causis, sed à quam plurimis ista, iuxta illud Iob 14. Et nocte, & die timebas, ac vndique te terrores deterrebant, & vmbræ.

Tertiò, nam aliquæ inueniuntur tentationes, quæ tam periculosæ non sunt, sed hæc multum affert periculum, cùm vsque ad desperationem attingat, iuxta id, quod Diuus Bernardus asseuerat.

Ex tribulatione, quam homines perelisi patiuntur, oritur pusillanimitas, ex pusillanimitate turbatio, ex turbatione desperatio, desperatio autem occidit.

Quartò, cùm aliquæ non adeò cordi infestæ sint, ista verò semper infestat, quemadmodum legitur in Deut. 28. *Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices: Quis mihi det vesperum? & vespere: Quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem.*

Quin-

Quintò, cùm aliæ sint faciliores vt curentur, & hæc nimis est difficilis. Vnde Psalmista in peculiaris gratiæ signum sic ait Psalm. 54. *Deus est, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.*

Sextò, quia alia vitia clarè dignoscuntur vt vitia; at huiusmodi passio habetur à scrupulosis tanquam virtus, Scripturam attendendo, quæ dicit: *Beatus homo, qui semper est pauidus:* non aduertentes Scripturam alio loco dicentem: *Noli pusillanimis esse in animo tuo.* Itaque, quò magis malum hoc in specie boni repræsentatur, eò magis periculosum remedium est.

Septimò, quoniam aliæ animi passiones obsunt solùm eas habentibus, ista verò quamplurimis damnum infert: nam illos efficit pusillos, ac timidos. In cuius rei figuram legitur in Deut. 20. *Homo, qui formidolosus est, & corde pauido in domum suam reuertatur, ne formidare faciat socios suos.*

Octauò, nam aliæ sunt passiones, quæ audaces non sic efficiunt dæmones ad tentandum hominem, sicut est ista, ob metum, qui ex ea in anima oritur. Vnde inimicus maiori animo illam fugientem insequitur; ob hoc ait Apostolus Ephes. 6. *Fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Vnde admonet nos Apostolus, nimium valere, animum ac fortitudinem ad inimici tentationibus resistendum.

Nonò, cùm aliæ sint passiones, quæ nimis ad operandum adiuuant, vt est amor, & spes: sed nimius, ac inordinatus timor, qualis est scrupulo-

pulosorum, quàm maximè opus propedire conspicitur.

Primò, quia rationem excæcat, ac infestat.

Secundò, cùm indiligentem hominem efficiat.

Tertiò, nam immoderatus timor aufert robur, ac fortitudinem, quæ in cunctis magnis operibus necessaria est, atque desistere facit hominem à rebus inceptis.

Quemadmodum qui in alto ambulat super trabem faciliter cadit ob metum, quem ille suscepit: si verò per eandem incederet iuxta terram positam, nequaquam caderet, cùm eum timor titubare non faciat.

Quàm difficile sit scrupulosos curare, ac pusillanimes, tantùm ille dignoscere poterit, qui ob diuturnam experientiam modum agnouit, atque intellexit, quem ipsi circa scrupulos tenent. Profectò sæpe mihi videtur pusillorum animam esse tanquam nauigium, quod in alto illabitur mari, à ventis agitatū, & fluctibus hinc atque illinc impellentibus, illud in tenebrosum aliquem locum à cęlo tectum, quive illuc deueniunt, miseris elaborāt intra se clamoribus, ac dolorosis gemitibus, cælum aeremqúe implentes, ac huiusmodi confusione, quòd nemo ipsius nauigij productoris audit præceptum, nec fungi officio suo confidit, nec ad quem confugere scit, vt tot necessitatibus valeat prouidere. Ita & miserabilis anima à tempestate suarum imaginationum agitata, ac scrupulorum, in obscuritate, atque densissimis tenebris, à cogitationibus vexa-

vexata, ac inquietudine, in mortis horrore, atque terrore, non audiens recta consilia periti medici, nec certas Catholicæ fidei persuasiones, non potest oculos ad cęlum tollere, vt in tanta necessitate auxilium postulet, nec videtur, quòd illa credat, speret, aut diligat, & sic per horrores, atque errores ducitur horribiles ad sempiternam mortem.

Si nonnunquam aliquem ramum bonæ considerationis apprehenderit, ad suũ timorem expellẽdum, statim frangitur, ac ad ima deprimitur, sicq; alium apprehendit, statim cũ infringitur, deficit, cumq; sapiens ductor funem porrigit, cui innixus ille egredi posset incolumis, nec vim habet, nec robur in brachijs, sicq; pęrire illum conspicit, cui prębere non valet auxilium.

At quamuis, vt præassertum est, à conscientia scrupulosa pergrauia mala, ac turbationes sequãtur, nihilominus scrupuli nonnulla afferunt secum emolumenta, cùm adiuuẽt illi, ne quis ad delinquẽdum reuertatur, quod tantum abhorret.

Prodest etiam conscientiæ timor ad proprium corpus castigandum, atque frænandum.

Hunc timorem Dauid expostulabat Psal. 118. dicens: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Super hanc sententiam ait Glossa: Timor iste Domine tanto me complet pauore, meq́ue tam perfectum reddit, quòd satis est vt carnes meas excruciem, vtq́ue velim, ac valeam ego in ligno crucis tuas

passiones imitari, pro nominis tui amore carnes meas infigendo clauis martyrij.

Considerandum est, quòd ille dicit *confige*, non autem crucifige, aut liga carnes meas, sed *confige timore tuo*, adeoq; ne ex vna possint, nec alia parte verti, sed solùm in Deo, atque in veritate configi.

Prodest etiam ad cõtemnendũ huius mundi honores; nam arcta conscientia in quàm plurimis oritur ab amore, atque timore Dei, quem lædere nullo modo vellent.

Præterea proficiunt scrupuli ad propriam miseriam, ac vilitatem dignoscendam, vt huiusmodi scrupulosi quasi experti agnoscant tenebras, in quibus ambulant, quodve ex se sufficientes non sint lumen veritatis inuenire, quamuis in nonnullis difficultatibus aliquando subtiles nimium reperiantur.

Valet demum timor conscientiæ scrupulosæ ad magis confirmandam in corde gratiam, atque virtutes, & ideo Scriptura testatur, principium sapientiæ esse timorem Domini, Psalm. 20.

Cassianus locum istum declarans sic ait: Ex Dei timore salutifera compunctio nascitur, ex cordis compunctione oritur nuditas atq; contemptus omnium diuitiarum, ex nuditate ista atque contemptu humilitas proficiscitur, ex humilitate procedit delictorum mortificatio, ex mortificatione ista delictorum oritur destructio vitiorum, ex destructione vitiorum fructus ac augmentum virtutum, ex virtutum fructu adipiscitur cordis puri-

puritas, ex cordis puritate perfectio Apostolicæ charitatis.

Perspecta huius infirmitatis malitia, atque eius causis consideratis, inspectoqúe loco, in quo illa moratur, reliquum est, vt inspiciatur, quonam modo spiritualis medicus, ad quem de illa spectare videtur, debeat eam curare.

Oportet spiritualem medicum huius infirmitatis istas habere conditiones.

Necesse est, vt rectè ille dignoscat huius infirmitatis naturam, atque eius causas. Nimis aduertere ille debet, ne nimis asperè reprehendat talem infirmum, sed spem illi præbeat; se ab infirmitate illa incolumem euasurum, simulqúe ostendat pericula, in quibus viuat, dum medici haud consilium sequitur: hoc autem curare incipiet per regulas, quas nos infra dicemus, semper auxiliū, ac patrocinium inuocando gratiæ Dei.

Diximus spiritualem Medicum acriter non debere corripere scrupulosum: nam isti homines, qui scrupulis, atque conscientiæ pusillanimitate laborant, quasi ordinariè non peccant, cùm error in intellectu tantùm consistere videatur, ac in apprehensiua, imò in his nimius timor est, atque amor Dei. Ideò irridere illos non debemus, sed potius aliquo modo laudare, cùm isti adeò charitatis, ac timoris filialis Dei donum habeant, quòd si totum mundum lucrarentur, nollent Deum offendere voluntariè. Quamuis magnus timor, quem ipsi habent vt Deum non læderent, ac

dubia, & angores, qui eis offerũtur in his, quæ agenda ab eis sunt, tam illos perturbent, quòd potius lepræ morbo laborare vellent, aut alia graui ægritudine.

Quamobrem compati istis deberemus, non asperè illos tractantes, vnde perterriti fiant, infirmitas verò non curatur, sed augetur magis.

Pro talibus istis pijssimus fuit medicus Christus Iesus, Filius Dei, ac noster Redemptor, de quo Euangelista Matth. cap. 12. prophetiam illam affert Isa. cap. 42. *Ecce puer meus, quem elegi; dilectus meus, in quo bene complacuit sibi anima mea. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quassatam non confringet; & linum fumigans non extinguet.* Super huiusmodi verba ait Diuus Hieronymus: Qui manũ peccatori non porrigit, nec sui fratris onus exonerat, hic cannam infringit: qui autem in paruis minimam fidei fauillam contemnit, extinguit iste lucernam, quæ fumigans est.

Præterea opus est vt spiritualis medicus infirmitatis huiusmodi spem infirmo præbeat illius infirmitatis curandæ, proponatque nonnullos eximios, ac disertissimos viros in hanc ægritudinem cecidisse, qui ex ea incolumes euaserunt. ex quibus Ecclesiæ Dei optimi extiterunt Doctores, ac eorum infirmitatibus aliorum infirmitates curârunt.

Admonendus est etiam scrupulosus, vt spe-

rare ille velit, sumatqúe robur, & animum: quod contingere tunc poterit, cùm in apprehensiua virtute spes salutis propinquior esse videtur.

Postmodum ostendat pericula, atque præcipitia, in quæ ipse inciderit, dum medici consilium non sequeretur: nam quemadmodum, qui medici corporalis consilijs non obtemperat, obijcit se periculo moriendi: ita & scrupulosi, si peritorum medicorum consilijs non obtemperauerint, obijciunt se periculo quàm plurima peccata mortalia committendi, ob quod Scriptura Prouerb. 3. dicit: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ: in omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum, time Deum, & recede à malo: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* Et alibi Ecclesiast. *In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narratum Dei possis audire. Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* Et in alio loco dicitur Prouerbiorum 22. *Qui confidit in cogitationibus suis, impiè agit, atque damnatur.*

Huiusmodi persuasionibus, atque syrupis medela præparatur infirmo, illeqúe disponitur.

Remedia postmodum, quæ ordinariè applicari solent ad hunc primum humorē purgandum, sunt quæ sequuntur.

Primum, ac præcipuum est humiliter se

alienæ sententię subijcere, seq́ue ab altero curandum exhibere. Deus etenim, qui in necessariis nequaquam deest, quive neminem vnquam reliquit sine remedio, præcipuè huic prouidit dolori, nempe quòd cùm homo se propria sapiētia, atque prudentia curare minimè possit, sineret, vt ab alio curaretur. In huiusmodi namq; statu non debet homo sibiipsi credere, cùm ille in propria causa pars esse videatur: nec mederi seipsum debet, quamuis doctus, atque peritus sit, cùm ille esset ægrotus. Ideoq́ue Dominus vult, vt curetur ab alio, cui omnino parendum ab eo est, cùm talis foret, qui in ipso proficeret; at si fortè in exhibendo consilio erraret consiliarius, non ideo erraret ille cui consulitur, cùm ei præcipiatur, ne in tali casu sui ipsius consilium sequeretur. Prodest etiam ad hunc dolorem medendum, scrupulosis nequaquam cedere quo ad poterit, nec eorum postulationibus assentiri. Nam quemadmodum, quo vti solet, medium, ad tollendum bestiæ defectum, est non sinere, vt ipsa in illum incideret; ita etiam opus est idem facere, ad scrupulosi cordis defectum curandum; præcipuè verò cùm non ignoretur, tales esse scrupulos, quòd ex eadem ratione, ob quam vni præbemus aditum, quàm plurimis etiam præbere videmur, & sic homo cum scrupulis totam degit vitam.

Quamobrem adiuuat etiam aliud remedium, nempe, quòd cùm scrupulosus pro certo nequaquam habet se alicui mortali pec-

cato præbuisse consensum, sed titubat, ac veretur; opus est vt non ignoret se mortaliter non peccasse; neque debere inordinatos timores illos magnifacere.

Item aliud est remedium, vt scrupulosus pro comperto habeat, sibiq; persuadeat, quòd neq; Dei lex, nec experta, optimaq; ratio obligat ad ludibria facienda, ex quo scrupulosus, si curandus est, suos scrupulos, ac imaginationes æstimare non debet, cùm illos deridendos esse conspiciat, qui nec doctum virũ infestant, neq; perturbant expertum.

Præterea certum est, timidos homines timidiores fieri, dum timent; homines verò audaces audaciores euadere, dum audent.

Iuxta hanc igitur regulam, opus est non cedere scrupulis, sed viriliter illos contemnere, ac paruifacere.

Et vt nos ad huiusmodi victoriã consequẽdam adiuuemur, admodum adnotanda est Caietani doctrina in Summa pro scrupulosis circa confessionem: & hoc ex principalibus vnum est, in quod incidere illi solent, nempe quòd scrupulosus credere nequaquam debet se obnoxium esse ad illud totum confitendum, de quo dubitauerit, an confessus sit, vel ne, ac si illud non esset. Loquamur sub exemplo.

Si ego, qui scrupulosus non sum, dubito an illud peccatũ confessus fuerim, vel ne, aut Canonicã horã recitauerim, stans sic formaliter dubius, teneor ita agere, vt hoc dubiũ expellã, vt me periculo peccandi mortaliter non obijciam.

Si autem scrupulosus ego sum, non satis est quodlibet dubium, vt sic me reddat obnoxium: nam possum de me probabiliter credere, quòd scrupulosorum passio sicuti aliquando metuere me facit, cùm non est metuendum, sic etiam dubitationem mihi afferent scrupuli, cùm nequaquam dubitatio sit afferenda.

Hac igitur de causa consulitur scrũpuloso, quòd vbi semel mediocri præparatione confessus est, atque examine suæ conscientiæ, non præbeat cuilibet dubio aditum, quod postea sibi offerretur super præteritam confessionem, atque sibi ipsi satisfaciat, sic dicendo.

Iam ego mediocriter conscientiam meam discussi, cùm confiteri statuerim, credendumque est, quòd veluti illud dixi, dicerem etiam hoc, de quo nunc dubito, aut distinctè, aut saltem sub quodam certo numero, quo hanc comprehenderem culpam, atque alias huiusmodi, quamuis singulatim non dicerentur, & hoc mihi deberet sufficere: nam si inciperem ego limum hunc commiscere, semper scrupulis irretitus ero, quibus maximũ animæ meæ damnum intulero, ac inhabilis euasero, atque deficiẽs ad omnia alia bona exercitia, vt sunt orationes, aliæq; virtutes.

Et hoc nimis dedecet. Hac ergo de causa tam probabili contentus sum de eo, quod peregi, occasionem nouis implicationibus non tribuendo.

Hoc igitur modo quilibet scrupulosus pacare se debet, pſertim verò, qui in anima sanctum

ctum propositum illud sentit, ac deliberationem, de qua supra disseruimus.

Nam cor adeò paratum habet ad omnia, quæ illi præcipit Deus, quòd si opus foret, cũcta sua peccata viua voce omnibus astantibus exarare, cuncta fateretur: si enim omni diligentia in hoc vsus esset, de quo dubitare ille deberet?

Si autem contingeret, quòd reliquum aliquod peccatum verè confitendum remansisset, dum ob hunc modum remaneret, metuere non debet homo, cùm ex præassertis saluus esse videretur.

Non fecit Deus cõfessionem ad illaqueandum conscientias, sed ad leuamen earum, atq; solamen: & procul dubio leuamen non esset, sed laqueus, si eis tam grauia onera, atque obligationes imponerentur, vt ipsi arbitrantur.

Tãdem vltimum, ac efficacius remedium est, scrupulosis persuadere, vt familiariter cũ Deo ac Saluatore nostro Iesu Christo agant iuxta Crucem: nam ibi contuentes quid in illo habeant, eorum fides augebitur, spes, atque charitas, ac inordinati timores, & cordis pusillanimitates euanescent. Quod interiori colloquio videbitur, quo Christus in cruce loquitur, & solatur, ac pusillis dat robur, qđ excerptum est ex epistola Blosij auctoris grauis, atque deuoti.

Colloquium interius, quo Iesus Christus consolatur pauidam, atque peccatricem animam, meliorem degere vitam cupientem, eiq; ad id peragendum confert auxilium.

DIligentes me diligo, & deliciæ meæ, esse cũ filijs hominũ: sic dilexi mundum, quòd animam meam in mortem tradidi. Per labores passus sum, dilecta filia, esuriui, sitiui, ludibria ac opprobria tuli, improperia, & insectationes, ob tua facinora plagas sustinui, cruciatus propter nequitias, mortem propter delicta, à mortuis resurrexi, vt te à morte liberarem, ac paradiso redderem.

Magnus amor, quo te amplector, vnde te dilectam filiã esse volo, & peropto, impulit me, vt cuncta hæc agerem, atque ferrem: reuertere igitur ad me, dolore affecta præteritorũ scelerum, emunda te sanguine plagarum mearum, ac virtute induas, & meritis vitæ meæ.

Totum hoc tibi confero lubenti animo, & corde, & non solùm confero, sed tanquam beneuolus pater offero, ac extẽsis brachijs osculo pacis obuium me trado tibi, quo te inuitarem, vt mihi huiusmodi amoris debitum soluas.

Conuertere filia, & mũdaberis: præbe mihi cor tuum, cùm aliud abs te non exposcam: dole te deliquisse, meq; offendisse, siquè dolorem istũ concipere nequaquam potes, doleas saltem te non posse dolere: nam sæpe contingit, quòd magis est mihi iucundũ, magisq; ipsi homini prodest voluntas, ac desiderium contritionis, & deuotionis, ac iste dolor non dolendi, quàm si actualiter illum haberet: desiderium enim illum habendi, & non habere, cordis parit afflictionẽ. Doleas igitur, & contra te irascere, magnaq; pœna te dignam esse iudi-

iudicaueris, cùm peccatum cõmisisses, cumq; te non pœniteat, quantum pœnitere deceret. Hæc contritio, quamuis non sit sensibilis, atq; durum cor nunc tibi sit, ac aridum, sufficit ad salutem. Inspicio etenim miseriam tuam, paupertatem, ac fragilitatem, nulloq; modo deficere debet bona voluntas, licet cordis siccitatem sentiat, atque frigiditatem, cùm verè se peccasse noluerit, ac propter me se nunquã peccaturũ decreuerit. Sed dicere poteris: Quãplurima peccata commisi, quonam modo esse poterit, vt de vnoquoque peculiarem dolorem concipiam?

Indiges filia consolatione, & sola veritas poterit consolari. Si multa sunt tua peccata, de cunctis generalem habeas cõtritionem, in quaq; quemadmodum in magno reti includas omnia, quæ admisisti peccata in generali, & vnumquodq; in particulari, adeò quòd nullũ sit, quamuis peculiariter tibi in memoriã redigeretur, de quo dolorẽ nolles accipere, atq; illud non decerneres euitare.

Nam ista generalis contritio ad omnia extenditur, ad vnumquodq; tuorum peccatorũ, licet ea nec reminiscaris, nec illa mediteris.

Nec ego expostulo, vt de vnoquoq; peccato necessariè iuxta numerum, ac species peccatorum habeas contritionem.

Ita de Maria Magdalena differui: *Remissa sunt tibi peccata multa, quia multum dilexisti*: non dixi, quia sæpius dilexisti, cùm nec illa in tã subita contritione cunctorum suorum reminisci potuit peccatorum, nisi generaliter.

Hoc

Hoc modo doleas & tu de tuis peccatis, noli immoderatè mœrere, nec imaginationibus, ac cogitationibus cedas, quæ tibi me iratū esse repræsentant, quodve me pacare non velim, nec parcere, nec in gratiā meam te complecti.

Huiusmodi enim tētationes sunt dæmonis, quibus te ille ad desperationem quærit inducere. Solet ille, cùm primùm impulit homines ad peccandū, memoriā meam ab eorum cordibus tollere, promittere eos meam pietatem, atque misericordiam, nec non & securitatem, & confirmare prauæ voluntatis audaciam, ac pertinaciam.

Quando verò dæmon conspicit postea, q peccatores volunt illum deserere, si aliter non potest eos ad sua vitia perducere, aggreditur illos pauidis tentationibus desperationis.

Persuadet eis, ne confiteātur, illisq; denuntiat se vincere non posse malam consuetudinem, deterret eos admissi peccati magnitudine, mendaciter asserendo, me parcere nequaquam velle.

Tu verò ne credas illi, nec aliquam ob caussam desperationi consentias; sufficit tibi ista contritio, quamuis aridum habeas cor, quod te pœniteat me offendisse, quòdve desideres, te non id effecisse, proponasq; te amplius minimè peccaturum.

Siq; postmodum aliàs ad peccandum redieris, iterum surge, propositumq; renoua me non amplius offendendi: at si tertiò prolapsa eris, resurge: si quartò, aut quintò, demumq; quoties in die cecideris, toties surge, atque ad

me

me reuertaris; nam ego te suscipiam.

Nonne fortè melius est te suscipere, quàm perdere? vtq; labores, ac supplicia, quæ, vt te redimerem, sustinui, in te consequantur effectum? Ergo Filia, meo redempta sanguine, nihil sit, quod à me te seiungat, atque præpediat.

Si te dæmoni tradideris, si centies me abnegaueris, si me, effigiemq; meam pessundaueris, si me spueris, si Sacramētum meum iniuria affeceris, doleas te id effecisse, & ego tibi omnia hæc condonauero.

Nullum adeò graue peccatum opineris, quod spem adimat condonationis, nec numerus tam magnus tibi videatur, qui misericordia mea maior sit. Nil mea refert, magis te à multis, quàm à paucis peccatis liberare. Tam qui magna, quàm qui parua peccata commisit, æqualiter indiget misericordia mea, quæ deficere cùm non possit, sufficere, atq; superare videtur pro omnibus. Non potest nequitia tua bonitate mea maior esse, quòve maiora peccata cōmisisti, eò maiori animo tibi condonauero, si te verè pœnitebit: nam quò magis maiora peccata dimitto, eò magis conspicua videtur, atque splendidior misericordia mea. Nec durus, nec parcus ego sum, sed pro te filia dilecta munificus elargitor. Nihil tam parui faciam, quàm si sola tu cuncta, quæ fieri possint, peccata commisisses, tibi omnia illa dimitterem. Aliud forsan tibi timorem inijciet, nempe, quòd cùm tu sis oppressa peccatis, necesse est te inuitè perferre, quod aliâs sponte commisisti. Te inimicus insequitur, te-

cumq;

cumq́ sua exercet facinora, sed cõperias profectò, tuam vllam tentationem, quam inuita patieris, te damnare nequaquã posse, nec meam auferre gratiam: nam peccatum sic est voluntarium, quòd si inuoluntarium esset, peccatum minimè diceretur. Reprime igitur cõsensus tui voluntatem, nec dæmonis aut carnis tuæ furorem æstimaueris. Somnia ne timeas: nam quicquid dormiens effeceris, peccatum non erit, si prius illud, aut postea ratum non habueris: & quamuis ob vitam retro malè actam rebus huiusmodi occasionem præbuisses, attamen quia dolere cõfiteris, ac te emendare proponis, nõ culpaberis in eo, quod nũc pateris, si voluntas minimè consenserit. Si aliquando in corde dæmon execrationes suggesserit, ac abominabiles contra me excogitationes, atque cõtra Sanctos meos, non ideo in cõturbationem, aut in aliquam animi frigidam imbecillitatem; nam dum tu deliberatè nõ assentires, plus in imaginatione pateris, quàm non habes; cumq́ magis tristitiam, atq; afflictionem tibi inferant, quàm lætitiam, nullo modo eas timere deberes, nec illas confiteri. Ego verò te illas sentire permitto, atq; molestè ferre, vt mundus ob illas efficiaris, nõ autem te inquines, aut fœdes. At dæmonis intentio est huiusmodi excogitationes suggerere, vt dũ tu illis obsistere niteris, præpedita remaneas, teq́ue ab amoris mei dulcedine absentes, ac immoderato angore perterrita, mihi adhærere non audeas.

Lætatur ille, cùm te scrupulis, ac perturbationi-

tionibus irretitam esse dignoscit: sed tu noli huiusmodi timere tentationes, noli eis respõdere, noli obsistere, neque illas aduertas, imò, velut tu nihil sensisses, audacter progredere, te exercendo, easq́ paruifacias, atq; vt latrantes catulos contemnas: nam si eis obstare satagis, easq́ discutere, magis memoriæ illas imprimeres, ac magna te illæ afficerẽt inquietudine.

Pœnitens anima, vbi meã bonitatẽ dignouerit, illamq́ gustauerit, cõtuens me adeò bonum esse, atque clemẽtem, adeoq́ faciliter me offensiones obliuisci, quòd nõ tantùm eas cõdono, sed delinquentem ad amicitiam, atque gratiam meam admitto, quemadmodũ nunquã ille deliquisset, illumq́ solamine repleo, atq; illi cõfero beneficia, procul dubio in eo, in quod ipse lapsus est, maioris deuotionis, atque feruoris occasionem suscipit, ac mihi magis inseruiendi, ac seipsam odiendi, ac contemnendi, contra se irascens, atque abhorrẽs, cùm Deum suum adeò benignum contempserit, qui cùm illam iustè condemnare, ac euertere potuisset, ignouit ei, beneficium insuper contulit, illamq́ consolando fuit amplexus.

Quamobrem quò magis illa misericordem ergaseipsam me esse dignoscit, eò maiori zelo iustitiæ contra seipsam se excitat, quasi in se vindicare volens, cùm me contempsisset.

Hinc est, quòd non solùm de peccatis veniam quærit, atque vt sibi ignoscatur exposcit, cùm ex amicitia mea recessisset; sed ob meæ iustitiæ honorem etiam pati desiderat, & percuti, & fustibus cædi, cùm contra me insurrexerit.

xerit. Vnde quò magis conspicit me illã consolantem, eò magis indignitatem suam agnoscit, eamq; abhorret, cùm illa turpitudinem detestetur, ac magnitudinem suorum peccatorum, atque maxima afficiatur admiratione, quonam modo adeò ingrata existere potuisset.

Peccata animæ, quæ iam zelum istum attigit, quo non minus in se iustitiam meam diligit, quàm misericordiam, diruta sunt, atque consumpta, velut deficit, atque consumitur in magno igni aquæ guttula.

Itaque inter omnes pœnitentiam agendi vias nulla melior est, quàm iugiter charitatẽ meam intueri, atque erga animam fidelitatem immensam, & econtrario eius infidelitatem, ingratitudinem, ac peruersitatem in me.

Solet dæmon insidias tendere in seruos meos, ac ancillas meas, pœnitentiam suorũ peccatorum agentes, ac dolorum, quos de illis susceperint, atque omnium rerum illarum ad hoc pertinentium, vt scrupulosi fiant, sæpe illud idem confitentes, ne vnquam pacati videantur, cùm omnibus præteritis confessionibus diffidant, aliquod inuenientes peccatũ, aut circunstantiam, quam non fuerunt confessi, ob quod videtur illos esse obnoxios ad iterandam confessionẽ generaliter. Cùm isti semel generaliter rectè confessi fuerint, à se hanc inquietudinem adeò irrationabilem debent auferre.

Quare opus est, vt illi alicuius spiritualis Patris sententiæ, atque consilio obtemperent, quem

quem absque timore, ac omni cum humilitate sequantur, proprium iudicium, atq; damnatam conscientiam relinquentes.

Nolo te in luto isto tam inuolutã esse, nec vt tu, toties peccata quæ admisisti reuoluens, diffidas, sed in me confidas, quia te liberabo.

Nam si mille annis cõscientiam tuam velles excutere, atque confiteri, nunquam pelagum hunc exsiccare potueris.

Ideo te mihi securè tradas, atque commendes, cùm tu omni cum diligentia peccata tua confiteri studuisses. Sine, vt ego tibi absq; tuo labore dimittam quæ commisisti, ac agnoscas te nequaquã sufficere ad te mundandũ. Confitere, quòd ex mille molestijs tuis te ex vna exonerare non poteris, atque in cunctis operibus tuis te mundum non esse, atque misericordia indigere.

Nec tibi solùm confidas in confessionibus tuis, sed in misericordijs meis: nam illæ sunt, ob quas tu iustificaberis, tẽpusq; nimiũ, quod in tuis peccatis excogitandis insumis, melius insumendum tibi foret, te ad me conuertẽdo, meaq; præsentia gratiosa fruendo.

Non credis forsan inimicum dolosum esse, atque fallacem, qui ideo te considerantem numerum ac turpitudinem tuorum peccatorum detinet, vt interea alias magis salutiferas meditatiões obliuiscaris, quibus deuotio tua possit accendi. Non ignores igitur hoc mihi præcipuè iucundum esse, quòd bonitatem meam cognoscas, ac in cordis simplicitate me quæras.

Agnosce me esse benignum, & pium, miseratione plenum atque misericordia, cuius bonitas nimia est: confide mihi, in me spera, gratiam, ac amicitiam meam quærendo, atque vt eam cõsequi valeas, dirige tuæ deuotionis exercitia, & procul dubio vberioré senties fructum, si diligenter inspexeris meditãdo, quonam modo me diligere debeas, mihiq́ gratiã facere, meq́ imitari, quàm si iterum confitereris quod iam semel cõfessus es, quærẽs scrupulos, denuò eos multiplicando, cùm finem illis imponere debuisses: non poteris tu extra modum me benignum, atq́ misericordem habere, nec immodicè poteris confidere pietati meæ, dum modò in illa sperare dum audes nequaquam peccaueris. Exercitiũ tuum sit, de me bene sentire, atque meditari, & credere me illius non velle damnationem, qui se emẽdare voluerit, ac in me confidere. Hoc tãtùm satis est mihi Filiola, vt te peccasse pœniteat, vtq́ non pecces amplius, iam in portu es, atq́ statu salutis, quid times?

Diues sum ego in miserationibus, quarum infinitus est numerus, sicq́ de me cogites: nam hoc meditando, maiori me affeceris honore, quàm si austerũ, seuerumq́ me esse iudicaueris, atque ita metueres, vt si in hominibus reti capiendis peruigilem me dignosceres, ac eis condẽnandis, q a istũ, aut illũ scrupulũ cõtempserunt, aut hanc, vel illam circunstantiam.

At cùm aliquod peccatũ certũ reminisceris, quod prius nequaquam confessus es, confitere illud absque aliqua perturbatione.

Sed

Sed cùm præuio examine conſcientiæ tuæ generaliter confitearis, depelle poſt confeſſionem ſcrupulos, nec conſcientiam inquiras, ne huiuſmodi inquietudo tibi contingat toties confitendi.

Repelle à te ſcrupulos, deuotis ac beneuolis exercitationibus incumbendo, ſciasq; me q̃ maximè te peroptare, ac frui velle familiaritate tua, meq; tuũ amorẽ expoſcere, ideo ſatagas volũtati meæ reſpondere. Dignoſcas, nõ ignores, ac exiſtimes te peccatricem eſſe, teq; in multis me offendiſſe certò ſcias, ingratumq; extitiſſe, rebellem, ac iniuria me affeciſſe, deuouiſſe, meaq; præcepta atq; conſilia nõ obſeruaſſe, ideoq; humilias te, atq; adeò ſubmittas, q; ad me oculos attollere non audeas, æſtimãs te immunditijs plenam ac abominationibus.

Nonnulli ſunt adeò ſua peccata congitãtes, quòd ſeipſos ad riſum excitant, atq; voluptatem, & econtrario, alios ad deſperationem, & puſillanimitatem, quòd præſertim contingit, cùm ſolum ipſi peccata excogitent, aſpiciendo, loquendo, ac intra ſe diſſerendo, mei autem non reminiſcuntur.

Itaq; dum ſic ſua peccata recordantur, quãuis illorum bona ſit intentio, potius cæci fiunt, quàm illuminantur.

Tu verò cùm peccatorum tuorum conſiderationе te humiliare volueris, ea minimè cogitando te conuertere ad me debes, mecumq; de illis diſſerere, deq́ue infirmitatibus, atque defectibus mecum de te ipſa conquueraris, atq; coram me incuſes te deliquiſſe.

In hunc modum tuorum peccatorum incusatio fiet oratio, tuaqúe conscientia erit pacata, atque quieta: affectio verò tua ad me directa inflammabitur, ac accendetur.

Circa tuorum peccatorum satisfactionem consilium istud accipias, nempe, vt quodlibet commodè tu efficere poteris, perfice ilicò, sed non tali intentione, quòd cogites te solã posse pro tuis peccatis satisfacere: nam iudicare tu debes, quòd ob id opera tua indigna sint, paruiq; valoris, quamuis tu efficere illa debes, vt grata sint mihi, quẽ offendisti, debesqúe à me petere, vt passiõis meæ meritis, sanctissimæq; vitæ meæ deleã tua peccata, atque Patri meo pro illis satisfaciam, ac præbeam operibus tuis robur, vt satisfacere valeas.

Huiusmodi humilitas, atque confidentia, qua & opera tua contemnis, & me, ac merita mea extollis, procul dubio magnificat, ac illustrat satisfactoria opera tua, quæ auget, atque qualificat, vt mereri, ac satisfacere possis: nam sanguinis mei guttula maiorẽ habet vim pro satisfactione, quàm cuncta humana merita, & sic pro totius mundi peccatis satisfacit.

Hæc humilitas & confidentia me inclinat ad te, vt meritorum meorum thesaurum tibi communicem.

Quapropter hoc studiũ tuum erit præcipuum, ne trãscurras, quod mihi placere nõ ignoras, quòd me semper excogites, me desideres, me diligas, vtqúe obserues quod cupio, quodve præcipio per meos ministros efficias.

Siqúe ita feceris, quamuis millia millium admi-

admiseris peccatorum, cūcta tibi dimittam, ac si vnum solum foret, cùm tam facilè mihi sit multa condonare peccata, quàm pauca.

Illud tantùm tibi nuntiauero, quod admirandū est, sed certissimum, quòd si mūdus totus esset fornax ignis, atque in medio parum lini inijceretur, non tam ilicò à flammis illud aduritur, quàm citò miserationum mearum abyssus peccatorem amplectitur, se conuertentem ac pœnitentiam agentem.

Nam in illa naturali actione aliquod momentū, quamuis paruū videretur, & fortè nō excogitandum: sed hinc aliqua non est dilatio inter pœnitentem & condonantem, inter gementem & illius gemitum audientem.

Repelle igitur filia omnē inordinatū amorem, ac mihi toto corde placere desiderās, studeas sancta esse; quia ego sanctus sum. Noli peccatum aliquod sponte admittere, quamuis leue, ac paruum sit illud.

Quoad poteris deuita occasiones peccandi, te prudenter absentando à nimia conuersatione, atque commercijs hominum, ab otiosis & inutilibus occupationibus, silentiū seruās, ac solitudinem, recteq; tempus insumens mihi seruiendo.

Deuotè exerceas te, vitam meā excogitando, atque passionem insere cordi tuo, crucis meæ fructiferum arborem.

Crebrò affectum attollas tuum ad Deū tuum, & sponsum crucifixum, verbis beneuolis, atq; amore plenis, & desiderijs, incede corā me sancto timore, atq; reuerentia, me vbiq; adesse

 cogi-

cogitando. Custodi, atque diligenter fræna sensus tuos, & linguam: si loquacitatem diligis, proficere non poteris.

Temperantiam moderatam complectere, abs te auferas vanitatem, atque pompam superbiæ, sensuales voluptates, atque illicitas ne sequaris, sed te mundam, quo ad poteris, conseruaueris.

Viriliter dimica contra vitia, ac à me vires instanter expostula, vt vincere, ac infringere passiones animi tui valeas, ac prauas inclinationes.

Elaborandum tibi semper est, quicquid poteris effice: ne labori tuo innitaris, sed fauori gratiæ meæ, ne, cùm tibi cõfidas, ac tuæ industriæ, aliquod tibi ipsi attribuas bonum, quod feceris, aut aliquod bonorum meorum vsurpare videaris: nam ex te sola nil aliud efficere poteris, q̃ me offendere, nec capitale aliud habes, nisi peccatũ, quod proprium tuum est.

Nec inaniter hominibus placere desideraueris, sed potius ab eis nesciri desidera, quàm dignosci, potiusque contemni, quàm laudari peropta.

Nunquã te aliquid extitisse considera, nec opera atque exercitia tua magnifacias, sed te magis ingratam atque omniũ vilissimam esse cogitaueris, quod absque sit simulatione: subijcias, ac humilies te omni creaturæ propter me.

Sincera atque pura charitate omnes diligas, etiã te persequẽtes, omniumque cupias salutem.

Neminem contemnas, nemini detrahas, neminem iudica, nec cuiuspiam saluti cõfidas.

Quæ

Quæ inſpexeris,aut audieris de aliorum ſtatu,in meliorem partem iudicabis.

Omni cum diligentia propriam voluntatẽ mortifica, meam ſingulariter diligendo.

Lubenter propter me in licitis rebus hominibus parcas,propriam relinque ſententiam, ac in omnibus te ipſam abnegaueris.

Commendes te,ac ſecurè cõfidas prouidentiæ meæ,atq; cùm quælibet cõtigerit tentatio, periculum,aut neceſſitas,firmiter in me ſperabis: nam ego tui reminiſcor,non ſecus ac in toto terrarum orbe tu ſola fores.

Quęlibet calamitas adueniat aut aduerſitas, diſce eam ęquo animo ferre Filiola ꝓpter me, nõ aliunde niſi ex manu mea illã ſuſcipiens: tribulatio etenim calix eſt benedictionis, quẽ ego omnibus Sanctis meis bibendum trado.

Nemo Sãctus iam fuit, qui aut exteriorem, aut interiorem non tulerit crucem.

Ablata ergo omni puſillanimitate, quicqd cõtigerit ex manu mea ſuſcipias, & credas velim, quòd ob amorem maximum pro tua ſalute tibi illud contingere patior.

Tribulationes ſufferre, reale eſt iter, quod ducit hominem ad regna cælorum.

Hilariter ergo iter hoc perfice, mihiq; gratias age:nam ego tanto te honore afficio,cùm tibi aliquid confero, in quo aliquod perpeti poſſis.

Cùm aliqs tibi infeſtus fuerit, aut te aliqua affecerit iniuria, agnoſcas illum ex meo præcepto hoc tibi inferre,ſicq; contra eum ne iraſcaris,nec aliquod malum verbum aduerſus illum

illum proferas, nec vlcisci de illo excogites; imò illum instrumentum, atque flagellum meũ esse arbitreris, meque inspicias, qui huiusmodi iniuria te affici ab homine illo permitto. Humilias te igitur in omnibus tribulationibus atque doloribus: patientiã habe, teque mihi totam tradas: per afflictiones mũdaberis, aptaque efficieris, vt tu mecum coniũcta sis, si que humana fragilitas te prolabi fecerit in impatientiã aliquam, aut defectum aliũ, non ideo animũ demittas, nec te perturbatio aliqua aggrediatur, nec à bono proposito te diuertas, sed ilicò surge, & veluti superius dictum est, te conuertas ad me, ad quem spe firma confuge misericordiæ consequendæ.

Generalem rectè ego dignosco humanam fragilitatem, tuamque peculiarem.

Confide in me: ista etenim confidentia extra modum esse non poterit, si bona erit, ac pœnitens vita tua.

Adhæreas mihi: nam ego te suscipiam, incolumem reddam, atque defendã: quare igitur iam times Filia? cur mortẽ nõ appetis? quodnam malum tibi illam illaturam excogites? certũ est quòd vbi ex hac vita discesseris, amplius me non offendes, nec te peccato fœdaueris. Si aliquid huius mũdi non diligis, nihil à te mors auferre poterit; si verò mundanum aliquod amas, te alicui obijciendo periculo, aut (vt melius loquar) tuum ipsum periculũ diligis, relinque potius volubilium ac mundanarũ rerum amorẽ, ne tu extra modũ mortem timeas, imò si in vita hac me solũ diligis,

mors

mors sit tibi iucunda: secus enim quod optas consequi minimè poteris.

Verè scio te metuere, nihil ex rebus hisce terrenis diligere, nihil esse, quod perdere te pertædeat, sed te angit timor, atque cogitatio, cùm nescias, an amore, aut odio digna sis, nesciasqúe an ego te ad quietem, an ad supplicium sim suscepturus. Filiola nihil ex istis sciendum tibi sit, nec scire decet, sed tibi timere expedit, in me semper sperare, aut vitã istam degens, aut ex illa decedens. Ingenio, industriaqúe tua nec viuere, nec mori bene poteris, cùm ex me & vita, & mors pendeant. Si igitur ego do tibi bene viuere, cur non etiam tibi dabo bene mori?

Cùm ergo quicquid boni est à me susceperis, à me illud sperando, quare alterum speras, alterum verò diffidis? Confide ergo, in me sint omnes cogitationes tuæ, omnẽ timorem depelle, omnemqúe laborem. Non poteris viribus tuis alicui obsistere tentationi, nec viuens, neque moriens, & à peccato aliquo liberari: cùm ergo te viuẽtem non deseram, cumqúe fideliter tuas preueniam tentationes, sic eas moderando, atque temperando, vt illas tu ferre valeas, etiam tibi moriẽti opem feram, illud idem efficiendo.

Nunquam proficiscaris ad bellum, viribus tuis, atque armis innixa, sed in me semper cõfidendo: nam si ita egeris, pro te ego decertabo. Cùm ergo pro te bellum ingrediar, teqúe defendam, depelle timorem. Nec te infestet cogitatio, quonam modo sis moritura: nam

nullum mortis genus est, quod damnare iustum possit. Iustus quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Itaque noli excogitando viuere, an domi sis moritura, an extra domum, si in lecto, aut in agro, neque nimis pauida sis, an mors tua naturalis sit, aut violenta, sed vt bene moriaris, atque iucundè, studeas temperatè viuere, iustè, ac piè, quemadmodum Apostolus admonet. Bene, ac iustè viuentem mors nunquam sequitur mala, imò, pretiosa in conspectu meo mors est Sanctorum meorum, quocunque modo ex hac vita migrauerint, aut in aqua, aut in igne, aut in lecto, vel alio quolibet genere mortis finiuerint vitam.

Monitiones ad consolandum peccatorem in hora mortis. Cap. 18.

PRIMVM reminiscere, frater mi, quemlibet opificē diligere opus manuum suarum, eoqúe magis, quo illud pulchrius esse, ac rectè factum conspicitur. Cùm Deus noster & Dominus ad imaginem ac similitudinem suam fecerit hominem, certum est eum nos diligere, atque tueri omni tempore, præcipuè verò cùm ex hac vita discesserimus, si nomen sanctum suum inuocabimus super nos, quod credere vtique debemus, atque tuti esse, cùm huiusmodi veritate moniti, ac tali amico, & sponso videamur. Eius veritas tanquam scutum te defendet, & sub vmbra alarum suarum te protexerit, scapulis suis erit tibi turris: noli timere, quia promisit hoc Deus,

us,cuius verbum manet in ęternum.

Secundò recordare,chariſſime frater, quòd plus Deus nos diligit, quã ipſi nos diligimus, magisqúe noſtram ſalutem deſiderat, quàm nos ipſi:quod ita eſſe oſtendit Dominus euidentiſſimo ſigno, in cruce moriens, cùm animam ſuam traderet propter nos, ex quo dignoſcitur,quòd debemus nos eius amori, atq; miſericordiæ multum confidere.

Hoc dicens,oſtendat ei crucifixum, nõnulla dulcia verba proferendo: Quomodo nos Domine dilexiſti, tam vetuſta pulchritudo? quonam modo nos magis,quàm te ipſum amaſti, qui propter me propriam vitam effudiſti?

Meritò debeo ego nimis in tali amico confidere,magnamqúe ſpem in tali amatore reponere, qui vnica ſpes mea eſt, ſingulare bonum,atque pręſidium. *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.*

Quomodo nos Pater ſancte dilexiſti?Pater bone,Pater pie,qui proprio Filio tuo non pepercisti,quem in mortem pro nobis peccatoribus tradidiſti? quomodò nos adeò miſerabiles, atque ingratos amplexus es, propter quos vnigenitus Filius tuus,coæqualis tibi, fuit obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis?

Maximam ob cauſam nimium ego confido,quòd ſtrenuas, atque fortes efficies omnes fragilitates, atque infirmitates meas, ob illius amorem,qui pro me in cruce mortuus eſt.

Quam-

Quamplurimæ sunt, ac graues infirmitates meæ, sed maior medela est, sicqúe intimo cordis mei huiusmodi audiens vocem: ideo pro omnibus mortuus est Christus: audacter, atque confidenter eum adiero, dicens: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.*

Tertiò reminiscamur, quòd cùm sponsa desponsata est, omnis hora, qua illa moram fecerit adeundi domum viri sui, mille anni videntur, eoqúe magis, quo ex viliori loco, atque miseriarum pleno, ad opulẽtum palatium se cõtulerit, atque pulcherrimum. Anima nostra est sponsa Christi, nunc tempus est vt ad sponsum vadat, ex hac misera, calamitosa, ærumnisqúe plena habitatione, ad beatam, atque perennem vitam discedens, vt cum sponso suo adeò dilecto viuat in æternum.

Itaque charissime frater inspice, atque intuere beatam illam, ęternamq; patriam, ad quam dulcibus verbis te inuitat Dominus: *Surge, propera amica mea, speciosa mea, columba mea, & veni: vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.*

Aspice lateris mei vulnus, & videbis pro te vulneratum cor meum. Veni, noli tardare, veni de Libano, veni, egredere de ergastulo isto terrestri, veni soror, & sponsa, quia domicilium nequaquam tibi displicuerit: lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cipressina, muri sunt saphiro pulchriores, portæ atque fenestræ nitidiores sunt margaritis, tabulæ eius ex

auro

auro ſunt puriſſimo: veni, iam hyems tranſijt, nempe omnes abierunt tribulationes, tẽpus iucunditatis aduenit.

In regione noſtra omnis inuenitur conſolatio, omnis iucunditas, omnis lętitia, cunctorum Regina eris, & domina. Intellexiſti ſponſa vocem ſponſi tui, reſponde hoc modo: Aſpicis iam ſeruam tuam, ancillam tuam: tecum igitur ducas eam, doleo profectò cùm te non dilexerim, ſicut debui; ſi te non amplexus fui, tanquam filia: diſplicet mihi, cùm te vt fidelis ſponſa non amauerim: ſi in his, quæ geſſi, ſimplex non extiti tanquam columba, me incuſo mirum in modum, ac de omnibus ſuppliciter abs te veniam peto. Miſerere mei Domine, miſerere mei: iam vitam iſtam faſtidire incipio, & cupio diſſolui, vt tecum eſſe valeam, ne te amplius offendam.

O Mors noli tardare, vt inſpicere ego poſſim Patrem ſponſi mei, atque me cum illo coniungere, cumq́; ſanctiſſima eius matre Maria, & cum illius ſeruis conuerſari.

Dixiſti Domine: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* neſcis Domine, neque potes mentiri. Da mihi igitur aquam illam viuam, vnde ego non ſitiam in æternum, inter eos qui viuunt, quive edunt, & bibunt, ac ſatiantur, & laudant te in æternis ſæculis. Amen.

Quartò, corporales medici epithimas applicant cordi debilis infirmi, quod etiam faciunt ſpirituales medici: ipſi enim habent epithimas ſuas ad confortandum infirmũ in hora

hora mortis. Principalis epithima est, ostendere infirmo misericordiam Dei, qua ille paratus sit peccatorem suscipere, dum vero corde ad illum conuertitur, atque misericordiam postulauerit. Profectò, si attentè inspexerit ille, atque considerauerit, quanta cum benignitate, atque clementia filium prodigũ Deus amplexus sit, desperare nullo modo poterit de sua salute.

Scripturæ sacræ omnimodam consolationem, atque spem conferunt pœnitentibus, ac vt ad Deum se conuertant, adhortantur. Isaias cap. 14. ait: *Derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* & Ioel dicit cap. 2. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* & alio in loco dicitur Ezech. 18. *Ego viuo, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Legitur etiam: *In quacunque hora ingemuerit peccator, amplius non recordabor.*

Secunda epithima est, prædicare Christum crucifixum.

Quando igitur hominem conterritum videbimus, ac timentem iustitiam Dei, cùm vitam ante actam recordetur, atque suorum peccatorum catenam, illumque inferni mortem pauere, tunc spiritualis medicus consilium hoc ex Scripturis excerptum poterit illi conferre.

Si agnoscis frater te malè vixisse in vita tua, ac à Deo veniam postulasti, & Sacramenta suf-

ta ſuſcepiſti, bona ſit tibi voluntas bene viuendi,pone ante oculos tuos Chriſtum crucifixum,aſpice illum,ad pectus ſuum te admoue,ad vulnera te inclina,amplectere illa,deoſculare, ſuppliciter illum exora, vt propter nimiam ſuam benignitatem, atque miſericordiã leuare dignetur peccata tua:in manus Dei colloca voluntatem tuam, quicquid de te agere ille voluerit, aut propter vitam, vel ob mortem,ſuſcipe ex illius manu, ac corde humili obedias, ſic dicendo : In manus tuas commendo ſpiritum meum.

Ad hoc roborandum dicere ei poteris: Æternus,ac miſericors noſter Deus, & pius Pater, non ſolùm pro te naſci voluit vnigenitum Filium ſuum Chriſtum Ieſum,ac Deum, & hominem fieri,ſed adeò tibi tradidit illũ, vt in cunctis neceſſitatibus tuis eum haberes, ac vt omnia bona,quæ tibi deſunt, quęve ex te habere nequaquam poſſes, habeas in Chriſto Redemptore.

Noli vereri,quòd noſter cęleſtis Pater,atque eius dilectus Filius adeò miſericordes ſunt,adeoq; benigni,quòd te in nullo deficere patientur. Nam quod tibi non eſt,habes in Chriſto, & ſic coniungeris Chriſto, ac illum complecteris,qui pro te ſupplet, atque pro te ſoluit.

Offeras ergo deuotè, & piè Deo Patri Ieſum Chriſtum Filium ſuum, vitam eius,labores,& paſſionem,& mortem : hæc eſt oblatio,quæ in anima ſpem præbet, & confidentiam.

Tan-

Tandem persuadeat, vt se Christum induat Redemptorem, verba illa explicando: *Induimini Dominum Iesum Christum.*

Qui ex hac vita discessurus est, quęrat Christum Redemptorem nostrum, & Dominum: osculetur eius pedes, atque cum mulieribus illis eum adoret, quibus ipse apparuit in die Resurrectionis suæ, vt nobis etiam suam impartiret benedictionem. Auete, nolite timere: ne timeatis iniquitates vestras, quia ego sum condonatio peccatorum: ne tenebras timere velitis, quia sum ego lux: nolite timere mortem, quoniam ego sum vita: quicunque ad me venerit, non gustabit mortem in ęternum. Si quis dixerit, quòd amplius viuere cupiebat, vt pœnitentiam ageret, dicat, salutem nostram, vt Apostolus ait, ac nostrarum animarum medelam in misericordia, atque gratia Dei consistere, ac in Iesu Christi passione, cùm ipse in passione eius, & cruce pro nostris peccatis satisfecerit. Si volumus nos in hac hora gratiam suscipere, atque veniam, & misericordiam exposcere, procul dubio salui erimus, nec infernum timere debemus, cùm certi simus, paratum illum esse pro eis, qui obstinati sunt in peccatis, noluntq́; pœnitudinem concipere peccatorum.

Præterea sic dicere poterit: Nonnulli, bone Iesu, ob innocentem vitam se consolantur: alij ob exercitia magna, atque labores, quos sustinuerunt: alijs augetur spes, & confidentia roboratur, propter asperas pœnitentias, ac bona opera, quibus illi incumbere studue-

ſtuduerunt: at ego ante actam vitam contuendo, in paſſione tua, in ſatisfactione & cruce omnem ſpem meam collocaui. Miſerere igitur mei Domine Ieſu, ac de me quicquid libet, rogo, vt agas. Mortem verò, atque ex hac vita tranſmigrationem nimis timentibus applicanda eſt alia cordis epithima, nempe ęterna vita, prædicatio, atque Pſal. illius recordatio: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi*, &c. illisque Redemptoris noſtri verba illa exarare, ac in memoriam deducere poteris: *Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.*

Pro in articulo mortis conſtitutis alia Admonitio.

IEſus Chriſtus Redemptor noſter non ſolùm nobis exemplum præbuit bene viuendi, ſed etiam bene moriendi. Oportet igitur, vt qui in hora mortis conſtituitur, intueatur, quonam modo Chriſtus mortuus eſt, eumque ſequi debet, per quem tutus diſcedat, atque ſecurus.

Primò, orauit Ieſus ad Patrem, dicens: *Clarifica me Pater in hac hora.* Ita & Chriſtianus æternum Patrem exorabit his verbis: Auxiliare mihi Pater æterne in hora iſta. Chriſtus Dominus magnopere propter peccata ſic exorauit: *Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti; longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Ita Chriſtianus veris gemitibus deplorare debet ſua peccata, atque pro illis à Domino veniam poſtulare.

Iesus ignoscit eum crucifigentibus, pro quibus orauit. Ex hac vita migraturus, inspicere debet, an alium offenderit, & ob offensam veniam petere; siqúe ille ab alio fuerit affectus iniuria, debet ex corde iniuriam illi condonare.

Disposuit Dominus in hora mortis de rebus suis, commēdans Ioanni Matrem: ita bonus Christianus discretè de suis reb. disponere debet, atq; prudēter. Postmodū ait Dominus Iesus: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Eadem hæc verba in hora mortis dicere tenetur Christianus. Tandem *inclinato capite emisit spiritum*: ita faciat Christianus homo: nam inclinato capite tradere se debet diuinæ voluntati.

Alia Admonitio pro illis, qui in mortis articulo sunt constituti.

FRater reminiscere Christum Iesum, eius misericordiam, quodve pro te passus est. Nunc non hora est, qua iustitiam debeas cogitare, sed misericordiam: agnosce imaginem istam crucifixi. Non odit te, nec mortem tuam vult, qui mori voluit, vt te à morte redimeret, nec tanta bonitas patietur damnari animam tuā, propter quam ille in hoc ligno tradidit suam.

Aperi oculos frater, & magis oculos fidei, ac hilari animo inspice lateris vulnus istud, quod apertum fuit, vt inde iustificatio tua oriretur; nec amplius clausum est, vt eum nequaquam pœnituisse dignoscas, qui tibi tot dona præstitit, ac beneficia; vtqúe

non

non ignores latum aditum tibi patere per illud.

Osculare deuotè, atque fideliter huius lateris vulnus, cuius sanguis cuncta lauit crimina: osculare manus istas, quibus infixa sunt vulnera, ob omnium scelera, atque facinora: in his confidat audacter, ac intrepidè anima tua, cùm istud tutum sit, atque securum cambium, quod deficere non potest vnquam. Dic ex toto corde: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*: atque necesse est, vt non te lateat manus istas, quibus animam tuam commendas, te fecisse, vnde vereri minimè debes, quin tam pius, & misericors Filius pietate sua eam Patri reddet incolumem, quam ille omnipotentia sua creauit: & quoniam manus tuę Domine fecerunt me, ne despicias me opus manuum tuarum: dignoscas quęso in me opus tuum, qui etsi iniquus sim, plenusq́ miserijs, attamen creatura tua ego sum, & membrũ Ecclesiæ tuæ: sum ego Domine opus manuum tuarum, ideo ne me despicias, sed propter nimiam pietatem tuam duc me ad lucem, quam inhabitas, vt te perfrui valeam inter Sanctos tuos.

Regulæ ad pœnitentiæ Sacramentum administrandum in mortis articulo, atque ad condendum testamentum.

P*Rima Regula*: Quilibet simplex sacerdos Catholicus potest pœnitentem confessum in mortis articulo absoluere à quocunque enormi peccato, ac à quacunque excommunicatione, alia licentia non obtenta. Laicus nullo

casu, nulloqúe modo nec audire, nec absoluere poterit pœnitentem: si secus fieret, magnus esset error apud vulgus.

Secunda Regula: Non debet Confessarius tunc imponere pœnitenti, quòd si mortẽ euaserit, superiori se debeat ob peccatum reseruatum præsentare, dum illi annexa non fuerit excommunicatio, secus verò foret: nam si morbo cessante superiori nequaquã se præsentaret, in eandem incideret excommunicationem.

Tertia Regula: Si loquelam non amisit infirmus, nec intellectum, aut sensum, adhortandus est, atque consolandus, vt in regulis superioribus assertum fuit, at alta voce non debet id fieri, quemadmodum fit à nonnullis imprudentibus, cùm ad bene moriendum adiuuant infirmum, imò prudenter hoc erit agendum, atque paucis verbis, quæ commodè infirmus ille possit audire.

Quarta Regula: Si timetur, ne aliquis infirmus loquelam amittat, aut sensum, tunc prudens, atque discretus Confessarius satagere debet, vt ille statim confiteatur, siqúe confitendo lassus esset, adeoq; amplius cõfiteri non posset, non ideo elaborare debet, sed ilicò à peccatis confessis absoluat: nam etsi videretur confessionem non esse integram, nihilominus esset vera confessio, cùm illa peccata dixisset, quæ commodè dicere potuit, nimisqúe hoc aduertendum est: nam si in aliam horam absolutionem differret, aut alium diem, contingere posset, quòd ille loquelam aut sensum amit-

amitteret, vnde Confeſſarius ipſe non poſſet eum abſoluere.

Quinta Regula: Si pœnitens iam moriturus cum mortis anxietate videretur, non debet Confeſſarius illum adſtringere ad ſua peccata ordinariè confitenda, nec poſtulationibus infeſtare, imò edocere illum debet, vt tali caſu ea peccata ſolùm confiteatur, quæ magis aggrauant conſcientiam, ne ipſo vitam finiente, maiora ſileantur.

Sexta Regula: Si infirmus loquelã perdidit, ſenſum aut intellectum, ob phreneſim, aut aliam ob cauſam, quamuis prius ſigna contritionis oſtenderit, nõ eſt abſoluendus ſacramentaliter à peccatis, cùm illorum confeſſio pars ſubſtantialis ſit Sacramenti pœnitentiæ, ſine qua verum pœnitentiæ Sacramẽtum non eſt impendendum.

Secus foret, ſi diceret aliquod veniale peccatum, aut mortale in particulari, aut per ſigna illud exprimeret: nam in tali caſu Sacramenti vera adeſſet materia, quam applicare ille poſſet.

Septima Regula: Aegrotus, qui loquelam perdidit, aut ſenſum, aut intellectum quolibet caſu adueniente, ſi oſtendit antea contritionis ſigna, quamuis ilicò Sacramentum non expoſtulaſſet, etſi pergrauia peccata commiſiſſet, præſumẽdum eſt illum eſſe contritum, atque conferendum illi eſſe Euchariſtiæ Sacramentum, ac Vnctionis extremę: quod intelligitur, cùm aliqua ſanctorum Sacramentorum non timetur irreuerẽtia, poteſtq; ab omnibus cen-

suris absolui, possuntqúe indulgentiæ concedi, iuxta priuilegia sibi concessa.

Octaua Regula: Si pœnitens confessionaria, Bullas, aut priuilegia habuerit, ob quæ concederetur illi, quòd Confessarius in articulo mortis indulgẽtias ei concedat plenarias, cùm ipse confessionem audierit, ac peccatorũ impenderit absolutionem, dicat quod sequitur:

Auctoritate à summo Pontifice mihi concessa concedo tibi quamcunque indulgentiã, quam per priuilegia, aut Bullas possum tibi concedere: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen.

Nona Regula: Confitẽtibus in articulo mortis non imponatur exterior pœnitentia saltẽ grauis, cùm illã agere minimè possint, sed admonendi sunt de pœnitentia, quam merẽtur, quodve Deus contentus est, si infirmus obediens mortis sentẽtiæ, dum Deus mori eum voluerit, obtulerit eam in remissionem suorum peccatorum, quamuis ob illa suspenderetur, aut vreretur, quemadmodum ad consolationem peccatorum Triden. Concil. decretum fuit.

Regulæ ad ordinandum Testamentum.

PRIMA, Confessarius summariã testamenti notitiam debet habere, quonã modo illud fit oportet, vt validum habeatur: sæpe etenim, cùm id à Confessario non efficitur, non valet testamentum.

Secunda regula, testamentum condendum est aut infirmitatis principio, aut dum condens testamentũ, sanus est: nam postea diuersis modis

dis procurant consanguinei illud impedire, & cogit etiam infirmitas. At aduertẽdum est, quòd qui per vim, aut dolum aliquem impedierint, ne condat testamentum, mortiferè peccant, atque ad restitutionem bonorũ sunt obnoxij: si quis autem pro se, aut pro alijs rogaret, vt sibi relinquatur hæreditas, aut aliquod legatum fiat, non peccat, dummodò nõ tanta importunitate id efficiat, quæ quasi violentia videretur.

Tertia Regula, necesse est vt condẽs testamentum sit in gratia, & sic cùm illo contenta ratificare voluerit: nam si mortali peccato irretitus ille fuerit, nec gratiam, nec gloriam meretur aliquam, legando vt suffragia, aut alia fiant pro anima sua.

Quarta Regula, testator, cui non sunt liberi, aut pater, qui hæreditatem adipisceretur ex iure, sed tãtùm consanguinei pauperes, tenetur illis bona sua relinquere: quod intelligendum est, si in graui, aut extrema necessitate cõstituti viderentur.

Vltima Regula, admoneatur ille magnopere, vt prius aliena bona restituat, quàm ex hac vita discedat, dum potest: at si possibile nõ est, declaret saltem, ac vt magis expedire videtur, prouideat, dicendumq; illi erit, ne suis hæredibus aliena relinquat bona, nec Ecclesijs, aut Monasterijs, aut Xenodochijs, sub pœna sibi constituta, quòd cùm obierit, in inferno luet pœnas sempiternas.

Hîc finitur tractatus iste, in quo breuitatis causa Doctores non adduxi. At non ignorent homi-

homines, totam hãc doctrinam ex aqua haustam esse bona, ac securè sequi posse: facundiam, atque elegantia verba sequi nolui, cùm charitas sermonem disertum atque facũdum non æstimet, qui in corde potius inflare videtur. Studeãt ergo huic libello diligenter sacerdotes, præcipuè verò Confessarij: nam pro comperto habeo eos nequaquam errare, qui huiusmodi documenta sequentur. Demũ rogandum est, vt studio huius libelli operã nauantes, pro me Deum exorent, quo mihi gratiam suam impartire dignetur, vt sua præcepta custodiam, ac elargiatur nobis vitam sempiternam.

FINIS.

Deo gratias.



+

Crispinus Zawistowski tunc Vicarius Wormditensis emi hunc librum Anno 1613 ab heredibus R. Dni Bartholomaei Hecht parochi Bieneren[sis] pie defuncti cuius anima in sctissima pace requiescant.





